


B
6



HISTORIA PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM JACOBITARUM

A D. MARCO USQUE AD FINEM SÆCULI XIII.

CUM CATALOGO SEQUENTIUM PATRIARCHARUM & collectaneis Historicis ad ultima tempora spectantibus.

INSERUNTUR MULTA AD RES ECCLESIASTICAS Jacobitarum Patriarchatûs Antiocheni, Æthiopiæ, Nubiæ & Armeniæ pertinentia.

ACCEDIT EPITOME HISTORIÆ MUHAMEDANÆ ad illustrandas res Ægyptiacas.

Omnia collecta ex Autoribus Arabicis, Severo Episcopo Aschmoninæ, Michaele Episcopo Taneos, Ephræm filio Zaraa, Abulbircat & aliis anonymis: tum ex editis Eutychio, Elmacino, Abulfaragio, Chronico Orientali, diversisque Historiæ Muhamedanæ Scriptoribus Arabicis & Persicis.








PARISIIS,
Apud FRANCISCUM FOURNIER, viâ sancti Jacobi ad insigne Scuti Urbis.

M DCC XIII.
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.



COSMO III.
MAGNO DUCI ETRURIÆ.
EUSEBIUS RENAUDOTIUS S. P. D.

QUANTUM artium liberalium aut ſcientiarum ſtudia Græcis debeant, ex quorum libris depulsâ barbarie, eruditionis omnis, tanquam ex uberrimis fontibus, copia in Europam manavit, nemo literis humanioribus, vel leviter imbutus ignorat. Qui porro Græcorum librorum, magiſtrorumque cognitionem Florentinis, maximeque Mediceis Principibus debere ſe neſciat, is in hiſtoria non minus, quàm in politiori literatura, hoſpes eſſe judicandus eſt. Illorum enim munificentiâ ingens rariſſimorum & quibus omnes diſciplinæ continentur ſcriptorum numerus, ex Græciæ incendiis ſervatus eſt, totque exules veteribus Athenis digni, eorum liberalitate ſuſtentati, quæ ſola bona ſecum detulerant, ea hoſpitibus, & per illos toti Europæ communicaverunt. Sed hæc ſatis nota: obſcurius omnino, quod ut Græcæ, ita Orientales literæ Florentinis quoque & Mediceis Principibus non minus debent, quod apud nos coli & propagari cœptæ ſunt, quâ tamen eos laude

carere minimè oportebat. Cum enim pauca admodum & exigui pretii in Arabica Syriacaque literatura aliis in Europæ regionibus edita forent, prodierunt Avicennæ opera, Euclides cum Nassireddini commentariis, Geographia, Grammaticæ, Evangelia, tum multi ad Officia Ecclesiastica pertinentes libri, typos subministrante ipsis Romanis Pontificibus, insigni, & quæ parem huc usque non habuit, Typographiâ Mediceâ. Quales porrò & quàm peritos Orientalium linguarum oporteat illos fuisse qui talibus editionibus præfuerunt, sciunt qui his studiis operam dedere: reliqui non satis intelligunt. Nam qui superiori sæculo in illis literis excolendis laborare cœperunt, magnum se fecisse quidpiam arbitrati sunt quòd edita à Florentinis opuscula Arabica recuderunt, quòd proverbiola interpretati sunt, sæpe parum fœliciter, quòd Grammaticas ediderunt, quo nomine laudandi sunt, nec tamen cum magnis illis viris qui Mediceorum Principum auspiciis eas literas promoverunt, comparandi. Quippe spissum Avicennæ operum corpus, ex MSS. codicibus transferre, majoris omnino operæ fuit, quam aliquot ex iisdem libris lacinias longis commentariis oneratas cum jactantia publicare. Eos sanè quibus tales editiones debemus, non modò Arabismi peritissimos fuisse quisque agnoscit, sed rerum etiam Orientalium, quod de aliis qui ex eorum laboribus profecerunt, dici non potest. Talis erat Joannes Baptista Raimundus Mediceorum alumnus, qui Romæ auspiciis Ferdinandi Cardinalis, postea magni Ducis Etruriæ, per annos multos domi ejus cum aliis aliquot Orientalium linguarum peritissimis, quorum omnium ejus domus erat liberalis alumna, strenuè laboravit. Ejus & sociorum studio characterum omnium Orientalium typi tam accurati, tam elegantes, tam curiosam illam καλλιγραφίαν exprimentes formati sunt, nihil ut hoc in genere possit esse perfectius. Ab eo doctissimorum virorum Collegio multa ad communem Ecclesiæ utilitatem præstita sunt: Evangeliorum Arabicorum excusa exemplaria tria millia: quorum magna pars in Orien-

tem missa & Christianis distributa : multi quoque alii libri variis linguis editi, cum Gregorius XIII. Orientalibus juvandis & instituendis incumberet, sed Medicei Principes totum in se suosque laboris & impensæ onus recepissent. Nam præter eos sumtus qui Romæ fiebant, ut esset paratius ex Typographia Medicea subsidium, inclytus ille Cardinalis Ferdinandus, quò Apostolicæ Sedis negotium ageret, in varias Orientis partes ornatissimos statim viros emisit qui omnis generis disciplinarum libros, & dissimili earum nationum idiomate conscriptos diligenter pervestigarent. Omnium verò linguarum Grammaticæ paratæ erant aliaque literaria subsidia : tum ingens opus editionis Bibliorum, sex principalibus Orientis linguis; *quod iniquitate temporum, etsi lucem non aspexit, at immortalem Mediceo nomini gloriam comparavit. Testes enim constantis & prolixæ de Ecclesia deque literis benemerendi voluntatis supersunt adhuc typi illi limatissimi, qui in Gaza veteris Palatii servantur, ut multa alia tam insignium laborum monumenta. Dolendum tamen quòd tot vigiliarum majorumque tuorum munificentiæ fructu, qui uberrimus fuisset, Respublica Christiana caruerit, nec minùs quòd tantorum virorum memoria tali oblivione sepulta sit, ut honorem qui Orientalium linguarum in Europa restauratoribus debebatur, alii ad se transtulerint.*

J. Bapt. Raimundus Ep. ad Paulum V.

Nam illorum qui Florentiâ in Orientem profecti, magnam rarissimorum librorum Orientalium qui in Bibliotheca tua conservantur copiam collegerunt, quis meminit? Fuerunt tamen præter eos quorum nomina ignorantur, his literis eruditissimi Joannes Baptista Vecchiettus & Hieronymus ejus frater Florentini, sed ille præsertim : supersunt plures Manuscripti codices, qui illius quondam fuerunt, Arabici & Persici, ex quibus eum in utraque illa lingua majores quàm Europæus ante illum quisquam progressus fecisse demonstratur. Insignis est præ cæteris Codex Persicæ Psal-

morum ex Hebræo versionis, de qua judicium ultimis foliis adjecit suum, ex quo intelligere licet, non eum modò vulgaris tunc linguæ, sed veteris etiam, stylique illius reconditioris poëtarum, peritissimum fuisse, quòd etiam notæ plures codicibus adjunctæ palam faciunt. Exstant quoque alii codices Julii Acarisii Equitis Hierosolymitani manu, tam eleganter & eruditè scripti, ex eorum numero quos Arabes ipsi & Persæ nisi literatissimi vix intelligunt, quique summam illius eruditionem demonstrant. Multos etiam Ursini Lanfredini chirographo notatos reperi in nostris Bibliothecis, & in instructissima, DUX SERENISSIME, *Palatina tua, quam anno* 1701. *Roma rediens cum Florentiæ substitissem, quoties vellem adire permisisti. Cum igitur ex libris Orientalibus quorum ditissima est, multa quæ ad institutum ante aliquot annos opus conferebant didicerim, partem illius quæ Alexandrinæ Ecclesiæ historiam complectitur, ut tuo nomini dicarem, non officii modò mei, sed æquitatis ratio postulabat. Ita enim quod ab homine humili & privato, qualis ego sum, præstari solum poterat, extabit consignata literarum monumentis, istius & aliorum, quæ in me amplissima contulisti, beneficiorum memoria, simulque grati erga majores tuos, & Florentinos, qui illorum opibus, politioris omnis literaturæ, etiam Orientalis, restitutores fuerunt, animi mei testimonium.*

Mihi sane Florentiæ, idem quod veteribus illis Romanis accidit, qui Athenis cùm essent, & ea loca viderent, in quibus memoriâ dignos viros acciperent multùm esse versatos, movebat eos tantorum nominum recordatio. Ita mihi tot illustrium Græcorum, quos majores tui à Turcica servitute & inopia, simulque Europam à barbarie qua obsidebatur liberarunt, nec minus tot eximiorum virorum quos illi discipulos habuerunt, reliqua Europa magistros in mentem veniebat. Sed multo magis recurrebat animo, Cosmi Patris Patriæ, Petri Laurentii & tot aliorum nunquam

intermoritura memoria, cum quacumque ingrederer, in aliqua, magnificentiæ, liberalitatis, pietatis illorum monumenta vestigium ponerem, præsertim cum Laurentianam Bibliothecam & Palatinam frequentarem. De illis cùm me referentem audires, quod quotidie, quæ summa tua benignitas erat, factitabas, mirabiliter affici mihi videbare majorum tuorum laudibus, & virorum illustrium, qui patriam literis ornaverunt & qui multos imitatores habuerunt. Ut enim eos quorum recentior memoria est solos commemorem, Francisco Redio quis nostra ætate doctior? Quanta in eo fuit politiorum literarum ubertas, cum summa rerum naturalium novorumque experimentorum facultate conjuncta! Carolus Datus, Laurentius Magalottus, & alii à quibus præclarissimæ illæ observationes physicæ prodierunt, non minus acri judicio summaque veteris & novæ Philosophiæ peritiâ, quam ingenii & eruditionis laude floruerunt. Alfonsus Borellus, Bartolomæus Vivianus, pares in Mathematicis disciplinis vix habuerunt. Vix à multis annis autor aliquis Græcus editus est, qui non ex Codicibus Mediceis melior & emendatior prodierit, nec sine laudibus Florentinorum tuorum, præsertim Antonii Magliabecchi omnibus eruditis notissimi. Mitto eos qui munificentiam tuam vere Regiam experti sunt, etiam exteros, ut non ita pridem magnum purpuræ Romanæ lumen Henricus Cardinalis Norisius, ad quam ex Pisana tua Academia evectus est.

Itaque in te PRINCEPS SERENISSIME *avitam illam de literatis & doctrina præstantibus viris benemerendi voluntatem agnoscimus, non minus quam reliquas majorum tuorum virtutes omnes. Illi magnitudine animi, fortitudine militari, constantiâque in laboribus & periculis effecerunt, ut agitata diu civilibus discordiis Respublica, sub uno principe conquiesceret: tu prudentiâ benignitateque, verus Pater Patriæ opes & potentiam in publica commoda ita impendisti, ut in superiorum, & in ultimi hujus funestissimi*

belli tempestatibus, Etruria prope sola pacata & secura quieverit. Illam ut inclyti Majores tui opibus, artibus, ædificiorum splendore omnibusque ornamentis affluentem tibi reliquerunt, tu non minùs ut fœlix, florentissimaque, pace, justitiâ & pietate foret, laborasti. Tuam enim potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum, ita majestati ejus famulam fecisti, ut opes non ad luxum insanasque substructiones, sed ad templa, monasteria, domos excipiendis pauperibus & peregrinis, vias muniendas, in publicam denique utilitatem impendere solitus sis. Ita dum tuos ad perfectam vitæ Monasticæ observationem excitare satagis, strictioris Observantiæ Franciscanos ex Hispania, Cistercienses ex Gallia nostra accersivisti, quibus amplissimas ædes fundasti & instruxisti, ut Ambrosianam, & nuper Boni Solatii. Illic oblectamenta tua sunt, & sanctæ deliciæ, dum novæ illius sobolis Religiosæ à te adoptatæ colloquiis animum pascis, nec exemplo minùs quàm beneficiis & paterna caritate pios Ascetas ad tuendam instituti sui sanctitatem provocas.

Sciunt omnes quàm difficile sit viro Principi non efferre se in potestate; non se præferre aliis propter abundantiam fortunæ, ut opes & copiæ, non superbiæ videantur, sed bonitati ac magnificentiæ facultatem & materiam dedisse: placabilitatem & clementiam ita temperare, ut emendatrices vitiorum, commendatricesque virtutum leges religiosè observentur: negotiis districtum officia ita partiri, ut pietatis Christianæ exercitationes curam salutis publicæ non interpellent. Hæc tua laus propria est PRINCEPS SERENISSIME *quam auditione dudum perceptam admiratus, præsens famâ majorem esse cognovi. Diu igitur vivas, valeas, & regnes, magno Etruriæ bono, raro inter Christianos Principes exemplo, & hoc qualecumque observantiæ testimonium benignè suscipe.*

Lutetiæ Parisiorum 17. Julii 1713.

IN HISTORIAM



IN HISTORIAM PATRIARCHARUM ALEXANDRIÆ JACOBITARUM.

PRÆFATIO.

INſtitutam à me ante annos multos Epitomen Hiſtoriæ Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum, ut tandem publicarem, doctiſſimorum virorum qui nonnulla illius viderant, & probaverant compulit auctoritas. Cùm enim ad eorum temporum, quæ Muhamedano Imperio vetuſtiora ſunt hiſtoriam illuſtrandam, nullum ex Arabicis libris comparari poſſit ſubſidium; eorum verò quæ ſub novis dominis ſucceſſerunt, partes ſint duæ, una quæ Græcam Eccleſiam ſpectat, altera quæ Jacobiticam; iſtam Græci ſcriptores penitus neglexerint & ignoraverint, non minùs quàm priorem qui Arabicè ſcripſerunt; unde corpus hiſtoriæ qualecumque formari poſſet, non ſuppetebat. Igitur ea duntaxat quæ ad Jacobitas ſpectabant colligere nobis propoſitum fuit, cùm vel ea ſola pars, Græcis Latiniſque ſcriptoribus prorſus intacta, multa ſcitu digniſſima contineat, & non modò ad Eccleſiaſticam hiſtoriam, ſed ad fidem mores & inſtituta Orientalium cognoſcenda plurimùm lucis afferat. In illa porrò explicanda, non inutiliter operam impendi, vel ea ſola ratione conſtat, quod pauciſſimos autores qui huc uſque Latinè prodierunt, Elmacinum, Chronicon Orientale, Eutychium & Abulfaragium, legunt eruditi omnes, eorumque non rarò Operis conſilium.

é

testimoniis utuntur, quamvis exiguo, aut prope nullo operæ pretio: tandemque vir doctissimus Daniel Papebrochius specimen ejusdem historiæ aggressus est, quod ab ejus sodalibus, non mediocri labore perfectum Tomo V. Junii Bollandiani præmissum est. Cum igitur plura longè & certiora ex variis autoribus collegissemus, quæ, si non totius Ecclesiæ Alexandrinæ, saltem partis illius, quæ per Dioscorum & ejus successores à matre Catholica avulsa est, historiam illustrarent, ea in medium conferre, viris doctis qui Orientalia studia non excoluerunt profutura fortassis, tandem oportuit. Priusquam vero consilii nostri ratio explicetur, pauca quæ ad historicorum Orientalium, præsertim Christianorum, notitiam necessaria sunt, præfabimur.

De Historicis Orientalibus qui editi sunt judicium.

Statim porrò libenter agnoscimus, quas huc usque habemus historias Orientales typis editas, eas esse ejusmodi, ut legantur à paucissimis, à plerisque contemnantur nec immerito; nullus ut inde, vel saltem exiguus ad eruditos huc usque fructus pervenerit. Hinc factum est ut ex paucis illis libris, qui Orientalem historiam continent, plurimi judicaverint, vix quidquam utilitatis capi posse, quæ acerbior sententia, communis multorum gravissimorum hominum fuit. Neque est quod accusemus eos magis, quàm ipsos talium librorum editores & interpretes, qui vel in illis laudandis modum non tenuerunt, ut commendabiliores eos facerent: vel in interpretando ita versati sunt, ut essent lectoribus, præsertim linguarum Orientalium imperitis, planè inutiles: multò minùs excusandi, qui ex talibus autoribus historiam Ecclesiasticam reformare aggressi sunt, aut novarum opinionum portenta confirmare, ut Presby-

teralem ἀναρχίαν, Seldenus ex Eutychio ſtabilire conatus eſt.

Primum hujus generis opus quod Arabicè Latinèque prodierit, hiſtoria Saracenica fuit, quam Thomas Erpenius, cui literæ Arabicæ multùm debent, Latinè interpretatus eſt : editio utrâque linguâ poſt ejus mortem prodiit anno 1620. ſed ex mutilo codice : Autor quippe Georgius filius Hamdæ, vulgò Elmacinus dictus, hiſtoriam contexuerat à creatione mundi, ad ſua uſque tempora: Erpenius eam tantum partem viderat quæ Muhamedanas res complectitur; primam prorſus ignoraverat, quæ magis tamen ad res Eccleſiaſticas ſpectabat, ut tertiam, quâ res ſua ætate præſertim cum Francis geſtas, & Salaheddini imperium in Ægypto & Syria ſtabilitum, uſque ad Mamalucos Turcas, complexus erat. In ſecunda cujus verſionem dedit, pauca occurrunt, non contemnenda tamen, de Alexandrinorum & Antiochenorum Patriarcharum ſucceſſione: ſed vir Arabicè doctiſſimus cùm ſtilum Eccleſiaſticum prorſus ignoraret, uteretur que codice non admodum accuratè ſcripto, prope ſemper, nihil minùs quàm quod Arabicè autor ſcripſerat, Latinè expreſſit. Nec fœliciùs aliquando Elmacinum interpretatus eſt noſtrâ linguâ, Vir cæteroqui Arabicè doctiſſimus, qui Latinam potiùs verſionem ſecutus videtur, quàm Arabica autoris verba : cùm præterea, nomina propria, ſingulari & quâ nemo alius, formâ expreſſerit, in qua Arabibus ipſis fuerit divinandum. Ejuſdem generis eſt Anglicana verſio quæ Latinam prorſus ſequitur.

De hiſtoria Elmacini.

Anno 1642. edidit Joannes Seldenus fragmentum breviſſimum, ex quo Eutychii Patriarchæ Melchitarum Ale-

Purchaſ. T 5. De Eutychio, Abulfaragio, &c.

xandrini historia innotescere primùm cœpit; quo fragmento nihil aliud quàm fabula de ordinatione Patriarcharum Alexandrinorum à solis Presbyteris, & absurda quædam alia continebantur, pessimè interpretata, & prolixo commentario exornata, nempe ut Presbyterianæ in Anglia conspirationi, vir sediriosus, ex ultimo Oriente præsidium accerseret. Integram post annos sexdecim, scilicet an. 1658. Eutychii historiæ versionem cum Arabico contextu, edidit Edwardus Pocockius: & anno demum 1663. Abulfaragii historiam Dynastiarum Latinè pariter & Arabicè. In nostra Gallia dum insigne illud Byzantinæ historiæ corpus sub prælo esset, symbolam suam contulit Abrahamus Echellensis Maronita, edito Chronico Orientali, quod Benarrahebo cuidam tribuit, sed Latinè duntaxat. Atque hi libri sunt ex quibus huc usque explicata apud nos fuit Orientalis historia, imperfectè prorsus & exiliter, maximè si res Ecclesiasticas attendimus, quarum major Christianis, quàm Muhamedanarum cura esse debet. Elmacinus quippe cursim & quasi aliud agens, Alexandrinorum Patriarcharum sectæ Jacobiticæ quam sequebatur, nomina recenset, res ab illis gestas vix delibat. Eutychius circa primorum Ecclesiæ sæculorum historiam indiligentissimus, ex mala aliqua Græca, Arabicam fecit non bonam, cùm, si paucissima quædam excipiuntur ad Concilium VI. spectantia, in reliquis Acta nulla consuluisse videatur. In Orientali Chronico quod Abraham Echellensis edidit, occurrit saltem accurata satis Jacobitarum Alexandrinorum Patriarcharum enumeratio, sed ex qua sola, illius Ecclesiæ forma, rerumque in ea gestarum series agnosci vix queunt. De Mel-

chitis nihil habet, ut Jacobitarum Eutychius vix meminit. Abulfaragius abiit in alia omnia, cùm non historiam Ecclesiasticam, sed politicam potiùs principum Muhamedanorum & Tartarorum scripserit. Igitur cùm necessariis præsidiis destituerentur homines nostri, eos in Orientalis Ecclesiæ historia, parum aut nihil præstitisse mirum esse nemini debet. Non alios tamen autores viderunt Protestantes eruditi in quos reliqui dudum est cum ora obvertunt sua, ut Seldenus, Hottingerus, & qui eos exscripsere satis multi Disputationum Historico-Theologicarum scriptores, quorum sæpe autoritas Catholicis objicitur, quamvis inter eos qui aliqua reconditiorum literarum opinione floruerunt, ne unus quidem extiterit, à quo nativum quidquam ex Arabicis Syriacisve libris productum fuerit, quod ad res Orientalium Ecclesiasticas illustrandas prodesse posset. De aliis autoribus qui editi non sunt jam dicendum est.

Esse sanè plurimos qui Orientalem historiam tractaverunt notissimum est, cùm inter ea quibus Arabica & Persica studia commendari potissimum solent, non postremum locum teneat ingens historicorum numerus. Nec negamus res à Muhamedanis gestas, aliunde sciri vix posse, cùm Græci Latinique etiam melioris notæ scriptores eas tam obscurè, & inscitè tradiderint, ut quæ foret illius Reipublicæ forma, qui mores, quæ familiarum successio, eos plerumque ignorasse manifestum sit. Ipsos igitur Muhamedanos in patria sua historia audiri præ cæteris oportet, ita tamen ut ante Pseudo-Prophetæ sui initia, non major illis fides, quàm ineptissimis quibuscumque fabulatoribus habeatur. Nam qui veterum Arabum, aut antiquissimorum Persiæ Re- De historicis ineditis.

gum memorias complexi ſunt ſcriptores innumeri, præter fabulas, eaſque abſurdiſſimas nihil habent: tum Critices & Chronologiæ auxiliis neceſſariis deſtituti, ne veteres ſuorum nænias retexant religione tenentur, ſi immane quidpiam contra temporum rationem, etiam ſacris Scripturis conſignatam in Alcorano occurrat. Itaque Mariam virginem, ſororem Moſis & Aaron, Muhamedanus quiſque credere debet, quod ita ſcripſerit nebulo idiota & illiteratus, ut meritò teſtatur ipſe de ſe, quidquid recentiſſimi Commentatores in contrarium ſcripſerint; quos ſecuti ſunt nonnulli, ne ſcilicet difficilium nugarum periret autoritas. Neque minor anilium fabellarum ex apocryphis tranſlatarum futilitas eſt, quarum plenæ ſunt non Muhamedanorum modò, ſed Chriſtianorum hiſtoriæ. Nam pleraque illa puerilia miracula quæ Alcoranus Chriſto attribuit, petita ſunt ex libro de Infantia Salvatoris, quem Arabicè vidimus: ex Evangeliis falsò inſcriptis Petri & aliorum, præſertim Thomæ, quo Manichæi utebantur, narrationes aliquot tranſlatæ ſunt à Mari Salomonis filio & Amrou filio Mathæi in hiſtoria Catholicorum, ſeu Patriarcharum ſectæ Neſtorianæ, ut frivola multa alia ex antiquis autoribus apocryphis aut interpolatis.

Fabularum communis theſaurus.

Fuiſſe ſcilicet ante annos mille ducentos & amplius intelligimus apothecam, ut ita dicamus quamdam, aut commune ærarium unde Judæi, Chriſtiani, & Muhamedani fabulas depromerent quibus veræ hiſtoriæ puritas corrumperetur. Quippe multa ἄπιστα, quæ ad vetus Teſtamentum ſpectant, aut ad extrema Judaicæ Reipublicæ tempora, reperiuntur in Capitulis Rabbi Eliezer, in *Agadoth*, ſeu hiſtoricis narrationibus quibus

passim amplissimi Talmudicorum Pandectæ respersi sunt, ut in vetustioribus commentariis allegoricis qui *Rabbot* appellantur. Illic etiam non paucas veteris historiæ Græcæ lacinias observare licet, quæ diversis modis interpolatæ leguntur apud Arabes & Persas historicos, sumtæ scilicet ex Græcis sequioris ævi scriptoribus, qui veterem historiam ubique contaminaverunt: magnum quid se fecisse arbitrati, si incredibilia potiùs quàm vera narrarent. Ita quidquid Pseudo-Callisthenes & alii autores sordidissimi de rebus Alexandri scripserunt, de Nectenabone, de itinere ad fontem vitæ, de congressu cum Brachmanibus, & si quæ sunt alia portenta & miracula plena summæ futilitatis, ea omnia apud Judæos, Arabes, Græcosque recentiores extant: quod multis exemplis probari facile posset, etiam ex autoribus qui à nugacitate videntur abesse longissimè. Nam ut in uno specimine conquiescamus, Makrizius qui ante annos circiter quadringentos res Ægyptiacas commentariis non pœnitendis illustravit, ne unius quidem urbis meminit, cujus conditorem non statim appellet: obscurum scilicet aliquem heroa, Mesraimi filium, nepotem, aut abnepotem, sed cujus nomen frustra alibi quam apud Arabes quisquam quærat: de antiquis Ægypti Regibus ne syllaba quidem occurrit: omnia Salomoni, vel Alexandro tribuuntur. Sic igitur habendum est, nullum ad veteris ante Muhamedem historiæ illustrationem ab Arabicis, aut Persicis, multò minùs à Turcicis scriptoribus auxilium expectari oportere. An aliquid in Ecclesiastica historia laude dignum præstiterint, jam est disquirendum.

Eorum libros editos hoc est Elmacinum, Eutychium, Quid in historia Arabes

scriptores præstiterint.

Abulfaragium & Chronicon Orientale qui viderit, non omnino temerè poterit de ineditis judicare. Neque enim si qui forte meliores aut uberiores sunt, arte historica, rerum delectu, autorum limato judicio, accuratiori rerum quæ narrantur examine, aut dote ulla alia quæ in historico requiritur, autores illos superant quorum libri sunt in omnium manibus. Non soli autem Christiani eo vitio tenentur, commune enim Orientalibus omnibus historicis illud est, neque suspicari quisquam debet eloquentiam, si quæ est apud Arabes aut Persas, solis Muhamedanis patuisse, qua Christiani caruerint. Habuerunt isti scriptores, qui Arabicæ linguæ elegantiâ, alios æquaverunt, ut illi præsertim qui in Mesoporamia, & Iraca floruerunt: præ cæteris Nestoriani, adeo ut inter specimina purioris Arabismi homiliæ non nullorum Catholicorum propositæ fuerint, ut à Golio ea, quam de Nativitate Christi Domini scripsit Elias, Nestorianæ sectæ Catholicus. In ea scilicet potissimùm viguit stilus ille floridus, quo maxime Arabes delectantur, quemque reliqui Christiani videntur neglexisse, ut accuratius de fidei mysteriis loquerentur & scriberent. Verum historicus apud Arabes & Persas laudem & famam præ cæteris consequitur, quicumque illis, quos ut historiam scribendi magistros, Græci, Latini, omnes tandem admirantur, dissimillimus est. Incipit vulgo à Dei laudibus in quibus amplificandis talis est hominum illorum impia religio, ut non modo illas seriis & alicujus bonæ frugis operibus præmittere soleant; verum etiam in ludicris, aut turpitudine plenis; quas postea in Prophetam suum verbosissime congerunt. Neque alia est apud eos historiam inchoandi methodus,

methodus, quæ quibuſcumque libris communis eſt. Mox ubi ad rem ventum eſt, ampullatis verbis, & quidem multis pauca dicuntur, ſtilo illo qui conſtat abſtruſiſſimis & rarioribus vocibus minutatim per ὁμοιόπτωτα, conciſis, quo mirificè afficiuntur. Talis Hamadeddin Iſpahanenſis in hiſtoria Salaheddini, & qui Timuris res geſtas deſcripſit, Arabſcha, ut complures alii: ſi Poëticam autor excoluit, ſæpe narrationis filum, ut carmina ſua vel aliena ingerat, abrumpere ſolet, quæ rarò ad rem pertinent. Vulgò non alium quàm temporum ordinem ſequuntur, veterum noſtrorum Chronicorum more. Res Chriſtianas vix attingunt, niſi bella cum Imperatoribus geſta, & ea præſertim quæ expeditionis ſacræ causâ pugnata ſunt in quibus deſcribendis multi ſunt diligenter verſati, adeoque non modò cum fructu leguntur: verùm abſque illorum ſubſidio, vera rerum illarum hiſtoria haberi vix poteſt, cùm autores Geſtorum Dei per Francos, quamvis reliquos ſui temporis antecellant, familias Orientales, dominorum mutationes, leges, religionem & multa alia Muhamedanis propria, non ſatis explicaverint. Solus prope Makrizius in Ægypto deſcribenda multa de Patriarcharum ſucceſſione ſcripſit: nec pauca de Eccleſiis & Monaſteriis, ſua ætate conſervatis, quæ non facilè alibi reperiantur.

Chriſtiana hiſtoria, non meliori apud Arabes, quàm ſæcularis conditione fuit: nam in ea primus propemodum habitus eſt Eutychius, & eum exſcripſerunt plerique, præterquam illis in rebus, quæ ſecundùm ſectarum diverſitatem, aliter ab Orthodoxis, aliter ab Hæreticis tractatæ fuerant. Porrò cùm liber Latinè dudum exſtet, jamque multis eruditorum ſententiis judicatum (De Scriptoribus Arabicis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Eutychius.)

ſit, nullam in rebus antiquis eſſe illius autoritatem, pauci erunt omnino qui communi illi judicio non adquieſcendum potiùs exiſtiment, quàm Hottingeri, Seldeni, Pocockii, & aliorum contrariæ opinioni. Sufficiat ad tuendam autoris famam, quòd res Muhamedanas ſatis accuratè retulerit, quo nomine laudatus olim fuit à Willelmo Tyrio: at antiqua Græca monumenta vix eum conſuluiſſe, aut id negligenter admodum præſtitiſſe certiſſimum eſt: & quæ ad Jacobiticam ſectam pertinent aut ad Neſtorianam, neglexiſſe vel ignoraſſe.

Elmacinus. Elmacini hiſtoriæ prima pars nondum edita, ex Eutychio contracta eſt, adhibitis tamen paucis aliis hiſtoricis præſertim Epiſcopo Menbigenſi ſive Hierapolitano, quem alicubi ab aliis nominatum legimus, ſed de eo plura non ſuppetunt. Quiſquis porrò ille fuerit, Eutychio poſtponendus eſt, ut ætate inferior, fuit. In ea verò parte quæ Jacobiticam ſectam propius attingit, ut eſt narratio rerum in Calchedonenſi Concilio geſtarum, Elmacinus, qui eam profitebatur, relicto Eutychio, communem ſuæ Eccleſiæ traditionem ſecutus eſt, & in aliis uſque ad Arabum tyrannidem vitas Patriarcharum Alexandrinorum, quorum ſæpius in ſecunda ſua parte meminit. Quam parum autem ex ea profecerint qui eam legerunt, aut qui ex ea hiſtoriam Alexandrinæ Eccleſiæ contexere aggreſſi ſunt, multis clariſſimis argumentis fiet manifeſtum.

Chronicon Orientale. Ex eadem Patriarcharum hiſtoria depromſit quidquid de illis habet autor Chronici Orientalis ab Echellenſi Latinè tantùm editi: & de quo judicare difficile eſt, cum Arabicè à nemine viſus huc uſque fuerit, nec ejus titulus occurrat in ampliſſimis catalogis. *Ebnrabeb*,

seu *Benalrahebum*, autorem vocatum fuisse conjicit Echellensis; nam nomen in ejus codice non exstabat: illud sufficit, expressum esse satis fideliter ex majori illa quam diximus historia; sed cùm illud interpres sine notis, quæ summè necessariæ erant ediderit, non magna inde lux affulsit obscurissimæ historiæ.

Igitur cùm his solis præsidiis instructi desperaremus prorsus materiam historicam, quantùm opus erat ad successionem Patriarchalem Jacobitarum, posse colligi, nacti sumus ex insigni ditissimaque Codicum Orientalium, aliorumque cujuslibet facultatis aut linguæ, Bibliothecâ Regiâ Historiam illam Patriarcharum, ex qua fluxisse certum videbatur quidquid Elmacinus & alii de Alexandrinis Christianianorum rebus scripserant. Liber est majori forma duobus voluminibus distinctus, scriptus ante annos circiter quadringentos eleganti & perita manu, quodque singulare est, eâ ipsâ quâ scriptus fuit codex integerrimus & optimus Collectionis Canonum Arabicæ Jacobitarum in Bibliotheca Seguieriana. Partem aliquam illius operis habuit Stephanus le Moine *Variorum Sacrorum* autor, ut olim cùm Lutetiam venisset, inde ad Batavos profecturus, mihi retulit: qualis verò foret dicere non potuit. Mirum porrò eum qui in sua illa collectione, tam libenter eruditionis Orientalis lumina chartis suis illinere solet, ne minimam quidem istius historiæ, unde multa instituto suo convenientia petere poterat, mentionem fecisse. Habuerat quoque librum eumdem Echellensis, ex Bibliothecis Italiæ, nam utitur ejus testimoniis adversùs Seldenum in Eutychio vindicato. Regius Codex Gilberti Gaulmini quondam fuit libellorum supplicum Magistri, viri harum lingua-

Severi historia Patriarcharum Alexandrinorum.

rum peritissimi, cujus Bibliothecam optimis Orientalibus libris refertam, cui literæ plurimùm debent, Vir Clarissimus Joannes Baptista Colbertus, ut in Regiam transferretur, curaverat.

Eâ potissimum usi sumus.

Illam tandem historiam ut in manus sumsimus intelleximus ex ea colligi posse magis accuratam rerum Ægyptiacarum Christianarum notitiam quàm ex editis quibuscumque. Ita post diligentem illius libri lectionem, agnoscere facile fuit, multa ex eo ad Ecclesiæ utilitatem posse decerpi, quæ huc usque obscurissima fuerant: atque adeo de illius integra versione videbatur cogitandum. Eam expetebant qui de Orientalibus Scriptoribus ita judicabant, ut Græcis inferioris ævi similes existimarent, aut saltem barbaris illis nostris Chronographis, qui licet virtutibus omnibus historicis destituti, fide & simplicitate commendantur. Sed qui Eutychium aut Abulfaragium, eximios Arabum judicio historicos legerunt, intelligent procul dubio, quàm inutiliter labor tristissimus suscipiatur interpretandi, autores quos absque perpetuis commentariis, etiam cum versione intelligere rerum Orientalium imperitus nemo possit. Quotus enim quisque est qui ex Elmacino Latinè loquente, vel mediocrem Orientalis historiæ notitiam hauserit: aut ex Eutychio Alexandrinæ Ecclesiæ mutationes, strages, formam denique quam sub Infidelibus Imperatoribus, recepit, hæreses novas, si quæ fuerunt, aut peccata contra disciplinam varia, didicerit? Hæc autem omnino meliùs intelliguntur ex ea quam damus historiâ, sed eam tamen totam interpretari, non visum est operæ pretium.

Cur integram versionem suf-

In prima parte scilicet quamvis Severus Aschmo-

ninæ Episcopus, monumenta quæ Græcè & Copticè extabant in Monasterio S. Macarii se consuluisse testetur, vix quidquam tamen circa primorum Patriarcharum historiam refert quod primævæ antiquitatis colorem habeat: imò Acta Græca, si quidem ulla consuluit, (neque enim ullo vel levissimo indicio animadvertitur, illum Græcè scivisse) ea erant quæ, judice Bollando & Papebrochio viris gravissimis, non sincera, sed interpolata esse constabat. Eusebii historiam Ecclesiasticam, aut librum de Martyribus Palestinæ vidisse eum, vix credibile est. Itaque ex longo & tædii plenissimo labore non alium respublica Christiana fructum tulisset, nisi quod nugas meras, & fabularum cumulum Græcis & Latinis quæ jam diu explosæ sunt, adjecissemus. Intactas illas à censura relinquere, ut interpretes aliarum historiarum fecerunt, puditum fuisset: eas autem refellere, & veritatem, quæ à tot viris doctissimis explicata est, iterum demonstrare, inutilis & infinitæ operæ fuisset. cipere non est visum.

Consultius igitur visum est, totam illam historiam in compendium reducere, neglectis iis quæ pleniùs in Græcis Latinisque monumentis leguntur, omissisque fabulis, nisi fortè ad traditionem illarum Ecclesiarum illustrandam pertinerent (ex illis enim aliquando veritas elicitur) & ea referre tantummodo, ex quibus Jacobiticæ Ecclesiæ successio & forma agnosci possent. Quia tamen sæpe jejunior est Arabum narratio, emendationeque opus habet, ex aliis autoribus ea seligentur, quæ ad eam illustrandam videbuntur necessaria. Ita brevitati consuletur, neque tamen omittetur quidquam quod ad fidem, disciplinam, mores & instituta Ecclesiarum. Ea in compendium redacta, & illustrata.

ſpectet, qui præcipuus eſſe debet hujus lucubrationis fructus. Ea quippe ratione conſtabit numeroſam illam Jacobitarum ſectam, quæ, ſi Monophyſitarum hæreſin excipimus, ſervavit majorum ſuorum traditionem circa Sacramenta, præcipuaſque alias cultûs divini partes, teſtem eſſe omni exceptione majorem, perpetui cum Græca Latinaque Eccleſia conſensûs, circa ea quæ à Proteſtantibus rejecta ſunt, tanquam ſuperſtitiones & ſacrilegia. Quæ etiam alibi probavimus, credi ab illis hæreticis & quotidiano uſu frequentari, majori in luce collocabuntur, cum variis ex hiſtoria exemplis, eos, non illa docere modò in libris Theologicis & Officiis Eccleſiaſticis, ſed perpetuò obſervaſſe conſtiterit. Dabimus exempla aliquot, ex quibus documenta certa capere quiſque poſſit.

Ex ea hiſtoria probantur multa quæ ad doctrinam pertinent.

In Eutychio nihil laudabilius viſum eſt Seldeno atque aliis Epiſcopatûs everſoribus, quàm narratio illa ſingularis de Preſbyteris Epiſcopum Alexandrinum ordinantibus, ex ſuo numero. Nihil quoque inanitatem illius fabulæ æquè demonſtrat, ac ſimplex hiſtoria primorum Patriarcharum, ex qua conſtat reliquos Sacerdotes, Epiſcopos, & plebem ad eos eligendos conveniſſe, Ordinationem non niſi ab Epiſcopis factam, & eo ritu qui Græco ſimillimus ſit, cujus forma Pontificali libro conſignata eſt poſterioribus ſæculis. Nullos in Ægypto Epiſcopos ante Demetrii tempora exſtitiſſe, Seldenus idem, ex malè intellectis Eutychii verbis, affirmavit: at multorum memoriam, Severi ſola hiſtoria ſubminiſtrat, qui ea in regione floruerunt, & ad novorum Pontificum ordinationem convenerunt: regimen Eccleſiæ per Epiſcopos, quibus ſubeſſent Preſbyteri &

Diaconi : Sacramentorum administrationem legitimam, vetustæque disciplinæ conformem : omnia tandem Græcis Latinisque institutis similia, Protestantium reformationi dissimillima. Liturgiam & alia Officia sacramentalia quæ apud nos in usu sunt, calumniantur Protestantes, tanquam nuper inventa, & à Verbo divino alienissima; Græcas etiam Liturgias eâdem censurâ involvunt. At forma illius quæ inter Ægyptios Jacobitas, saltem à tempore Calchedonensis Concilii usurpatur, Græcam Latinamque eximiè confirmat : si tandem aliis illa autoritatibus careret, frequens præcipuarum ejus partium in hac historia mentio, vana Riveti aliorumque judicia satis refelleret. Quærunt Protestantes argumenta quibus fidem de reali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentia labefactent, veluti novam & apud nos natam: at in hac historia, ea leguntur, quæ eamdem Copticis ante multa sæcula communem fuisse certissimè demonstrant. Ita crucis signum, ejus imagines, alias quoque Virginis & Sanctorum : orationes ad eorum auxilia postulanda, cereos, suffitus, cultum reliquiarum, peregrinationes ad loca sancta ; jejunia cum abstinentia à certis eduliis, carnis macerationes; vitam monasticam : castitatis vota, vasa sacra, festa, publicas supplicationes statis temporibus: omnia tandem, quæ nos Catholici à majoribus tradita religiosè observamus, quæque observari apud Orientales, constat indubitatis monumentorum quæ variis linguis supersunt testimoniis, ea per annos mille ducentos teneri, tanquam Christiani cultûs partes, exemplis ex historia petitis abundè constabit.

Verùm nonnullis fortasse videbitur levis nimiùm & De Miraculis

quæ sæpe occurrunt.

parum firma eorum Scriptorum autoritas, qui miraculis absurdis, & quæ à nobis recipi vix possunt, cùm inter hæreticos facta dicantur, historiam contaminant. Sed hoc non agimus, ut quia hæc Arabicè & in libris rarissimis scripta reperiuntur, non minùs ab eruditis explodantur, quàm Acta Græca & Latina, quæ quotidie ab illis rejiciuntur, & quæ fontem esse plurimarum ejus generis fabellarum omnes agnoscunt. Neque expendimus an inter hæreticos miracula Deus aliquando ediderit; illud solùm certissimum habendum est, eos qui miracula ita referunt, ut ea se credere indubitanter affirment, fidem illam quæ miraculis respondeat habere, & ab ea quæ illa non admittat esse remotissimos. Nemo quippe miraculum apparentis in Eucharistia carnis aut sanguinis, qualia occurrunt aliqua in historia Patriarchali, referre potest, quin realem elementorum transmutationem credat: nemo sanitatem signo crucis, benedictione Sacerdotali, aut reliquiarum tactu procuratam, nisi ea quæ credimus persuasissima habeat. Eâ causâ igitur nonnulla alicujus momenti referentur: inutilia tacebuntur.

Severi historia ab aliis continuata.

Severus historiam ad tempora sua deduxit, eam aliquot alii continuaverunt, Michael Episcopus Taneos, Mauhoub filius Mansour, Marcus filius Zaraa & anonymi usque ad Cyrillum Patriarcham in quo desinunt. An aliquis eam ad ultima ista sæcula perduxerit, scire huc usque non potuimus: nam Abulbircat qui ultra progressus est, & qui eum descripserunt, nuda dederunt Patriarcharum nomina, adjectis annis quo quisque ordinatus est, & diem suum obiit; nihil prætera; atque ex illo indiculo Joannes Michael Wanslebius eum contexuit, qui in ejus historia Ecclesiæ Alexandrinæ reperitur.

tur. Athanasius Kircherus alterum dedit planè factitium ab Ægyptio aliquo imperitè concinnatum, in quo nomina Patriarcharum literis Copticis describuntur, quo scilicet plus ponderis haberet: adjunctæ ex Elmacino, aut ex conjectura notæ, falsi damnatæ sunt plerisque in locis ab eruditis Bollandi continuatoribus. Chronicon ab Echellensi editum, non ultra historiæ nostræ terminos progreditur. Itaque pauca admodum, quæ passim colligere ex aliis libris licuit, ut Ecclesiarum multarum sub Sultanis Mamalukis eversio, & nonnulla ejusmodi appendicis loco subjicientur, quia unde integrum historiæ corpus conficeretur, non occurrebat.

De Chronologia.

In primis sæculis communis est Orthodoxis, Jacobitisque Chronologia, adeoque ad eas Epochas de quibus Chronologi inter se consentiunt res gestas revocavimus: nulla, nisi ubi necessarium fuit, ratione habita quæstionum quæ eruditos exercent in rationibus temporum discutiendis. Nam quæcumque de hoc argumento dici possunt, exhausta sunt dudum à viris doctissimis; quantùm ad ea quæ ex certis monumentis, tam Astronomicis quàm Ecclesiasticis illustrantur: majorem porrò lucem afferri, obscuris Chronologiæ quæstionibus, ex Orientalium libris posse si quis existimet, magnopere fallitur. Nam annos Græci numerant ab Orbe condito, quod etiam Melchitæ Alexandrini dudum faciunt: Jacobitæ Ægyptii utuntur solâ Martyrum Epochâ: Antiocheni Syrique omnes Orthodoxi, Nestoriani, Jacobitæ, ærâ Alexandri, seu Seleucidarum: tandem ex quo Muhamedani totum Orientem subegerunt, omnes, etiam Christiani, annos Arabum more numerant ab Hegira seu fuga impostoris. Observatur

autem autores Christianos cùm factum aliquod insigne notis Chronologicis designare student, & annos secundùm diversas illas Epochas numerant, persæpe peccare graviter, dum annos Hegiræ componunt cum annis Martyrum Diocletianeis. Ingens sanè & quæ hominum in Astronomia non apprime exercitatorum vires superet, difficultas est, in componendis annis & mensibus, quorum diversa initia, diversaque dierum ratio est; abstrusa etiam & intricata embolismorum methodus: tum perpetuum errandi periculum in numeris, Sifris præsertim mendosissimè scriptis, unde nihil certi sæpe elici potest. Si quis tamen his quæstionibus Chronologicis delectatur, eas omnes quæ annos Patriarcharum Alexandrinorum spectant à Bollandianis Sodalibus fusè & accuratè tractatas reperiet: magnâ sanè diligentia, sed quam sæpius fefellit Arabicorum librorum, quos per interpretes legebant, inconcinna Chronologia.

Quæ sit in opere temporum observata ratio.

Igitur ut aliqua temporum ratio haberetur, quantùm in nobis fuit, initia cujusque Patriarchæ & obitum iis notis annorum mensiumque signavimus, quas autores nostri referebant. Annos Martyrum quorum apud eos perpetuus est usus, firmatâ prius Epochâ secundùm meliorum Chronologorum demonstrationes, quæ cum Orientalium calculis conveniunt, ex tabulis exactissimis numeravimus, ut annos Hegiræ, Alexandri, & Æræ Persicæ, si quando occurrunt. Tabulæ verò illæ sunt, quas Joannes Gravius, vir Astronomiæ linguarumque Orientalium peritissimus, nec minùs fide erga Carolum I. regem infelicissimum suum, commendandus, quam in fortunarum suarum naufragio, longoque

carcere incorruptam servavit; Versioni Ulugbeigi à se elaboratæ subjunxit. Eas enim per annos expansos ita disposuit, ut anno æræ Christianæ cuilibet anni Hegiræ, Æræ Persicæ & Alexandreæ, aliarumque, si Diocletianeam exceperis, accuratè respondeant. Illam neglexit, quia usus illius apud Orientales Astronomos dudum nullus est, sed inter Christianos Ægyptios eosque Jacobitas, Æthiopesque illis subjectos tantùm consistit. Cùm porrò Ægyptiacus annus solaris sit: qui annum Julianum habet, alterum habebit continuò, & ex iisdem tabulis annum Hegiræ qui vagus & desultorius est deprehendet.

Præter Severum alii autores adhibiti.

Severo & aliis Historiæ Patriarchalis scriptoribus non ita adhæsimus, ut negligerentur alii quos, ubi necesse fuit, cum primis illis comparamus, ut etiam cum Mari Salomonis filio & Amro Mathæi, qui brevem & Alexandrinâ minùs accuratam historiam dederunt Catholicorum seu Patriarcharum Sectæ Nestorianæ, per Episcopos Seleuciæ & Ctesiphontis ad Apostolica usque tempora multarum fabularum fidiculis perductam. Sunt illi, ut jam diximus paucissimi, sed quidquid alicubi etiam in locis peregrinis repertum est, suo loco referetur.

Communem Chronologiam sequimur ante Muhamedana tempora.

In ea historiæ parte quæ Muhamedana tempora antecedit non alios annos quam vulgaris Æræ notavimus, neque in historia Imperatorum etiam Christianorum ad Orientales calculos revocanda quidquam operæ impendimus, cùm adeo turbata sit Arabum Chronologia, ut nec Imperatorum nomina satis distinguant, quòd in Arabica scriptura difficillimum est, multò minùs res ab eis gestas accuratè exponant. Nullum enim quem sequerentur autorem habuerunt præter Eusebium, cujus

etiam historiam Arabes habuisse non videntur, sed tantùm Chronica, nec ipsa integra. At ubi ad Muhamedanorum tempora perveniemus, cùm ex Græcis Latinisve autoribus res eorum explicari nequaquam possint, brevem illarum notitiam dabimus, quia non fœliciùs ut plurimùm in Orientali historia tractanda successit plerisque nostris scriptoribus, quàm Arabibus in Græca & Latina.

Califarum & Sultanorum successio à plerisque mendosissime descripta est.

Igitur à Muhamede initio ducto, Califarum ejus successorum successionem brevissimè exponemus; tum mutationes varias Principum qui Ægyptum obtinuerunt, quæ pars historiæ obscurissima est, multisque modis, etiam à viris qui literarum Orientalium famâ claruerunt conturbata. Nam inter alios qui præcipuè commendantur, Leo Africanus, qui Italicè; Ludovicus de Marmol qui Hispanicè scripserunt de Africa, cujus res cum Ægyptiacis magnam habent affinitatem, scatent peccatis contra historiam gravissimis. Inter literatos recentioris ævi, primus Josephus Scaliger in Canonibus Isagogicis suis, specimen quoddam Orientalis Chronici edidit, non indicatis fontibus, unde sua deduxerat; (id enim majorem dignitatem habere videbatur) nec sine plausu eruditorum omnium, quorum nemo quidquam simile audierat. Nihil porrò aliud fuit Chronicon illud eximium, quàm Epitome parum accurata eorum quæ libro *Juchassin* sive familiarum suo, Rabbi Abraham Salmanticensis adjecerat, breviter & diligenter ex Arabicis libris digesta. Sed cùm Hebraicis characteribus Arabica vocabula non facilè exprimantur, quæ rectè, quoad ejus fieri poterat, Judæus scripserat, pessimè legit Scaliger, adeo ut pleraque nomina

mirè corrupta sint; tum etiam plura non rectè interpretatus est. Ea omnia potuerunt deinde ex Elmacini historia Saracenica emendari: sed cùm imperfectissima sit, nec mutationes principum satis explicet, præsertim si Latinè tantùm legatur, nulla inde lux affulsit historiæ Ægyptiacæ. Nemo quippe Arabissantium illorum superioris sæculi, eos dico qui lacinias ex Elmacino Arabicè & Latinè commentariis interseruerunt suis, ut eruditulí viderentur, in ea parte non peccavit, si quando ulteriùs progressus est. Ita ille *literarum Orientalium induperator*, ut à palponibus suis vocatus est, Constantinus l'Empereur, Hebraicæ linguæ professor apud Batavos, pessimus Itinerarii Benjamini Interpres, dum autorem, quem non intelligebat, emendare satagit, inscitiam ipse suam, temeritatemque non uno loco prodidit. Eum qui suâ ætate in Ægypto regnabat Califam, Benjamin appellaverat, & rectè: is enim erat ex Fatimidarum familia, quæ Africâ Ægyptoque occupatis in Califatûs quoque jura involaverat. Interpres qui non alios Califas quàm quos Saracenica historia repræsentabat, novisset, Benjaminum vexat, & Hebraicis Arabicisque testimoniis contundit, ut probet alium tum fuisse Califam, nempe Bagdadensem & Abbassidam: hoc erat scilicet probare Bagdadum non esse Alexandriam. Quid porrò ab eo expectandum fuit, qui *Hassissinos*, hoc est ut vulgò loquuntur autores nostri *Assassinos*, quos Benjamin sicarios illos celebres fuisse ait qui principes proditoriè occiderent, ait esse *eos qui Reges serra dissecant*.

In brevi porrò quam historiæ Patriarchali subjungemus Muhamedanarum rerum Epitome, sequemur autores probatissimos, meliorisque notæ, quàm Elmacinus

Epitome historiæ Arabum facta ex probatissimis autoribus.

fuit. Is enim ex editione Erpeniana famam in Europa consecutus est, quam in Oriente exiguam habuit, aut planè nullam: non tam quòd Christianus foret, quàm quòd varietate illa quâ Arabes delectantur caret ejus historia, cùm de viris illustribus vix quidquam referat. Dabimus porrò Califarum successionem, tum eorum principum, qui precariâ, aut supremâ potestate Ægyptum obtinuerunt, mores quoque & instituta, quantùm necesse erit, explicabimus, quæ omnia huc usque obscurissima fuerunt. In ea tamen Orientalis historiæ parte quæ res Muhamedanas attinet, ita versabimur, ut eas tantùm quæ Christianis rebus connexæ sunt attingamus, reliquas prætereamus.

De nupera historia Patriarcharum Alexandrinorum.

Affecta dudum erat Epitome hæc nostra, simulque alia ejusdem generis, sed argumenti planè diversi, successionem eorum Antistitum continens qui se ipsos Ctesiphontis & Seleuciæ Episcopis inseruerunt & Catholicorum nomine totius Nestorianæ sectæ Primatum ab annis mille circiter & ducentis obtinuerunt, cùm ad nos perlatus est Tomus Junii Bollandiani V. cui historiam Alexandrinorum Patriarcharum Jacobitarum præmiserunt immensi illius laboris continuatores doctissimi. Ex illorum igitur virique clarissimi Danielis Papebrochii, qui autor tentandæ illius historiæ fuerat, & ad eam multa congesserat, judicio, aliorumque intellexi, opus istud non inutile planè futurum, cùm quæ mihi venerant in mentem, de fragmentis illis colligendis, ea quoque viris in illa literaturæ Ecclesiasticæ parte exercitatissimis cogitata fuissent. Miratus sum maximam autorum diligentiam qui omnibus propemodum præsidiis literariis Orientalibus destituti, tam multa, obscura perplexaque

in Elmacino Chronicoque Orientali illuſtraſſent, & emendaſſent, illudque ſpecimen Alexandrinæ Jacobitarum hiſtoriæ edidiſſent, quod alia omnia, quæ hoc in genere edita fuerant, longè ſuperaret. Dolui tamen vehementer, cùm ex prima operis inſpectione patuit, præter Eutychium, Elmacinum, Chroniconque Orientale, nihil habuiſſe illos unde plenior & accuratior rerum Alexandrinarum notitia compararetur, niſi tranſmiſſas ſchedas aliquot à viro celebri Jobo Ludolfo, quibus excerpta ex Synaxario quodam Æthiopico, paucíſque eâdem linguâ libris, ejuſque de variis hiſtoriæ locis conjecturæ continerentur.

Fuit ſanè Ludolfus omnium quos Europa noſtra tulit Æthiopicè doctiſſimus, cuique ea lingua plus quàm nemini debet, cùm Grammaticam, Lexicaque ediderit omnibus numeris abſoluta. In hiſtoria non tam feliciter verſatus eſt; cùm enim per annos ut minimum quadraginta quidquid ad res Æthiopicas illuſtrandas ſpectabat magno labore collegiſſet, vix tamen habuerat unde libellum conficeret, donec Hiſtoriam Æthiopiæ ſuperioris, à Baltazaro Tellezio Societatis Jeſu Preſbytero Luſitanicè ſcriptam nactus fuit. Ex eo enim opere, longè plura & meliora didicit quàm ex omnibus ſuis Æthiopibis libris: & Tellezio auſpice duo volumina ſatis ſpiſſa in lucem emiſit, quæ ob materiæ raritatem, novarumque rerum copiam eruditis omnibus acceptiſſima fuerunt. Verumtamen dum evagatur liberiùs, mavultque Æthiopem quemdam ſuum, à quo per ambiguas quæſtiunculas, abſurda multa præſertim circa Religionem exprimebat, quàm Tellezium ducem ſequi, non modò contra veritatem peccavit ſæpe graviſſimè, dum Æthiopes omni

De Ludolfi hiſtoria Æthiopica.

erroris suspicione purgare nititur, sed multa quæ rationes ejus conturbabant, dissimulavit. Totius enim Ludolfini operis consilium ad duo potissimum capita referri potest: primum ut Ecclesiam Æthiopicam, quasi Jerusalem novam, sine macula & ruga nobis repræsentet; alterum ut à Romana alienissimam. Itaque unius naturæ Jacobitica hæresis, Calchedonensis Concilii detestatio: communio cum hæreticis Alexandrinis, Judaicæ superstitiones multæ, polygamia, sacrorum Ordinum profanatio, & similia, nihil illum morantur. At ubi eos à veteri Religione communique omnium Ecclesiarum doctrina & disciplina non defecisse constat ex eorum libris, ut in fide realis elementorum transmutationis in corpus & sanguinem Christi Domini, in reliquis Sacramentis, oratione pro mortuis, jejuniis, cultu Sanctorum, votis monasticis, & multis aliis, nihil non molitur Ludolfus, ut eos Lutheranos esse demonstret. Quàm verò infeliciter hanc causam susceperit, quàmque infideliter in ea versatus fuerit, palam ut speramus facient Dissertationes de Ecclesia Æthiopica nostræ, simulque demonstrabunt, quàm parum subsidii ex Æthiopicis suis libris Ludolfus habuerit, cùm plura & certiora nobis Arabes in historia Alexandrina suppeditaverint.

Historiam Alexandrinam prorsus ignoravit.

At de ea agebatur, cùm viros doctissimos eam docere aggressus est, quàm penitus ignorabat, ut nobis, anno 1684. Lutetiæ cùm esset, sæpe fassus est: & Arabicè sciebat mediocriter. Neque enim Arabicè scire dicendus est, qui ex libro aliquo edito & jam Latinè converso tres quatuorve lineas exscribit, ut nimiùm multi fecerunt; neque aliud quidquam præstitit Ludolfus tam in historia quàm in Commentario, nisi quod pauca

quædam

quædam inseruit ex vita manuscripta Arabica Teklahaimanot cujus excerpta, Lutetiâ proficiscens à me acceperat; plura omisit quæ Latinè conversa non erant. Omnis igitur literaria ejus supellex, quantùm ad Alexandrinam historiam spectabat, Synaxario quodam metrico constitit, quod *Hagiologium* appellavit. *Synaxarium* vocant Græci, librum quo vitæ Sanctorum breviter explicantur, secundùm dierum & mensium ordinem, quales multi exstant editi vel manuscripti, non sine insigni inter codices varietate: alii enim prolixiores narrationes, alii breviores continent: & non nullis subjunguntur hymni ad Sanctos quorum vita descripta est. Similes habent libros Christiani Alexandrini, tam Melchitæ quàm Jacobitæ, utrique linguâ Arabicâ: quia etsi Græca lingua illis in usu sit ad Officia Ecclesiastica, ut istis Coptica, neutra tamen vulgaris est. Talem librum ad usum Melchitarum seu Orthodoxorum habet Bibliotheca Regia: eum qui Jacobitis proprius est inter Ecclesiasticos libros recenset Abulbircat, & recensitum fuisse scribit à Petro, cognomine Eljemil, Episcopo Melichæ. In eo contineri testatur Sanctorum vitas eorumque res gestas, secundùm dierum ordinem, quibus eorum memoria celebratur. Verùm hymni illi, vel potiùs orationes rythmicæ, quæ Copticè non minùs quàm aliæ omnes recitari solent, singulari volumine continentur, qualia extant in Regia, Seguieriana, Colbertina & aliis Bibliothecis. Ex altero volumine illo, quod *Synaxarium* quoque appellatur, expressum fuit procul dubio id quod *Hagiologium* vocavit Ludolfus, & unde excerpta varia ad historiæ Patriarcharum Alexandrinorum autores transmisit. Alterius majoris Synaxarii versionem exti-

tiſſe apud Æthiopes veriſimile omnino eſt, ſed viſa Ludolfo non fuit : nam de ſuo ita loquitur. *Encomium cœlestium & terreſtrium. Hic eſt libri titulus, de autore non conſtat. Poëma eſt inſigne ex Synaxariis Æthiopum, ſanctorum nomina eorumque martyria atque miracula, necnon feſta in Eccleſia Æthiopica recepta metricè referens*, &c. At Synaxaria integra, ſolutâ oratione ſcripta ſunt : ut etiam orationes illæ quæ Copticis Synaxariis continentur : cùmque Æthiopicum metro decurrat, quin genio ſuo Poëta Æthiops indulſerit, non dubitamus. Sanè ex ejuſmodi hymnariis, quamvis integra fuiſſet autorum fides, vix quidquam ad hiſtoriam contexendam colligi poſſe ſatis quiſque intelligit, & excerpta ipſa per ſe loquuntur. Unde cùm præter eos, qui abſtruſam hanc materiam ex Arabicis autoribus diligentiùs tractaverant, ſcire nemo poſſet quàm vana forent Ludolfi promiſſa, multò minùs quàm hoſpes in Alexandrinorum Chriſtianorum rebus eſſet, miramur potiùs autores doctiſſimos tali duce lapſos ſæpius non fuiſſe, quàm quòd nimiùm illius autoritati, quam fama commendabat, aliquando tribuerint. Nec dubitamus eos neglexiſſe multa, quæ illis ſuggeſſerat, quorum levitas aut falſitas effugere limatiſſima eorum judicia non poterat, cùm omnia prope quæ religionem ſpectant aliundè tranſtulerint, & Ludolfi obſervationes varias inſuper habuerint, circa Æthiopicæ Eccleſiæ fidem, cujus hiſtoriam mirè corrupit, ſi quidpiam occurrebat, quod in Alexandrinæ dedecus redundaret, quæ alterius parens & magiſtra eſt. Et iſtam quoque læſit non perfunctoriè, dum Æthiopum pravas conſuetudines, quas Patriarchæ Alexandrini ſæpius damnaverunt, excuſare nititur : tandem ſi illum audiamus,

Præf. ad Lex. Æth. Ed. 2.

erunt Æthiopes, atque adeo Alexandrini Jacobitæ, immunes ab omni hæresi, etiamsi unicam in Christo naturam agnoscant; Synodusque Calchedonensis, Leo Romanus, totusque Occidens, imo Protestantes ipsi, erunt Nestoriani, quippe qui cum Ecclesia Catholica ejusdem Synodi fidem amplectuntur. Hæc omnia Viri doctissimi prudentissimè rejecerunt, aliamque & veriorem dederunt Ecclesiæ Alexandrinæ imaginem, rudi tamen (aliter enim vix poterat) penicillo adumbratam. Verùm hæc omnia pleniùs ex historiæ variis locis cognoscentur, adjunctis, ubi res ita postulabit, observationibus in quibus ita versabimur, ut non conjecturas, quod fere semper à Ludolfo factum, aut sordidorum autorum testimonia proferamus; sed eorum duntaxat quorum apud Christianos Orientales constet autoritas. Ubi conjectandam erit, ea quæ magis verisimilia videbuntur, proponemus: in aliis obscurissimis ignorantiam nostram ingenuè profitebimur.

Erunt fortasse quibus displicebit quòd, cùm plerique à quibus de Ecclesia Alexandrina aliquid ab annis plus minus triginta scriptum est, Wanslebium ubique appellent, alii ut eum exscribant, multi ut refellant, eorumdemque sæpe librorum uterque testimoniis uti soleamus, rarissima duplicis ejus operis mentio sit, primi quod Italicâ linguâ; alterius quod Gallicâ nostrâ edidit. Sanè neque dissimulare per quos profecerim, animus fuit, neque Wanslebium, quo antequam in Ægyptum proficisceretur usus sum familiariter, vel minima suæ laudis parte fraudandum existimavi, multò minùs ad tetras de ejus operibus Ludolfi sententias accedendum; adversùs quem si parum officiosus fuit, nostrâ non inte- De Wanslebii Operibus.

reſt. Verùm ſi eum in Æthiopica lingua magiſtrum habuit Wanſlebius, in Arabica & rebus Ægyptiacis, multa Ludolfus ab eo diſcere potuiſſet: res igitur ita ſe habet. Cùm ille ex Ægypto & Cypro multa volumina auſpice viro Clariſſimo Joanne Baptiſta Colberto, emiſſet Regiis impenſis, eaque Lutetiam tranſmiſiſſet, ut in Bibliothecæ Regiæ jam Orientalibus codicibus refertiſſimæ cenſum referrentur, eos libros omnes tractaveram, priuſquàm Wanſlebius ex Ægypto rediiſſet, omniaque ad Orientalium Eccleſiarum fidem & diſciplinam illuſtrandam ſpectantia collegeram, antequàm ſua edidiſſet. Itaque nihil inde ſumtum, materia omnis ex libris quos conquiſiverat & multis aliis comparata fuit, neque tunc de edendis Diſſertationibus meis cogitabam. Ut prodiere duo illa Wanſlebii opuſcula, tanti illa viſa non ſunt, ut me ipſe retexerem, cùm inſpicienti ſatis pateret, quàm parum hoc in genere præſtitiſſet, multaque illi & præcipua deeſſent, ad ea explicanda, quæ docere alios aggrediebatur. Qui hæc noſtra legent agnituri ſunt procul dubio, ſcrinia nos illius non expilaſſe, quod, qui de eo contemtim loquuntur, multi fecerunt, & non uno loco, ipſe Ludolfus. At ubi hallucinatus eſt, hominem vellicare & refellere, niſi quando neceſſarium fuit, non ſuſtinuimus, cùm in ejus libris, qualeſcumque ſint, multa nova, & priùs ignorata reperiantur.

De propriorum nominum ſcriptura.

Occurret in propriis nominibus inter orthographiam illius, noſtramque & aliorum diverſitas, quod incommodum in peregrinis illis linguis vitari vix poteſt. Itaque vix unum reperias qui Arabica propria nomina Sultanorum, Urbium, Provinciarum, iiſdem Latinis literis expreſſerit, præſertim Arabica. Qui ea ut vulgo nunc

pronunciantur exprimunt, non magis inter se consentiunt, cùm non uno modo, etiam ubi Arabica lingua vernacula est, efferri soleant. Nos magis communem simplicemque sequimur, ut scilicet per *A* clarum exprimantur ea nomina quæ adjunctam Elif habeant; ubi ea carent, per *E* aut *I* breve, quod ad *E* vel *A* Anglicum accedat: *I* longum & *O* aut *Ou*, ubi adjunguntur vocales duæ ejusdem soni. Itaque ***Abulbircat*** scripsimus, cùm Wanslebius efferat ***Abulbaracat*** & alia similia: in celebrioribus vulgarem usum, ut plurimùm, secuti sumus, neglectis articulis, nisi ubi in nomina ipsa ex consuetudine coaluerunt, ut in Almansor, Almamon, & aliis similibus, apud Europæos scriptores notissimis.

Prima hujus historiæ pars traditionem Jacobitarum complectitur.

In prima hujus Epitomes historicæ parte quæ res ante Muhamedanum imperium gestas complectitur, non tam historiam quàm Jacobitarum traditionem exhibere nos, ultro fatemur, quam omisisse melius fuisset, nisi foret aliquis fructus etiam in falsis illis narrationibus colligendis, non ut inde historiæ lumen accedat, sed ut opiniones quibus olim fascinati fuerunt à magistris erroris, veteres Syri & Ægyptii, certiùs cognoscantur. Frustra enim Missionarii qui Hæreticos Nestorianos vel Jacobitas ad unitatem Catholicam reducere satagunt, historiam rerum in Ephesino, vel Calchedonensi Conciliis gestarum exponent ex Epitome Annalium Baronii, quam Arabicè olim scripsit P. Brixius Redonensis ex Capucinorum sodalitio, tantâ cum negligentiâ, ut ne nomina quidem propria, ut ab Orientalibus scribi solent, expresserit. Neque magis juvari possunt ex Eutychii Alexandrini historia, quando autor Monophysitis & Nestorianis, æque suspectus est: cavet etiam ne aliorum tra-

ditionem referat, quam sciri tamen interest.

De admistis fabulis.

In antiqua historia ante scissas per hæresim & schismata Ecclesias, etsi multis in locis fabulas narrent sæpe numero Orientales scriptores, in illis refellendis, non multùm operæ ponendum existimavimus, cùm primorum sæculorum res gestæ dudum à viris doctissimis explicatæ sint: atque adeo ab autorum longis allegationibus abstinere visum est: hæc enim omnia per se notissima sunt. Illis tantùm illustrandis immorati sumus, quæ cùm autores aliqui nimis extollerent, ut ea quæ de Nicænorum Patrum historia Echellensis protulit; aut Eutychium Seldenus & Hottingerus, ut Episcopatum impugnarent, aut quisquilias Æthiopicas Ludolfus, ut absurda multa eliceret: ea quantùm in nobis fuit elucidare conati sumus.

Quidam autores neglecti sunt.

Sunt autores Orientales quorum testimonia contemsimus & jure merito, quales omnes prope fuerunt quos Maronitæ testes proferunt perpetuæ suorum majórum in fide Orthodoxa constantiæ, ut eos à Monothelíticæ hæreseos labe vindicent; Joannes Maro scilicet, Gabriel Klai: Chronicon Maroniticum & si qui sunt alii, quorum testimonia qui produxerit, præter tres aut quatuor Maronitas reperimus neminem, imò qui eos noverit. Et quod alio in opere fusiùs demonstrabitur, quæ ex illis producuntur, ejusmodi sunt, ut indubitata præferant novitatis aut falsitatis indicia.

Verba aliorum allegata tantùm ubi opus fuit.

De aliis, quorum certa autoritas est, & quorum testimoniis frequenter utimur, monemus, nos illorum fidem religiosè secutos esse, verba tamen ipsa non nisi quando necessarium fuit retulimus, quod si factum fuisset, in nimiam molem excrevisset nostra hæc Epi-

tome. Neque etiam ſemper illorum titulis margines oneramus, hæc enim diligentia non valde neceſſaria eſt in allegandis Codicibus Manuſcriptis, qui paſſim obvii non ſunt : præcipuorum indicem dabimus, ut etiam inſigniores Bibliothecas in quibus reperiuntur indicabimus.

Monendum quoque eſt in tota hac hiſtoria *Miſra* nomen Arabum exemplo uſurpari, quotieſcumque de veteri Kahira agitur. Novam enim quæ Kahira propriè dicitur ab ea diſtingunt, cùm vetus à Muhamedanis expugnata ſit, altera à Fatimidis poſt multos annos ædificata. Foſtata quæ ab Amro filio El Aſſi condita eſt, eo ipſo loco ubi tentorium fixerat ab aliis diſtincta, *Foſtata Miſra* idcircò appellatur, quia veteri fuit urbi contigua. In eadem urbe antiqua, major erat omnino Chriſtianorum numerus, quia præcipuæ Eccleſiæ illic erant cùm novas ædificare vix liceret ſub Arabum tyrannide. Id porrò obſervandum erat quia Ludolfus, quod ſatis mirari nemo poſſit in Schedis ad viros doctiſſimos tranſmiſſis hæc ſcripſit. *Nulla etiam urbs Miſra nobis nota eſt, ſed Memphis vel Cairus.* Attamen notiſſima fuit omnibus qui hiſtoriam Ægyptiacam vel leviter attigerunt, quod Elmacini & Geographiæ Nubienſis ſexcenti loci ſatis demonſtrant, præter Geographos & hiſtoricos ineditos. Neque Memphin vel Cairum illam urbem appellant, quæ nunc vulgari inter Europæos Kahiræ nomine deſignatur. Nam *Menf* adhuc appellatur, urbs antiqua quæ ex altera parte Nili ſupereſt, ad cujus partem oppoſitam interfluente fluvio, Foſtata ædificata eſt, unius Stationis ſive octo Paraſangarum itinere diſtans. Eam eſſe veterem Miſram, primamque urbium Ægypti à

Miſram ubique appellamus Kahiram, ut vulgò dicunt, veterem.

Abulfed. Geogr. n. 6o.

Makrizi. Yacuthi. Ebn Verdi, &c.

Id. n. 66.

Pharaone conditam vulgò tradunt Arabes. Itaque Misram vocamus Kahiram veterem, prope quam erat Πυρεῖον vetus, quod *Kasser el chemah* dictum ab Arabibus fuit, quasi *Castrum luminum*, antiquitus *Babelion*: unde Babylonis Ægypti nomen Kahiræ veteri adhæsisse, rectè observavit vir his literis ornatissimus, & solidè doctus Jacobus Golius, ex Yacuto, & aliis Geographis Arabibus, à quibus plura exspectari non poterant, cùm remotiorum antiquitatum sint imperitissimi. Quæ porrò Ludolfus de Michaele LIII. Patriarcha scribit *quod ceræ domum vel commercium Judæis vendiderit*, ab Elmacini, quem illustrare aggressus erat, mente alienissimum est; cùm sensus simplicissimus is sit, vendidisse eum ut impositam sibi mulctam solvendo esset, possessiones quasdam Ecclesiæ, *Castro luminum, sive cereorum*, veteri scilicet illi Pyræo contiguas. Nec veriora plerumque sunt quæ de rebus Ægyptiacis, tam in historia & commentario, quàm in schedis ad viros doctissimos missis continentur.

Not. ad Alfraganum, p. 152.

De rebus Æthiopicis.

Mirum id minùs videri debet, quàm quòd in illo magno opere, multa ad res Æthiopicas spectantia, quæ ex Historiæ Patriarchalis autoribus collegimus, non occurrunt, quæ viri laboriosissimi diligentiam effugisse nonnulli mirabuntur. Sed cùm, ut alibi dictum à nobis est, Alexandrina historia Ludolfo prorsus ignorata fuerit, Æthiopes rerum suarum memorias nullas habeant, ex Synaxario & paucis quibusdam libris aliis nihil unde juvari vel mediocriter posset nactus est. Quæ à nobis referuntur certa sunt, cùm pleraque ad Metropolitarum Æthiopiæ ordinationes pertineant, quæ in Alexandrina Ecclesia non alibi celebrabantur; unde illius historici,

rici, testes eorum quæ viderant aut audiverant sunt locupletissimi, pluraque nos docent, quàm huc usque libri omnes Æthiopici.

De rebus Antiochenis.

De Antiochena quoque Jacobitarum Ecclesia multa ex Historicis Alexandrinis collegimus, quæ ad utriusque Ecclesiæ antiquam communionem pertinent, & quæ alibi haud facilè reperiantur. Quippe id habuit Alexandrina Ecclesia, præ Antiochena ejusdem sectæ Jacobiticæ, quòd licèt hæreticos & per vim intrusos, Episcopos tamen semper vidit, aut in ipsa urbe, aut in Monasteriis: tum quòd statim atque Ægyptus in Arabum potestatem venit, integram Patriarchæ in Christianos suæ sectæ autoritatem recuperaverunt. Contra verò Jacobitæ Antiocheni, cùm sub Imperatoribus Christianis pulsi urbe fuissent, eaque sæpe illorum armis recepta fuerit, vix unquam conquieverunt: & pauci inter eos aliqua doctrinæ laude floruerunt. Itaque de illorum rebus vix quidquam occurrit, adeo ut successio Patriarcharum ex certis monumentis designari nulla possit, ne Græcorum quidem, cùm hiulci sint multis in locis illorum catalogi. Unde præter illa quæ variis hujus Epitomæ locis inserta sunt, nihil nobis occurrit, unde vel leve specimen Antiochenæ Jacobitarum Ecclesiasticæ historiæ posset delineari. Erit igitur operæ pretium, ut qui literarum Orientalium præsertim Ecclesiasticarum studiis incumbent, tam in Bibliothecis, quàm in Oriente, nova subsidia unde hæc historia illustrari possit conquiri satagant, ut etiam ea quæ res Nestorianorum in majori luce possint collocare.

Quædam eo in genere non contemnenda collegimus ex Opere Historico-Theologico Amrou filii Ma-

thæi, qui Maris filii Salomonis historiam redegit in compendium. Illa nunquam, ut existimo, in Europa visa est, cùm neque in ditissimis Bibliothecis Vaticana, Regia, Florentina, Seguieriana, Colbertinave extet, aut mentio illius occurrat in aliarum celeberrimarum Catalogis: & si illa reperiretur, multa fortasse enucleatiùs exponerentur, quæ strictim Epitomator prosecutus est. Ex ejus tamen opere successionem Catholicorum, ut vocari solent Nestorianorum Patriarchæ, confecimus, quæ in historia obscurissima non nihil lucis afferre poterit. Verùm quandoquidem nulla unquam fuit Jacobitas inter & Nestorianos societas, nihilque inter se commune habuerunt, paucissima ex illo Opere in hanc Epitomen transtulimus. Quòd si vita suppetet illa Dissertationibus de Ecclesia Nestoriana dudum affectis, & ad editionem paratis adjungi poterit.

Atque hæc ferme sunt quæ ad Historiam Patriarcharum Alexandrinorum præfari oportebat, cui multa deesse satis intelligimus, quæ eruditorum diligentiam desiderent. Optandum quippe foret, ut sicut res Jacobitarum, quas prope solas Autores quibus usi sumus suppeditaverunt, ita Melchitarum sive Orthodoxorum ex Arabicis Autoribus possent explicari. Sed Græci autores vix Patriarcharum nomina nobis exhibent, adeò ut eorum successio obscurissima sit: res Ecclesiasticas sub Muhamedanis transactas vix attingunt. Tandem si peregrinæ istius historiæ cognitio, aliquam Ecclesiæ & Reipublicæ literariæ utilitatem affert, aliosque excitat ad hæc studia excolenda, fructum laboris non mediocris satis amplum cepisse nos arbitrabimur.

INDEX
PATRIARCHARUM ALEXANDRINORUM.

HISTORIA



MARCUS EVANGELISTA ALEXANDRINUS PATRIARCHA PRIMUS.



ARCUM Evangeliſtam Petri Apoſtolorum Principis diſcipulum, Ægypti, Pentapoleos, omniumque tandem quæ Alexandrino Patriarchæ olim ſuberant, Provinciarum Apoſtolum fuiſſe, Cathedræque Alexandrinæ fundatorem, conſtans Græcæ Latinæque non minùs quàm Orientalium omnium Eccleſiarum traditio eſt. Ea non modò à Severo quem præcipuè ſequimur, ab Eutychio, Elmacino, Autore Chronici Orientalis, Abulfaragio, Ebnaſſalo, Canonum Arabicis Syriaciſve Collectionibus perſcripta eſt, verùm etiam à Muhamedanis qui varios rerum Ægyptiacarum commentarios ediderunt. *Makrizi deſcript. Ægypti Mſ. Ar. t. 2.* Hinc vulgatiſſimus apud omnes titulus *Evangelicæ ſedis*, Alexandrinæ attributus, quia ab Evangeliſta Marco inſtituta eſt. Verùm de hiſtoria D. Marci cùm jam à multis ſæculis nulla ferme extent monumenta Eccleſiaſtica, quæ multis fabulis inquinata non ſint, eaque interpolatio Actorum veterum antiquiſſima ſit, adeo ut viri docti eam quinto ſæculo ſuperiorem judicent, mirum eſſe nemini debet Coptitas qui Græcis libris uti nonniſi per interpretes potuerunt, quique ſub duriſſima tyrannide Muhamedanorum jactati vix unquam conquieverunt, nihil in ſuis originibus habere quod ex corruptela iſta & colluvie fabularum quarum amantiſſimi ſunt, propagatum non fuerit. Quæ enim in antiquis Monaſteriis à ſe conqui-

sita & lecta testatur Severus, eadem & deteriora etiam fuerunt Græcis illis Actis quæ ad 25. Aprilis Bollandiani socii ediderunt, quæ vix aliter à doctis commemorari solent, nisi ut refellantur. Omissis igitur quæ alibi pleniùs tractata sunt, Orientalium solam traditionem referemus.

De Marco Coptitarum traditio.

Scribunt illi Marcum non Judaicæ originis fuisse, sed Africanum, natum in Pentapolis urbe quadam, patre Aristobulo, cujus frater erat Barnabas. Erant divites, sed cùm Habissinorum atque Barbarorum incursionibus facultates omnes amisissent, in Palestina sedem quæsiverunt, prope Hierosolyma. Marcus tunc Joannes appellabatur, magnamque à prima pueritia pietatem demonstrabat: neptem Aristobuli & Barnabæ Petrus Apostolorum princeps uxorem duxerat. Ea occasione Marcus, nam ita deinde appellatus est, veniens Petri sæpè domum, ab eo sacras literas didicit, fideque Christiana imbutus est. Leonem & leænam circa Jordanem occurrentes, in nomine Christi fugavit, vicinoque monte omne talium ferarum genus depulit. Eo miraculo pater & patruus se illi in disciplinam tanquam patri tradiderunt, Christique servos se esse professi sunt. Maria mater Marci, soror erat Barnabæ Apostolorum discipuli.

Aliud insigne miraculum ab eo editum commemorant circa urbem, inquiunt, Azdoud appellatam, à cujus civibus arbor olea colebatur; cùmque lunam adorarent, ad eam arborem orabant & vota faciebant. Eam Marcus, ut infidelibus significaverat, oratione dejecit: simul ipso meridie tenebris lucem obscurantibus luna visa est, ex qua vox audita quæ cultores astrorum Deo famulantium increparet. Inde multi ad fidem conversi. Alii casu arboris sacræ furiosi, Marcum verberatum & diu vexatum Judæis tradiderunt, à quibus in carcerem conjectus est. Sed eadem nocte, apparente sibi Christo, januis apertis, custodibusque somno sopitis, liberatus est. Hæc atque alia similia figmenta passim occurrunt in Græcorum Actorum collectionibus, quas tam in variis Metaphrastæ MSS. codicibus, quàm apud Bollandum consulere quisque potest.

Marcus unus ex septuaginta Christi discipulis.

Marcus, ut Severus prosequitur, unus fuit ex Christi discipulis septuaginta: unus etiam ex ministris qui ad nuptias in Cana Galilææ hauserunt aquam quæ in vinum mutata est. Is etiam quem amphoram aquæ bajulantem secuti sunt Apostoli in domum Simonis, ubi ultimum Pascha paraverunt: ipse etiam qui discipulos in

domum suam recepit Passionis tempore, ubi post resurrectionem congregatis illis apparuit Christus, cùm ad eos januis clausis introivisset.

Post ascensionem Domini Marcus Petro comes adjunctus, verbum Dei Judæis annuntiavit Hierosolymis, tum Bethaniæ & vicinis in locis. Dein Petrus per somnium apparente sibi Angelo monitus est ut Marcum Alexandriam prædicandi Evangelii causâ mitteret; quod factum est, inquit autor, an. 35° post ascensionem Domini, cùm priùs Romæ simul prædicassent.

Quo anno Alexandriam missus. P. 230.

De anno missionis D. Marci in Ægyptum aliter scribunt non Græci modò & Latini, sed etiam Orientales, Chronicum nempe Alexandrinum an. Ch. 40. nempe 3. Caii. Eutychius an. 49. Orientale Chronicum Echellensis, propius ad Severi calculos accedit dum eam statuit 7. Neronis anno, J. C. 60. Aliter Elmacinus qui martyrium Marci assignat 1. ejusdem Imperatoris anno, post septennium in Evangelii prædicatione consumtum, atque ita profectio ejus incideret in an. J. C. 53. verùm frustrà in Orientalibus libris Chronologiæ stabilitas ulla quærenda est, cùm ipsi sibi frequentissimè, etiam in eadem pagina contradicant.

Ipse sibi Severus manifestè contrarius est, cùm statim scribat, post ascensionem Domini Apostolos inspiratione divina divisisse inter se provincias, in quas singuli proficiscerentur Evangelii annuntiandi causâ: Marcum sortitò accepisse Ægyptum & Alexandriam, atque eò profectum, cùm idololatriæ immersum populum reperisset, plurimos tamen tum prædicatione, tum miraculis ad fidem convertisse. Communis porro autorum opinio est, eum à Pentapoli prædicationem incepisse tanto successu, ut partim idola frangerentur, arboresque fatidicæ profanis mysteriis consecratæ, à Neophytis exscinderentur. Hæc Severus & alii Orientales, quæ etiam in Actis Græcis interpolatis occurrunt.

Alexandriam venit. Eutych. t. 1. p. 328. &c.

Divino monitu Alexandriam profectus est ut in ea verbum Dei annuntiaret. In ejus aditu rupto calceo ad sutorem divertit qui illum resarciret: Is cùm manum subulâ perforasset, exclamavit *εἷς Θεός, unus Deus;* nam hæc græca verba Severus transcripsit. Marcus audito nomine Dei veri, gratias agens quòd spem haberet non infeliciter suscepti itineris, postquam in faciem prostratus orasset, luto vulnus liniens hominem sanavit. Ab eo domum deductus hospitioque susceptus, Christum illi annuntiavit, tanquam antiquitus in Scripturis promissum & per Prophetas prædictum, qui in

fine temporum corpus acceperat ex Maria Virgine. Tandem ille & vi doctrinæ & miraculo quod ipse expertus fuerat convictus, fidem amplexus est, & cum universa familia sua, multisque ex vicinia baptismum accepit, quorum exemplum plures alii secuti sunt. Is Hananias erat seu Anianus.

Interea per urbem vulgatum est advenisse Judæum hominem, qui cultum Deorum impugnaret, atque ab idololatria averteret, unde Idololatræ insidias illi struxerunt. Eas cùm rescivisset Marcus, Anianum sutorem illum ordinavit Episcopum, tres sacerdotes & septem Diaconos. His undecim viris commisit plebem fidelem ut eam in fide confirmarent, illisque valedicens in Pentapolin reversus est. Ibi duos annos permansit prædicans Evangelium, ordinavitque Episcopos, Sacerdotes & Diaconos in omnibus illis provinciis. Deinde reversus est Alexandriam, ubi fideles in fide confirmatos & numero credentium auctos non sine magna lætitia reperit. Statim Ecclesiam in loco prope mare *Boucolia* dicto ædificare aggressi sunt.

Martyrium. Cùm vero Infideles accepissent eum in urbem rediisse, famâ miraculorum quæ ab eo edebantur ubique diffusâ, nihil omiserunt, ut eum perderent. Tandem Dominica Paschæ quæ eo anno incidebat in 29. diem mensis Pharmuthi, quo etiam die Idololatræ festum celebrabant, eum diu quæsitum ad altare in Ecclesia invenerunt. Irruentes igitur in eum, alligato ad collum fune, eum trahere cœperunt, tanto furore, ut corpore ad saxa lacerato sanguis undique flueret. Vesperè eum in carcerem conjecerunt, deliberaturi quo supplicio illum afficerent. Eadem nocte apparuit ei Angelus, qui dixit illi: *Marce serve Dei, ecce nomen tuum scriptum est in libro vitæ: annumeratus es sanctorum multitudini: spiritus tuus gloriam Deo dicet cum Angelis, corpus tuum non peribit, nec desinet esse super terram.* Evigilans dixit levatis in cœlum oculis: *Gratias tibi ago Domine Jesu Christe, oroque ut me ad te suscipias, ut læter in bonitate tua.* Postea cùm rursus obdormiisset, apparuit ei Dominus ea specie, quâ cum discipulis suis erat conversatus, dixitque ei: *Pax tibi Marce Evangelista mi electe.* Marcus respondit: *Gratias ago tibi salvator meus Jesu Christe, qui dignum fecisti me ut paterer pro tuo sancto nomine.* Infideles eodem modo quo prius fecerant, raptaverunt illum fune ad collum alligato, donec sanctus cùm dixisset, *Deus meus in manus tuas commendo spiritum meum*, animam Deo reddidit.

Infideles, collectâ lignorum magnâ copiâ, corpus ejus cremare aggressi sunt, eo in loco qui dicitur Angelium. Verùm ingens tempestas cum terræ motu, tonitru & pluvia, eos ita conturbavit, ut multi extincti fuerint. Fideles corpus sanctum ex pyra eduxerunt, illæsumque repertum in Ecclesiam detulerunt, ubi sacro celebrato precibusque super eum peractis ex more sepelierunt, ut quotannis memoriam ejus cum lætitia celebrarent. Sepultus est Marcus ad Ecclesiæ latus Orientale eo ipso die quo martyrium consummavit. Diem assignant, nempe ultimum Pharmuthi secundùm Ægyptios: qui dies respondet VIII. Kal. Maii secundùm Romanos, estque 24. mensis Nisan secundùm Hebræos. Ita Severus quem ex hoc loco manifestum est non Græcis modò Actis usum, sed aliis etiam ex Latino versis: nam ea verba VIII. Kal. Maias, ita scripta sunt, ut planè ab eo intellecta non fuerint, & sanè divinandum fuit ut ea agnoscerentur. Barmuda, seu Parmuda, aut quocumque alio modo scribatur, nomen Arabicum detortum est ex Ægyptiaco Pharmuthi, qui mensis respondet ei quem Syri Nisan appellant, quique Romano Aprili respondet in Nomenclatore Coptico Arabico. At in Romana & aliis Ecclesiis memoria S. Marci celebratur non VIII. sed VII. KAL. Maias, atque adeo emendandus est Severus, neque enim aliter calculus ejus sibi aut cum aliis autoribus, Kalendariisque constaret. Elmacinus secunda solennitate Paschæ passum asserit, quæ tunc fuit dies 30. Pharmuthi, & 24. Nisan. Conveniunt Acta Latina vetusta apud Bollandum, mensis Ægyptiaci nomen Græca Acta conservant. Atque ita Chronicon Orientale. *Elmac. l. 1. Mss. Ar. P. 319. April. 25.*

Annum verò martyrii maximè controversum esse apud Orientales testatur Elmacinus: *Cùm*, inquit, *inter historicos alii eum sub Claudii, alii sub Neronis principatu Alexandriam venisse; fidemque prædicasse & passum fuisse scripserint.* Eutychius an. 1. Neronis, vita à Kirstenio edita 14. Claudii Cæsaris: hoc est ejus ultimo, quod idem est. Verùm hæc omnia Chronologica frustrà ab Orientalibus elucidari quisquam speret: atque adeo de anno quo Marcus passus est, deque aliis rebus illius gestis qui plura volet, adeat Historiæ Ecclesiasticæ viri cl. Tillemontii partem 2. ubi omnia hæc accuratè tractata sunt; & uberiùs in notis explicata, ex quibus intelligitur omnia ferme quæ à Severo & aliis autoribus, tanquam ex vetusta Ecclesiarum Ægyptiacarum traditione referuntur, ex illis Actis interpolatis, tum Græcis tum Latinis, esse descripta, quæ docti quicumque corruptissima esse judicant, *Annus Martyrii. Eutych. t. 1. p. 336.*

nec aliter fidem mereri, quàm ubi potiori autoritate confirmantur.

Anianum in ſede Alexandrina conſtituit.

Marcum, etſi plerumque inter Patriarchas primus numeratur, Anianum tamen, vel ut alio nomine appellatur, Hananiam in ſede Alexandrina collocaſſe conſtans ejuſdem Eccleſiæ omniumque ferme traditio eſt; neque tamen idcirco Hananias primus Patriarcha numeratur à Severo, ſed ſecundus. Atque ita ferme omnes rerum Ægyptiacarum ſcriptores, etiam Muhamedani ut Makrizius.

Marci reliquiæ.

Communis quoque apud omnes opinio eſt de reliquiis D. Marci Alexandriæ ſervatis, ad ejuſque ſepulcrum Patriarcharum electorum conſuetudo fuit, vigilias agere, ejuſque benedictionem captare, ut multis exemplis in hac hiſtoria fiet manifeſtum.

Evangelium quâ linguâ ſcripſerit.

Evangelium à Marco ſcriptum, ut nemo dubitat, ita autores non conſentiunt quâ linguâ ab eo ſcriptum fuerit. Sunt enim qui, ut communis doctorum virorum ſententia eſt, contradicente licèt Cardinale Baronio, exiſtimant eum Græcè ſcripſiſſe; ut vitæ quædam Evangeliſtarum, & autores multi teſtantur, ſecuti potiorem veterum autoritatem. Alii, ut multi apud nos, ſcripſiſſe aiunt eum linguâ Latinâ: atque hæc fuit Eutychii ſententia, & id ejus verba ſignificant: nec opus erat tot inanes commentarios attexere, ut Seldenus fecit, ad probandam acceptionem vocis notiſſimam. Etſi enim *Roum* non modò apud Muhamedanos in Alcorano, ſed in uſu ferme quotidiano, Græcos ſignificet, præſertim eam partem quæ ex eadem acceptione, Romania ſeu Romelia huc uſque appellatur, attamen *Roumia*, non Græcam linguam, quæ *Younania* dicitur, ſed Romanam ſeu Latinam ſignificat. Et qui accuratiùs locuti ſunt ut eam ſignificationem expreſſiùs confirmarent, addiderunt *Frangiet*, ut intelligeretur ſe non de Græca lingua quæ Rumeliis vulgaris foret, hoc eſt Græca, ſed de Latina Francica, hoc eſt hominum, Latinæ linguæ, quos Francorum nomine comprehendunt, verba facere. Tertia ſententia eſt, ſed rarior, obſcuriorum quorumdam Ægyptiorum, qui ex caritate erga patriam opinati ſunt Marcum quando quidem Coptitis, ſeu Ægyptiis Evangelium prædicavit, Copticè illud ſcripſiſſe: ita Abulbircat & pauci alii. Hæc verò opinio nullo idoneo teſte nititur, imò vel ex eo falſa eſt quòd Græca lingua Alexandriæ & in tota Ægypto inferiori vulgatiſſima erat, cùm in Barca, Pentapoli aliiſque pro-

Orig. Eccl. Alex. p. 152.

Abu'bircat. Mſ. Eutych. p. 337.

vinciis ubi eum Ecclesias instituisse tradunt, nullus esset eidem linguæ locus.

Superest ut paucis referatur ex Eutychio fragmentum illius historiæ quæ duodecim Presbyterorum institutionem spectat, quia locus ille admodum vexatus est à Protestantibus, præsertim Seldeno. Is cùm esset in Presbyterianorum Catharorum turbulenta factione non postremus, magnique inter literatos nominis, perditæ suæ causæ præsidium in autore Arabe quæsivit, cùm alia omnia deficerent. Nondum editus erat Eutychius, cùm ipse an. 1642. laciniam ex eo opere publicavit, cum vægrandi commentario. Verba referemus Seldeni ipsius interpretis, quamvis non minora flagitia contra Grammaticum Orationis Arabicæ sensum, quàm contra Theologiam contineant. *Constituit item Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania qui nempe manerent cum Patriarcha, adeo ut cùm vacaret Patriarchatus, eligerent unum è duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, & Patriarcham eum crearent: & dein virum aliquem insignem eligerent, eumque Presbyterum secum constituerent, loco ejus qui sic factus est Patriarcha, ut ita semper extarent duodecim. Neque desiit Alexandriæ institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim usque ad tempora Alexandri Patriarchæ Alexandrini qui fuit ex numero illo* CCCXVIII. *Is autem vetuit ne deinceps Patriarcham Presbyteri crearent. Et decrevit ut mortuo Patriarcha convenirent Episcopi qui Patriarcham ordinarent. Decrevit item ut vacante Patriarchatu eligerent sive ex quacumque regione, sive ex duodecim illis Presbyteris, sive aliis, ut res ferebat, virum aliquem eximium, eumque Patriarcham crearent.* Et paulò pòst: *Sed verò ab Hanania quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandriæ, usque in tempora Demetrii Patriarchæ ibidem, is fuit Patriarcha Alexandrinus undecimus; nullus erat in Provinciis Ægypti Episcopus, nec Patriarchæ ante eum crearunt Episcopos; ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos fecit.* Huc usque Seldenus.

Patr. I. De duodecim Presbyterorum historia & Eutychio.

Orig. Eccl. Alex. Eutych. t. 1. p. 331.

P. 29. Ed. Lond.

Mirum sanè est literato homini venisse unquam in mentem, posse se unius autoris barbari qui decimo sæculo scribebat testimonio evertere antiquissimam, & Ecclesiæ coævam de Episcopis per tres alios Episcopos ordinandis traditionem, aut inauditum

Autoritas Eutychii nulla.

alibi quàm apud hæreticos veteres, & quidem paucissimos, dogma de paritate Episcoporum & Presbyterorum stabilire. Unde explosus huc usque ab omnibus Seldenus fuit, contentus infœlici illa laude, & cujus bonum civem pudeat, quàm apud Parlamentarios furiosos & parricidium anhelantes, quod post annos aliquot perpetraverunt, consecutus est. Athanasium non ex Presbyterorum duodecim collegio ordinatum, sed ex Diaconis assumtum observaverunt viri doctissimi, neque tamen impugnatam ab Arianis fuisse electionem illius quasi contra leges Ecclesiasticas factam, etsi omnes vel minimas calumniandi illius occasiones quæsiverint. Epiphanium docere morem Alexandrinis fuisse ut Episcopo defuncto statim ejus successor eligeretur, ne cives ad seditionem promti, tumultuandi si longiùs electio protraheretur, locum haberent.

De electione agit, non de Ordinatione Patriarchæ.

Et sanè nihil evidentius quàm agi de Alexandrini Patriarchæ electione, non de ejus ordinatione, quod ipsa Eutychii verba palam faciunt; nam idem verbum Arabicum, quod *constituere* significat, is autor eadem in periodo duplici Latino expressit, nempe ut ad Ordinationem sacramentalem referri viderentur, quæ ad electionem tantummodo pertinebant. Illius igitur testimonii tota sententia est Marcum Evangelistam instituisse collegium Presbyterorum duodecim, ex quorum numero Patriarcha novus eligeretur. Secundò ut ab illis ipse eligeretur. Fuisse aliquam in Alexandrina Ecclesia consuetudinem hujusmodi, docet Hieronymi locus quo non alius Protestantibus notior & inutilior. *Nam & Alexandriæ à Marco Evangelista, usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum Episcopum nominabant :* nisi quid aliud singularis disciplinæ caput intellexit Hieronymus, suo tempore notissimæ, sed nobis incompertæ.

Ep. 85. ad Evagrium.

Neque tamen de ea verum scripsit.

In Ecclesia sane Melchitica, hòc est Orthodoxa, cujus erat Patriarcha Eutychius, ut in singulis Ordinibus Ecclesiæ Ministrorum, ita & inter sacerdotes unus erat qui Πρῶτος simpliciter vocabatur, ut ex Balsamone & aliis notum est. Vigebat quoque ea dignitas in Jacobitica : nam ut ex historia Chaïlis 46. Patriarchæ constat, qui ordinatus est circa an. J. C. 743. Protopresbyter dum electio tractaretur aliorum omnium nomine quemdam proposuit. Verùm quod omnem circa singularem hanc Eutychii narrationem suspicionem tollit, Severus qui accuratiùs omnino quàm ille de rebus

rebus Alexandrinis scripsit, nec in Marco, nec in Heracla vel Demetrio aut Alexandro simile quidpiam memoriæ prodidit, imò totam fabulam contrario testimonio evertit. Quippe statim in Cerdonis electione describenda, qui 3us post Marcum numeratur, scribit : *Sacerdotes & Episcopos qui ejus vices in provincia administrabant, statim atque audierunt Melianum* (ita 3um vocant) *diem suum obiisse, Alexandriam convenientes, habito cum Orthodoxa multitudine consilio ad eligendum successorem, sorte jacta, Cerdonem in quem ceciderat, Patriarcham constituisse.* In vita Primi, & Marciani meminit Severus conventus habiti, in quo plebs Orthodoxa Episcopum suum eligeret : in vita Claudiani, eam scribit cum Episcopis electionem fecisse. Quòd si à plebe electus, non à duodecim illis Presbyteris, multò minùs ex eorum numero : neque enim de ullo primorum illorum Antistitum scribitur quòd ex duodenario illo numero assumtus fuerit. Eligebat porro plebs Episcopum, sed non sola; aut si aliquis à plebe, hoc est Laïcis, expeteretur, requirebatur ut Episcoporum & Sacerdotum consensus accederet. Si quando Sacerdotalis ordo & Episcopi congregati aliquem promoveri satagerent, necesse erat, ut eorum suffragia plebis consensu firmarentur. Hinc solennis ille ritus, qui nondum desiit apud Coptitas, ut antequam novus Patriarcha ordinaretur, proponeretur ab Episcopo antiquiore nomen Electi : si probaretur, clamabant omnes ἄξιος voce græca, quæ ad postrema usque sæcula conservata est. Testes ejus ritus omnes qui de rebus Ecclesiasticis scripserunt : eumque accuratè exponit Ebnassalus in ultima parte Operis, cui titulus *Collectio fundamentorum fidei* : similiterque Abulbircat, autor scientiæ Ecclesiasticæ, Anba Gabriel Patr. Alexandrinus in Rituali, & alii. Ne quis autem existimet otiosè hæc dicta esse ab illis autoribus, obstant multa electionum ita celebratarum exempla, nullius omnino etiam posterioribus sæculis quæ à solis Presbyteris facta sit, multò minùs legitur ordinationem Patriarchæ ab illis factam. Neque enim talis fuit Coptitarum, quorum historiam scribimus, ignorantia Canonicæ disciplinæ, ut nescirent ad quos ordinandi supremos Antistites autoritas pertineret, aut sacerdotibus jus non esse illos ordinandi, qui ne minimos quidem ministros constituendi jus haberent. Fusè de hoc argumento tractaverunt Ebnassalus alter in Canonum collectione, Echmimensis in sua, tum alii multi qui de disciplina scripserunt, quorum nemo abit à communi circa Ordinationes Ecclesiarum Græcæ Latinæque disciplina,

Pontific. Seguier. Copt. Ar. Mss. Abulbirc. Ebnass. Abuseba.

Si quid igitur veri continet Eutychii relatio, non aliò referendum est quàm ad electionem duodeno illi Sacerdotum collegio permissam, tum privilegium, ut ex eodem novus Episcopus assumeretur, quod factum tamen non fuisse, eorum quos diximus electio à Severo relata declarat. Adde quòd præter Elmacinum qui Eutychium transcripsit, nullus est qui illius traditionis meminerit. Eam tamen, etsi in Jacobitica secta viveret, servavit Elmacinus, homo nullius in historia judicii, adeo ut prima illius pars non edita, secundâ quæ nomine *Historiæ Saracenicæ* edita est, longè deterior censenda sit: sed non illi solùm, verùm omnibus ferme Orientalibus Scriptoribus consuetudo est, ut quidquid legerint quocumque in loco, in suos libros transferant. Sed quæ dicta sunt ad Seldeni commentarios evertendos sufficiunt, quos etiam egregiè confutavit Abrahamus Echellensis in Eutychio suo vindicato. In eo enim libro ostendit de electione, non de ordinatione Patriarchæ actum fuisse ab Eutychio, Patriarchas Alexandrinos à Plebe seu Laïcis, Clero, Episcopisque electos, nempe ut omnium aliarum Ecclesiarum disciplina præscribebat, ordinatos fuisse ab Episcopis: eam verò manuum impositionem quam Eutychius designavit dum scribit, undecim sacerdotes alios, noviter electo manus imposuisse, non eam fuisse quæ ad χειροθεσίαν propriè dictam pertineret, & quæ foret characteris Episcopalis efficax, sed χειροτονίαν sensu singulari, quæ ad solam suffragii ferendi rationem pertineret. Id multis autoritatibus probat, utiturque inter alios Severo nostro, ut doceat apud Christianos Orientales cujuscumque sectæ ordinationem nullam præterquam per impositionem Episcopalium manuum recipi, quæ sanè constans perpetuaque Melchitarum, Jacobitarum & Nestorianorum fides fuit: neque existimandum esse Ægyptios secundùm suam disciplinam scientes, ne Lectorem quidem aut Diaconum ordinari à Presbyteris posse, talem autoritatem agnovisse in undecim Presbyteris ad Patriarcham ordinandum. Hæc fusè *Eutychius vindicatus* ostendit, Seldenum verò debellare tanti non erat, ut tot ex Orientalium libris testimonia necessaria forent, cùm ex sola Grammatices supinissima ignoratione Presbyterianam suam ἀναρχίαν eum construxisse certissimum sit. Si enim vim vocum Arabicarum intellexisset, scire potuisset eas quas Eutychius adhibuit, non ad ordinationem propriè dictam, sed ad electionem pertinere: quem in sensum ducit tota Eutychii narratio. Neque tamen illa quocumque sensu accipiatur, vera est: nam ut ante

Alexandrum electos ab Episcopis, & Clero non minùs quàm à plebe seu Laïcis videmus Episcopos Alexandrinos, ita post eum quando scilicet electionis jus, à Presbyteris ad Episcopos translatum esse scribit Eutychius, Sacerdotes, Laïcique & conveniebant ad electionem, & eam comprobabant, ut ex hujus historiæ serie satis fiet manifestum.

Quod superest, uno verbo demonstratur Eutychii falsitas & inanitas, de rebus sibi incompertis temerè omninò ea scribentis, quæ cum perpetua temporum omnium disciplina pugnarent. In Græca Ecclesia & ante omnium schismatum hæreseonque memoriam extitisse debuit, si vera erat, collegii illius Presbyteralis institutio, cujus tamen alibi memoria nulla est. Ordinatio Patriarchæ ut omnium aliorum Episcoporum qualiter celebraretur accuratè præscribunt Apostolicæ veteres Constitutiones, quas ut Græci, ita omnes Orientales venerantur, tanquam ab Apostolis, aut eorum discipulis scripto consignatas. At non à Presbyteris, sed ab Episcopis ordinationem Episcoporum, Patriarcharum, omniumque Ministrorum etiam inferioris gradus perfici illæ præscribunt, nec aliter ordinationem ullam antiquitus factam ullo idoneo testimonio ostendi potest. Par est traditio Jacobitarum qui eamdem legem servant, tum in libris, tum in quotidiana disciplina; neque aliter unquam factos Episcopos Alexandrinos, quàm per Episcopalem manuum impositionem, suspicati sunt. Ita nec in historia, nec in Arabum monumentis, nec in Coptitarum, Jacobitarum, vel Orthodoxorum Melchitarum libris quidquam reperitur, quod vel levissimam Eutychio autoritatem conciliet.

Eutychianæ narrationis alii non meminerunt.

Commentarium prolixissimum Seldeni accuratiùs refellere operam esset abuti suam: nam si antiquitatem Ecclesiasticam spectes, nihil infantius, cùm ea quæ ex Hieronymo adduxit, & pauca quædam alia Presbyterianæ sectæ argumenta centies non à Catholicis modò, sed ab Episcopalibus etiam Anglis confutata sint. Orientalis porrò eruditio si cujusquam perstringet oculos, ejus fortassis qui eas literas à limine salutaverit, non qui ad earum penetralia fuerit admissus. Nihil enim omnino ad rem faciunt fragmenta quædam ex Alcorano; Oratio Dominica interpolata à Muhamedanis, & similes quisquiliæ quas ad origines Ecclesiæ Alexandrinæ non pertinere nemo non intelligit. Eas si scivisset, vel ipsorum Muhamedanorum testimonio cognovisset, quas ipse excogitavit ad Presbyteriorum Genevensium formam, illas nec in Ale-

Seldeni commentarius dudum à multis refutatus.

xandrina, nec in ulla alia Orientali Ecclesia locum habuisse. Eam porrò quâ ubique turget eruditionis ostentationem, satis acerbè, non tamen iniquè exagitavit Echellensis, demonstratâ ejus imperitiâ, etiam in rebus obviis meliorum autorum ignorantiâ, & mala ubique fide. Tale illud est quod de Episcopis commentus est dum ea verba Eutychii interpretatur, *nullus erat in provinciis Ægypti Episcopus*, cùm in Arabico exemplari, vox singulari numero, non plurali occurrat; nempe ut nobis persuaderet, nullos ante Demetrium fuisse in tota Ægypto Episcopos. Attamen eos convenisse ad electionem & ordinationem novorum Patriarcharum, testatur Severus: erant igitur in rerum natura ante Demetrium. Verùm hic locus intelligendus est de inferiori Ægypto sola, quæ & *Mesr* propriè dicitur. Nec debuerat Pocockius qui Eutychium integrum edidit, eadem errata recudere, nisi verisimile esset, eum famæ Seldeni potius, cujus causa ei non displicebat, quàm veritati servisse.

Anianus Patr. II.

ANIANUS, sive HANANIAS, PATR. II.

Anianus à Marco constitutus.

Vivo, ut diximus, Marco, & priusquam in Pentapolin vitandæ persecutionis metu proficisceretur, Anianus quem Hananiam Arabes vocant, Episcopus ab eo ordinatus est, successorque designatus. Factum id ex Apostolorum Discipulorumque Christi privilegio, qui cùm prædicandi Evangelii causâ in varias regiones proficisci cogerentur, Episcopos in præcipuis urbibus ordinabant, adeo ut fundatores Cathedræ Episcopalis, primique Episcopi forent. Verùm Orientalium consuetudo est, ut Apostolos, Apostolicosque viros, à quibus illæ institutæ sunt, tanquam primos Episcopos numerent. Ea ratione Marcus primus Alexandriæ Episcopus censetur: Anianus, secundus; quem ordinem sequuntur Latercula Patriarcharum varia, Eutychius, Elmacinus, ipsi tandem Muhamedani ut Macrizius.

Quæ de eo Severus.

De Aniano Severus hæc tantùm refert. Postquam obiit Evangelista Marcus Apostolus D. Jesu Christi, sedit ejus loco Anianus Patriarcha. Sub eo auctus est majorem in modum credentium in Christum fratrum numerus, ex quibus ordinavit Sacerdotes, & alterius ordinis Ministros. Sedit annis 22. obiitque 20. mensis Atyr (quo die memoria ejus notatur in Coptitarum Calendario) an. 8. Domitiani Imperatoris: sed 3° ejusdem anno ejus mortem

assignat Elmacinus: Catalogus apud Kircherum an. 22. Eum sedisse an. 22. obiisse 20. mensis Atyr: & an. J. C. 87. obiisse scribit Macrizius, obiisseque an. J. C. 87. testatur: quæ communis est Chronologiæ ratio. Eusebius annos quoque 22. Pontificatus ei assignat, nempe ab 8° Neronis anno usque ad Domitiani 4um, atque ita an. J. C. 84. supremus illi fuit. Videnda in eum locum Nota Chronologica Tillemontii: nam hæc accuratè à viro doctissimo expensa sunt. *L. 2. c. 24.* *Tillem. t. 2. hist. Eccles. p. 555.*

Eum verò Hananiam seu Anianum, ut hoc nomen Copticè scribitur, esse asserunt sutorem, qui Marci operâ sanatus & ad fidem conversus fuerat: ita Severus, Eutychius, Elmacinus & alii. Commemorationis dies assignatur in Romano Martyrologio 25. Aprilis cum Marci commemoratione. Ecclesiam sub ejus invocatione Alexandriæ extitisse docet Epiphanius. *Hær. 69. p. 726.*

MELIANUS, seu ABILIUS, PATR. III. ABILIUS Patr. III.

ANIANI successor secundùm Græcos & Latinos, quorum potior autoritas est, Abilius appellatus fuit; atque ita veteres omnes Catalogi, Eusebius in historia & in Chronico, ut ejus Acta apud Bollandum: Coptitæ Μιλωί vocant, Arabes Melianum: tam in Historiis quàm in Laterculis, quorum unum habetur ad Copticum Lexicum ex Arabico interpretatum, aliud ad finem operis Abulbircat & passim alibi. De eo Severus. Congregata est multitudo Orthodoxa, habitoque consilio elegerunt virum nomine Melianum, quem ordinaverunt Patriarcham super sedem D. Marci Evangelistæ loco Hananiæ, seu Aniani. Erat Melianus vir temperans & modestus. Confirmavit autem in fide eos qui in Christum crediderant, atque eorum numerus multiplicatus est, in Ægypto, Africa & Pentapoli. Obiit 1. mensis Toth an. 15. Domitiani Imperatoris. Sub eo Patriarcha Ecclesia in summa tranquillitate fuit. De eo nihil extat aliud in Orientalibus libris, neque in Græcis aut Latinis, quod aliquam certi speciem habeat. Eum fuisse unum, imò primum ex tribus Presbyteris quos Evangelista Marcus ordinasse dicitur ad Alexandrinæ Ecclesiæ regimen, legitur in Actis quibus usus est Bollandus: & id sanè fieri potuit. Quod à Luca Evangelista ordinatus fuisse dicitur in Constitutionibus Apostolicis, pugnat cum Orientalium traditione. *Eus. l. 3. c. 12.* *T. 3. Febr. p. 284.* *25. Apr. p. 349. 6.* *L. 7. c. 48.*

Sedit secundùm Severum an. 12. secundùm Eusebium, & Euty- *Eus. l. 3. c. 14.*

Eutych. t. 1. p. 147. Tillem. t. 2. hist. Ecc. p. 601.

chium cui ferme consentit Orientale Chronicon annis 13. cui ultimo accedit Elmacinus qui numerat annos 12. menses novem. Ejus memoria celebratur in Martyrologiis 22. Martii.

De ejus nomine.

De diversitate nominis ea nostra conjectura est, ex Abilio factum esse *Milium*, aut *Miloum*, ut Coptitæ scribunt : & ut hoc nomen scribit Macrizius : nempe quia in antiqua scriptura litera B accedebat ad eam formam quam habet M in scriptura Coptica. Nam in Græcis & Latinis libris major omnino est quàm in Arabicis aut Copticis autoritas. Quòd verò Philetius vocatur in Eutychii Latina & Arabica editione, error antiquarii gravissimus est; quem ut multos alios ejusmodi tollere editores debuissent, non portentis nominum, historiam conturbasse.

CERDO Patr. IV.

CERDO PATRIARCHA IV.

Ejus nomen interpolatum.

SCRIBUNT Arabes hoc nomen non uno modo, Severus *Kerdanous*, quæ vox detorta est ex casu gignendi, atque illam rursus editores Britanni quasi data opera nugari instituissent, in Gordium transformaverunt, cùm Cerdonis nomen notissimumt si ex Eusebio antiquisque Catalogis.

In vita prædecessoris ejus scribitur statim postquam Abilius seu Melianus diem suum obiit, ut de ejus obitu ad Sacerdotes & Episcopos qui ab eo in Provincia ordinati erant, fama pervenit, convenisse eos Alexandriam, habitoque cum Laïcis Orthodoxis qui in ea urbe erant consilio, tandem statuisse ut sorte eligerent, qui in sede D. Marci foret collocandus, atque unanimi tandem consensu electum fuisse Cerdonem, virum probum & timentem Deum. De eo nihil præterea Severus : quod enim ex Actis Marci habetur ordinasse eum tres Presbyteros, quorum unus Cerdo fuerit, in incerto est : Synaxarium Æthiopicum traditionis hujus meminit, cujus verba à Ludolfo referuntur in Epistola ad Papebrochium : sed longè adhuc levior Synaxarii, quàm Chronici Orientalis fides. Ejus memoria assignatur in Kal. Coptico 14. Cohiac. Sedit ille annis 11. obiitque 21. mensis Bounæ seu Baïni, Imperii Domitiani an. 15. Unum annum Eutychius detrahit, 10. Pontificatûs tantùm assignans.

P. 111.

Alexandrinam Ecclesiam per annos tres vacasse scribitur in Chronico Orientali; atque ita Pontificatus illius initium cadet in an. J. C. *99*. Verùm non tanti est illius Chronici autoritas, ut

contra Græcorum & Latinorum Autorum fidem, imò contra perspicuum Severi testimonium recipi debeat, cùm vacationis Eutychius & Elmacinus non meminerint. Obitum ejus historia Ecclesiastica assignat an. J. C. 110. Memoria ejus in Græca aut Latina Ecclesia proprium, quem sciamus, diem non habet.

In Severi & Eutychii exemplaribus pro Domitiano, Trajanum substitui necesse est, cujus anno circiter 12. respondet character temporum ab Eusebio assignatus.

PRIMUS PATRIARCHA V.

PRIMUS Patr. V.

Laïcus ante electionem.

ORIENTALIBUS vocatur *Abrimius*, voce detorta ut plerumque solent à Græca Πρῖμος, ut in Eusebii aliorumque Laterculis, & omnibus Historicis. *Erat*, inquit Severus, *ex plebe Orthodoxa*, hoc est, ex Laïcorum fidelium numero, atque adeo ex Coptitarum traditione refellitur Eutychii narratio de sanctione D. Marci, ut non aliunde quàm ex duodecim Presbyterorum instituto à se Collegio, Episcopus Alexandrinus adsumeretur. Primum commendabant insignis Angelicæque similis castitas, temperantia, multisque bonis operibus inclaruerat. Eum igitur eligentes, ordinaverunt & in Marci sede collocaverunt, quam in continua Ecclesiarum pace obtinuit annis 12. Nomen Primi mutandum existimavit Papebrochius, ut Ephræm ejus loco substitueret: sed frustrà. Nam Ephræm Syrum noverunt Ægyptii: neque mirum Primi Patriarchæ memoriam in Kalendario non celebrari, cùm raro primis sæculis alii quàm martyres in eo recenserentur. Syrum verò Ægyptii loco irrepsisse, quòd eo die quo illius memoria fit, 3ª nempe Mesori alter obierit, rem non satis probat. Nam Kalendarium Copticum Ephræmum sanctum simpliciter vocat, quod idem est ac apud nos Confessor, nec illi Patriarchæ titulum adjungit ut aliis omnibus. Obiit secundùm eumdem 3. mensis Mesori an. Hadriani Imperatoris 5°. Consentiunt Eutychius, Elmacinus, Macrizius circa annos Pontificatûs, quos diebus 52. producit Chronicon Orientale. Mortis ejus annus incidit in an. J. C. 122. Dominicamque Julii 27. Mesori mensis Ægyptiacus incipit à 25. Julii Romani, atque ita congruit Coptitarum traditio cum vera Chronologia. De hoc Patriarcha nihil occurrit præterea. Quæ verò ex Hagiologio Æthiopico interprete Ludolfo producuntur, verba sunt ex Copticis aut Arabicis tran-

scripta, quæ si quid singulare continent, fidem merentur ubi meliorum Autorum consensus accedit.

Justus Patr. VI.

JUSTUS PATRIARCHA VI.

MORTUO Primo electus est in ejus locum unanimi fidelium consensu vir pius & sapiens, Justus nomine, qui sedit an. 11. mortuusque est 12. mensis Bounæ seu Baini, an. 16. Hadriani Imperatoris. De eo præter nomen nihil ferme legitur in antiquis monumentis. Eutychius annos Pontificatus ejus 10. numerat. Obitus secundùm Eusebium incidit in an. 14. Hadriani, J. C. 130. qui secundùm Orientale Chronicon incurrit in an. J. C. 133. 12ª Bayni dies convenit 6ª Julii. Cave autem ne sequaris Chronologiam quam Catalogo suo Kircherus adjunxit, ubi omnia turbata tum ab autore, tum ab operis typographicis. Ιουστος vocatur ab Ægyptiis, Justinus à Nicephoro. Eum cum patre & matre baptisatum à Marco, dicitur in Synaxario Æthiopico.

Hist. Eccles. l. 4. c. 5.

Catal. Abulbircat.

Eumenius Patr. VII.

EUMENIUS PATRIARCHA VII.

ELECTUS post Justi mortem Deo & plebi suæ acceptus. Sedit annos 13. ut etiam testatur Eusebius. Mortuus est 10. Babæ seu Paophi, qui dies respondet 7. Octob. anno Antonini Imperatoris 5° secundùm Severum. Sed Eutychius cum ait ordinatum esse an. Hadriani 2. & post annos decem mortuum, atque ita non pervenisset ad Antonini tempora. Elmacinus initia Pontificatus ejus alligat an. 16. Hadriani; aitque sedisse an. 10. mens. 4. ita Macrizius & Chronicon an. 10. dies 122. Secundùm veriores calculos obitus ejus incidit in an. J. C. 143. Antonini 6. In Chronico Eusebiano, Hymenæus appellatur. Nihil sub isto Patriarcha aut ejus prædecessore de persecutione sub Hadriano, quam in Ægypto viguisse sub Primo, Macrizius scribit. Dicitur tamen passa eo tempore sancta Sophia cum tribus filiabus, quarum memoria apud Græcos celebratur 17. Septembris, & 30. apud Latinos. Fidem, Spem & Charitatem vocant ejus filias Græci in Horologio & Menologio. Ejus memoria occurrit in Kalendario Coptitarum apud Abulbircat ad 3. diem Thoth : ut etiam in iis quæ dedit Seldenus : in Synaxario Græco ad 18. Septembris Eumenii, sed alterius, Gortynæ Episcopi.

Hist. Eccl. l. 5. c. 11.

MARCIANUS

MARCIANUS PATRIARCHA VIII.

MARCIANUS Patr. VIII.

MORTUO Eumenio electus est Marcianus, ordinatusque Patriarcha. Sedit an. novem, menses aliquot, vitamque insignem exemplo & pietate duxit. Obiit 6. Tybi seu Tubæ an. 15. Antonini. Dies ille in Calendario Ægyptiaco respondet 1. Januarii. Ita omnes ferme Orientales. Elmacinus scribit ordinatum fuisse Marcianum an. 5. Antonini, hoc est J.C. 143. sedisse an. 9. menses 6. mortuum esse 6. Tubæ, ac ejusdem Imperatoris 15. Ita obiit an. 153. non 149. ut perperam legitur in Chronico Eusebii, qui Marcum illum vocat ut veteres quidam Catalogi. Coptitæ & Arabes, Marcianum.

CELADION, seu CLAUDIANUS, PATR. IX.

CELADION Patr. IX.

KΕλαοδιανος vocatur in Indiculo Coptico: Claudianus à Severo, Eutychio, Chronico Orientali, Elmacino, Abulbircat Makrizio & aliis. Sed credibilius est corruptum fuisse ab Ægyptiis & Arabibus nomen, nam Eusebius & alii Celadionem vocant.

Cùm post Eumenii obitum fideles laici, simulque Episcopi Alexandriam convenissent, unanimi consensu elegerunt virum amore Dei conspicuum, Claudianum nomine, & in Sede D. Marci collocaverunt. Sedit an. 14. Elmacinus diem obitûs quem Severus non designat, ait fuisse 9. diem Abib seu Epiphi, an. 7. Aureliani Imperatoris. Intellige M. Aurelium Antoninum, cujus eo anno mortem Celadionis assignat, & an. J. C. 167. Historia Ecclesiastica. Dies 9. Epiphi incidit in 3. Julii. Quod Claudius appellatur hic Patriarcha, vitium est exemplaris & Interpretis Eutychii.

Nihil præterea de hoc Patriarcha legitur, nisi quòd sepultus fuerit Alexandriæ cum prædecessoribus suis.

AGRIPPINUS PATRIARCHA X.

AGRIPPINUS Patr. X.

NIHIL etiam de eo, nisi quòd electus est à populo Christiano, & impositione manuum consecratus Patriarcha. Sedit an. 12. obiitque 5. Amschiri seu Mechir, hoc est 30. Januarii, an. 19. ejusdem Imperatoris, J. C. 179. ut Autor recentior Historiæ Ec-

clesiasticæ probavit. Severo per omnia consentit Elmacinus. Agrabius nomen nihili, quod qua ratione Pocockius ut multa alia reliquerit, quia ita legebatur in suo exemplari, satis mirari non possumus. Si quis eum imitetur, tot erunt portenta quot nomina. At Agrippinus scribitur, quantùm in hac incommoda scriptura licet, in omnibus Autoribus. Quòd Antiochenus vocatur, in Versione Latina operarum error fuit, nam Arabicus textus rectè habet. Consentit Eusebius circa annorum Episcopatus numerum, atque ita veteres ferme omnes qui Agrippini meminerunt.

Julianus Patr. XI.

JULIANUS PATRIARCHA XI.

ITA vocatur Patriarcha ille apud Eusebium, tam in historia quàm in Chronico, aliisque monumentis Ecclesiasticis. Lulianus scribitur in Codice Severi, sed per errorem manifestum ex primæ literæ productione, qui tum ex Catalogo Kircheriano, tum ex eo qui est apud Abulbircat & alios Autores, debet emendari.

Severus ait fuisse illum sacerdotem in sacris literis interpretandis peritissimum, prudentem, modestum, religiosum, temperantia & morum suavitate insignem. Congregatis igitur post Agrippini mortem Episcopis, habitaque Synodo, cum præsentibus laïcis fidelibus, quæsitum fuisset quis in locum defuncti substitueretur, communi omnium sententia designatum fuisse Julianum, quandoquidem nullus qui eum meritis exæquaret repertus fuit. Itaque per impositionem manuum consecratus, & Patriarcha salutatus est. Scripsit Homilias multas & sermones de Sanctis. Sedit an. 10. & post illum Patriarcham nullus Episcoporum Alexandrinorum in urbe mansit; sed secretò egrediebantur, & ordinationes sacerdotum diversis in locis faciebant, exemplo Marci Evangelistæ. Obiit Julianus 8. mensis Farmuthi, an. 5. Imperatoris Severiani. Eutychius an. 5. Marci Aurelii ordinatum eum scribit, quo eum mortuum Severus existimavit: nam Severianus nomen nihili, quia Aurelium Antoninum aiunt vocatum quoque esse Antonium Severum. Elmacinus 1. an. Commodi, Juliani ordinationem assignat: quæ conciliari non possunt, nec ulla utilitas est in explicandis Autoribus qui perpetuo & insanabili errore Chronologiam perturbant.

Eutyc. t. 1. p. 360.

Eusebius Juliani initium refert ad 19. annum M. Aurelii Antonini Philosophi, ad quem ita propiùs accedit Elmacinus quàm alii,

ſed ne in illis Autoribus conciliandis abutamur operam, Agrippinum mortuum eſſe an. J. C. 179. 30. Januarii ſtatuit Autor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Julianum verò obiiſſe poſt annos Pontificatus decem, an. Chriſti 189. circa 4. Martii, idem Autor obſervat ex Chronici Orientalis obſcura numeratione : qui annus eſt Commodi 9. & 10. Octavus dies Barmâthi incidit in 3. Martii. Barmâth ſeu Barmahat, ut Arabes ſcribere ſolent, eſt menſis 7. anni Ægyptiaci, quem Ægyptii Phamenoth appellant. Atque hæc ſunt quæ de Juliano Patriarcha reperimus in Scriptoribus Arabicis. Græci & Latini non plura memoriæ prodiderunt. Quod ſcribit Severus nullum ab eo tempore Epiſcopum Alexandriæ manſiſſe, non ſatis accuratè dictum videtur : illud, opinor, intelligendum eſt, quòd perſecutionum metu, quæ deinde fuerunt graviſſimæ, urbe excedere coactus fuerit : id porro de Patriarcha intelligendum docet Eutychius, qui cùm de Theona ageret, ait : Chriſtiani autem Alexandrini in ſpeluncis & domibus clam orabant metu Romanorum ne ipſos trucidarent, neque manifeſtò ſe exhibebat Patriarcha in Alexandria. Itaque Epiſcopus plebem ſuam vicatim viſitare & conſolari cœpit, tum etiam Sacerdotes & alios Eccleſiæ miniſtros ordinare, qui in perſecutione fidelibus auxilio eſſe poſſent. Nam anno Marci Aurelii 17. J. C. 177. intermiſſa ab annis circiter tribus perſecutio Chriſtianorum, majorem in modum exarſit, ſuperſtite etiamnum Agrippino. Unde ſatis diligenter obſervavit Makrizius ſævitum ſub eo & ejus prædeceſſore in Chriſtianos fuiſſe, quod etiam Elmacino annotatum eſt.

T. 3. p. 62.

Eutych. t. 1. p. 359.

Porrò quidquid de ſingulari illa Severi obſervatione judicetur, quæ Orientalis Chronici teſtimonio confirmatur, ea de Alexandrino Epiſcopo, non de aliis intelligenda videtur, quem perſecutionis vitandæ causâ urbe exceſſiſſe veriſimile eſt. Neque etiam inde idoneum adverſus Eutychii vel Seldeni potius, narrationem, quaſi ante Demetrium Epiſcopi tota Ægypto nulli fuiſſent, argumentum duci poteſt. Epiſcopos alios fuiſſe, conventus eorum ad eligendos Patriarchas ſatis demonſtrat : neque à Diœceſibus abeſſe alios Epiſcopos, ferebat illius temporis diſciplina. Tanta non eſt Chronici fides ut Severi teſtimonio præferenda ſit, à quo autor quicumque fuerit accepit omnia : interpretem verò Echellenſem lapſum, facilè credi poteſt.

V. Hiſt. Patr. Alex. chronol. p. 23.

DEMETRIUS Patr. XII.

DEMETRIUS PATRIARCHA XII.

JAM ad minus obscura Ecclesiæ tempora pervenimus, quæ quidem in Græcis ac Latinis monumentis pleniùs explicata sunt: in Arabicis plura legimus, sed non ejusdem generis, cùm ut ex tota hujus operis serie manifestum fiet, falsa veris admiscere Orientales ita soleant, ut nisi aliunde lux aliqua affulgeret, impossibile esset omnino ex talibus historicis, quales excepto nemine sunt omnes illi quos sequimur, verisimilis historiæ speciem vel leviter delineare. Quia verò non totius Ecclesiæ sed Alexandrinæ tantùm historiam scribimus, imò traditionis quæ inter Arabes Christianos extat vestigia relegimus: idcirco non aliud præstabimus quàm ut summatim referantur, quæ tum Severus tum alii scripserunt prolixiùs, deinde ea adjicientur à nobis quæ ad ejusdem narrationis veritatem confirmandam aut falsitatem revincendam, ex Historia Ecclesiastica peti possunt, ne fabulis quod ante nos alii fecerunt, aut interpretandis, aut in pauciora verba contrahendis, operam lectorum pariter abutamur & nostram.

Laicus & uxoratus.

Demetrius igitur, ut apud veteres Autores Ecclesiasticos, ita apud Orientales Christianos magna sanctitatis & doctrinæ laude commendatur. De ejus initiis ita scribit Severus. Cùm Julianus Patriarcha in extremis esset, apparuit ei Angelus Domini, qui dixit illi; futurum ut postridie manè ad eum vir quidam veniret, recentemque uvam afferret; eum esse qui post ejus obitum futurus esset Patriarcha. Manè venit ad eum vir rusticus, uxoratus, idiota, qui nec legere nec scribere posset. Ille cùm ad pastinandam vineam exiisset, invenit in ea tempore non suo, uvam recentem, quam ad Patriarcham Julianum detulit. Is eo viso statim adstantibus dixit: Hic est Patriarcha vester quem designavit mihi Angelus Domini. \Illi apprehensum Demetrium retinuerunt, reluctantem, adeo ut vinculis constringendus fuerit, quod deinceps erga plerosque Patriarchas observatum in consuetudinem transiit; & Patriarcham ordinaverunt, descenditque super eum divina gratia. Ea porrò verba non otiosè fortassis accipienda sunt, sed ordinationem Ecclesiastico more factam designant, quam Orientales impositione manuum Episcopalium perfici credunt, tum solennibus etiam Orationibus, quarum præcipuæ sunt illæ quibus divinam gratiam implorant pro ordinando, Ordinationemque perfici

credunt cùm dicunt, *Divina gratia talem designat & eligit ad pascendum gregem Christi*, etsi in verbis est quædam pro rituum diversitate varietas. Ea autem Oratio apud Græcos quoque eadem cum religione & fide dicitur.

Miraculo castimonia ejus probata.

Demetrius etsi matrimonio, ut credebatur, implicatus; tamen Josephi exemplo pudicam semper vitam duxerat, nec uxorem attigerat. Ea res cùm ignoraretur, fuerunt qui ejus ordinationem calumniarentur quasi non legitimè factam, quia uxorem haberet, & secundùm Apostolicos Canones id non liceret: quod tamen excusabant alii testimonio Pauli Apostoli honorabiles nuptias appellantis; sed objiciebatur perpetua consuetudo secundùm quam à D. Marco ad hunc usque Patriarcham, non modò nullus uxorem habuerat, sed omnes virginitatem servaverant. Cùm tamen ea occasione multi fidelium scandalisati forent, monitus est ab Angelo ut salutis gregis sui rationem haberet, bonum quippe pastorem animam impendere pro ovibus suis. Hæc de martyrio cùm intellexisset Demetrius, paratusque esset ad mortem pro Christi nomine subeundam, iterum revelatione sibi facta jussus est aperire plebi sibi commissæ secretum quod ipse solus cum uxore servabat. Itaque in solennitate Pentecostes cùm Liturgiam celebrasset, per Archidiaconum significari curavit ne quis ex Ecclesia abscederet, antequam ad populum verba fecisset. Tum in concionem prodiens jussit ignem accendi, & uxorem advocari. Ipse in ignem ingressus & super prunas ambulans, carbones multos in Orarium conjecit, tum jussa uxore ut eas velo suo exciperet, thus injecit, atque illi præcepit ut per multitudinem populi procederet, & incensum adoleret. His perfectis, professus se non amore gloriæ, sed solius caritatis intuitu, ne quis de se seciùs judicaret, aut scandalum pateretur hæc fecisse; tandem significavit, uxorem suam secum à prima ætate semper pudicè vixisse, neque illam aliter se nisi ex facie novisse, quam utriusque innocentiam & castitatem præsens miraculum confirmasset. Fusiùs hæc Severus; & Autor Chronici Orientalis. Strictiùs Elmacinus, ita tamen ut nihil aliud experimenti factum fuisse scribat, nisi quòd Feria v. majoris hebdomadæ inter Missarum solennia uxorem accersiverit, prunas quæ thuribulo continebantur, eam velo capitis laneo excipere jusserit, thus injecerit, atque eam præceperit Ecclesiam circumire, & incensum adolere, velum ab igne illæsum permansisse, tum Patriarcham qua ratione per annos quadraginta octo simul virginitatem servas-



sent, oratione exposuisse, omnes ab eo temerarii de illius conjugio judicii veniam petivisse.

Quid de hic narratione censendum sit.

Hæc historia quæ nulla aliorum præterquam Arabum, quos designavimus, & Chronici Orientalis autoritate nititur, ea solùm ratione omittenda non fuit, quòd veteris disciplinæ circa Episcoporum cœlibatum monumentum sit non plane contemnendum. Quod enim refertur questos fuisse Christianos Alexandrinos, quasi Demetrius ob initas ante Episcopatum nuptias ad Episcopatum promoveri non potuisset, erat sanè contra veterem disciplinam, quæ ut ex Pauli doctrina manifestum est, unius uxoris virum Episcopum esse voluit: unde tot Canones de bigamis à sacerdotio repellendis. Si quis tamen ex hac narratione probari existimat Demetrium in supremo ordine constitutum uxorem retinuisse, & apud se habuisse; quod quidem nondum satis constitutâ disciplinâ fieri potuit, atque ex contubernio suspicionem natam, quasi adhuc conjugale opus exerceret, id non inviti fatebimur. At ut inde effici queat Demetrium impunè in Patriarchatu cum uxore vixisse, neque valuisse querimonias fidelium, ut tale exemplum contra mores antiquos induceretur, id neque Severi, neque Chronici, neque Elmacini narrationes probant; & quamvis probarent, majori quàm recentium adeo scriptorum autoritate opus esset ad rei tam alienæ à Christianorum moribus veritatem stabiliendam. Verùm non aliud Autores designaverunt, quàm quod non cœlebs, imò qui non virginitatem perpetuam coluisset, ad Pontificatum assumi, Christiani Alexandrini haud patienter tulissent. Eam ut suspicionem evelleret ex hominum animis, probationem per ignem adhibuit, ut eo argumento de perpetua sua uxorisque virginitate constaret. Nec alia sane sententia Autoribus qui eam historiam retulerunt esse potuit, gnaris veteris disciplinæ de Episcoporum castimonia quam Collectiones omnes Canonum repræsentant.

Hinc refellitur Eutychii de duodecim Presbyteris narratio.

Hinc etiam observari potest vel ex ea historia refelli Eutychii de duodecim Presbyterorum collegio narrationem, cùm ex eorum numero Demetrius non esset, verùm ut existimant rusticus & illiteratus, quod tamen incredibile videtur, nec magnam ex Autorum qui ita scribunt testimonio fidem nanciscitur.

Peccata occulta cognoscebat Demetrius.

Narrant Demetrium, Deo revelante, eorum qui ad communionem percipiendam accederent, peccata cognovisse; atque adeo si de illis pœnitentiam non egissent, repellebat eos, monens ut de

tali peccato pœnitentiam agerent, & postea ad communionem venirent. Magnus itaque metus omnes invasit, adeo ut nullus gravioris culpæ sibi conscius auderet expetere communionem, ne peccata ejus à Patriarcha palam fierent.

De Origene Ægyptiorum traditio.

Sed mira sunt quæ deinde narrantur de Origene, quem non modò plerique Græci à multis sæculis, sed etiam Jacobitæ omnesque aliæ sectæ, præter veritatem omnibus probris onerant, magnum interea inscitiæ suæ in rebus Ecclesiasticis documentum præbentes. De illis quæ præclarè ab Origene gesta fuerant, martyrio Patris, voluntaria paupertate, ardore martyrii sustinendi, indefessò sacrarum literarum studio, ne loquuntur quidem. Verùm statim contra omnem antiquitatis Ecclesiasticæ fidem, hæc ferme de eo scribit Severus. Venisse Alexandriam tempore quo Demetrius Ecclesiam regebat, hominem literis sæcularibus eruditum, imo & artibus magicis imbutum, Origenem nomine: qui sacras literas & voce & scripto interpretatus est, ita ut blasphemias multas temerè effunderet, scripturæque autoritatem parvi faceret. Docuisse inter alia quòd Pater creavit Filium; à quo creatus postea fuisset Spiritus sanctus: atque ita unitatem divinæ naturæ in trinitate personarum penitus destruxisse. Propter illas & multas alias hæreses & blasphemias eum ab Ecclesia ejectum fuisse Demetrii sententiâ. Origenem Alexandriâ pulsum in Palestinam venisse & Cæsareæ substitisse, ibique ab illius urbis Episcopo Presbyterum ordinatum fuisse. Deinde Alexandriam rediisse, cùm existimaret posse se in ea Ecclesia dignitatem, quam Cæsareæ consecutus erat, retinere. Verùm negasse Demetrium licere secundùm Canonem Apostolorum, ut Presbyter ab altari ad quod ordinatus fuerat recederet: iret igitur ad Ecclesiam in qua ordinem sacerdotalem acceperat, atque ita rursus Alexandriâ pepulisse. Tum ineptias novis fabulis cumulando scribunt Origenem de recuperanda communione desperantem, ad Judæos transivisse, quibus sacras literas interpretabatur secundùm Codices Hebraïcos, non secundùm Versionem ab Ecclesia receptam, prophetias, quæ de Christo sunt, malignè secundùm literam explicans, sed eorum sensum & veram interpretationem dissimulans. Exemplum referunt, quòd dum Abrahami historiam exponeret, reticuisse diceretur, id quod à Patribus unanimi consensu scriptum erat, vepres illos quibus impeditus aries ab Abrahamo inventus est, crucis Domini figuram fuisse. Hæc fermè de Origene quæ passim

reperiuntur in locis non suis, quandocumque stylum Autoribus adversùs eum acuere visum est. Hujus de Origene tam perversæ opinionis ea causa est. Orientales omnes, etiam illi qui extra unitatem Ecclesiæ sunt, Edictum Justiniani de fide, & quæcumque in eo continentur adversùs Origenem & Origenistas, eadem fermè autoritate valere credunt ac Decreta Conciliorum : atque illa quæ singulari titulo *Canones Imperatorios* appellant. In iis igitur cùm multa legantur adversùs Origenem, ea in suos libros transtulerunt, præsertim Jacobitæ Ægyptii, qui cùm se Cyrilli discipulos profiterentur, scirentque illius, tum Theophili cui successerat, zelum adversus Origenem & Origenis defensores, veritate neglecta cujus eos ignarissimos fuisse, vel ex sola insulsa quam retulimus narratione constat, tum maximè eorum doctrinam secutos se existimaverunt, si in virum magnum contumeliosissimi forent. Neque enim de tota historia Origenis præter ejusmodi fabulas quidquam omnino sciunt. Libros ejus ne ex nomine quidem noverunt : & quæcumque concertationes de ejus libris & doctrina, Catholicos exercuerunt, sunt Orientalibus ignotissimæ. Nihil igitur ad eos ex tam diffusa tamque varia historia pervenit, nisi quòd Origenes à Demetrio Ecclesiâ pulsus est, eò quòd ab alieno Episcopo fuisset ordinatus. Cùm verò Demetrium inter Sanctos numerent, post tot miracula quibus ejus sanctimonia apud eos constat, eum in livoris aut iniqui adversus Originem animi suspicionem adduci non patiuntur.

Narrat præterea Severus de Demetrio, eum ex quo ad Episcopalem dignitatem evectus est, cùm antea literarum planè rudis esset, tanto studio sacrarum literarum & aliorum librorum Ecclesiasticorum lectioni incubuisse, ut doctissimus evaserit. Itaque in extrema senectute cùm ad Ecclesiam lecticâ deferretur, sermones ad populum habebat, diebusque integris, & sæpe etiam noctibus, catecheses continuabat.

Sedit Demetrius secundùm Severum annis 43. atque ita Eutychius, quibus consentiunt Autores alii majoris autoritatis, Eusebius, Georgius Syncellus : licèt alii decennium subtrahant. Nam 32. annos tantùm ei attribuit Chronicon Orientale : Makrizius, & Elmacinus 33. Mortem ejus an. J. C. 231. Alexandri an. 9. aut 10. contigisse probavit Autor historiæ Ecclesiasticæ, cujus diligentiæ addi nihil potest.

Memoria Demetrii assignatur in Calendario Coptitarum, 11. Paophi

Paophi seu Baba ut Arabes pronuntiant : 12. ejusdem in eo quod edidit Ludolphus.

Computi Paschalis autorem illum fuisse, & de ratione Paschatis ad Romanum Antiochenum & Hierosolymitanum Patriarchas scripsisse, ait Eutychius : sed Epactarum & calculi Paschalis revelationem à Spiritu sancto accepisse legitur in Synaxario Æthiopico : cujus verba obscurissima, *institutori abstinentiæ à potu & constitutori ciborum in Pentecoste*, si rectè à Ludolfo versa sunt, significant id quod non minus obscurè Eutychius scripsit, nempe ut jejunii quadragesimalis, quod post Epiphaniæ festum celebratur, tempus præscripserit, quod postea quinquaginta diebus qui à Paschate proximi numerantur, solveretur. Sed hæc tanti non sunt, cùm ea de Epactis opinio plane incerta sit. *Hist. Patr. Alex p. 114. T. 1. p. 361.*

HERACLAS PATRIARCHA XIII.

HERACLAS Patr. XIII.

HIEROCLA vocatur à Severo & plerisque aliis Arabicè scribentibus : Hieroclas in Catalogo Coptico-Arabico Kircheri : Hercol apud Eutychium, ex quo interpres Heraclium formavit, quia Imperator hujus nominis ita vulgò vocatur apud Arabes : nomen planè corruptum apud Makrizium qui Theoclam vocat. Sed de vera ipsius scriptura dubitare non sinit Eusebius, qui de illo multa habet, ut reliqui Scriptores Ecclesiastici.

Mortuo Demetrio, ait Severus electum fuisse ad Patriarchalem Sedem Heraclam, qui prædecessoris tempore docuerat in Ecclesia sacras literas magna cum laude, nempe ut ex Eusebio, Origeneque discimus, Catecheses quas Origenes priùs tanto fructu docuerat, illius curæ commissæ fuerant. Statim atque Episcopatum suscepit, omnem negotiorum Ecclesiasticorum molem transtulit in Dionysium, qui eidem successit, virum nobilem & eruditum. Is cùm idololatra priùs fuisset, Sabiorumque sectæ addictus, & in ea quodammodo præcipuus, ad Christianam fidem ita vocatus est. Sedenti & otioso vetula quædam transiens, codicem obtulit Epistolas Pauli continentem. Earum prima inspectione adeo affectus est, ut numerato pretio ultrà quàm illa petierat, jusserit ut similes libros sibi conquireret, quos allatos aureis aliquot ab ea redemit ; alios adhuc afferri sibi majoris pretii pollicitatione postulans. Tum illa, Quin, inquit, ad Ecclesiam abis, & à Sacerdotibus integrum sacræ Scripturæ librum postulas, qui illum tibi legendum

*Ejus ad fidem conversio.

Ita in Synax. Æthiop.

D

communicabunt? Itaque cùm sacerdotes adiisset, & ab illis integras D. Pauli Apostoli Epistolas accepisset, sacra illa lectione plane mutatus, Demetrium adiit & ab eo baptismum petiit. Postea baptisatus ab eo est, atque gratiam consecutus est, nempe ut verisimile existimamus, Sacramentum Confirmationis quod à veteri Ecclesia acceptum, ut nos Catholici, ita Orientales omnes huc usque conservant, & *Myron*, ab oleo balsamino quod ad unctionem adhibetur, vulgò vocant, aliquando σφραγῖδα, nonnumquam *Gratiam spiritus sancti.*

Adjungit se Demetrio.

Dionysius jam Christianus factus, adjunxit se Patriarchæ Demetrio, ab Ecclesia non discedens, cùm antea inter Sabæos sive Idololatras, Magistri, & quidem præcipui, locum tenuisset; in Ecclesia Doctoris & Catechetæ dignitatem magna sua cum laude sustinuit, confluentibus ad eum audiendum undequaque discipulis, quos inter nominatissimi fuerunt Theodorus, Gregorius, & alius cujus nomen ob defectum codicis legi non potest. Ita quos priùs in Philosophia Græcanica profanaque discipulos habuerat, in Christiana fide discipulos habuit: alios quoque ad fidem convertit. Tandem obiit Heraclas cùm 13. annis Cathedram tenuisset, 8. mensis Cohiac, & appositus est ad patres suos. Plura de eo non scribit Severus: in cujus jejuna exilique narratione peccata multa sunt. Certum enim est, ex Eusebio, omnibusque Ecclesiasticis Autoribus, Heraclam fuisse Origenis discipulum, quod cùm ex odio nominis Origeniani dissimulaverint aut ignoraverint Arabes, fabulam inde commenti sunt de magicarum artium studio, quas Heraclam excoluisse antequam baptisaretur, scribunt ipsi, sed idoneo autore nullo. Sabaismum enim ita solent cum antiqua Philosophia conjungere, ut idem esse existiment, cùm maxime differant. Nam Sabæorum philosophia erat propriè secta Persica sive Zoroastræa, quæ præter astrorum cultum, μετεμψύχωσιν docebat variasque superstitiones magicas adjungebat. Unde etiam si Magorum veterum religio in multis diversa esset à communi *Ignicolarum* quos *Atesehperestan* vocant, hæresi; & à Saducæa quam vocant ꝑ *Zenadekat*, Sabæi Orientales multa cum utrisque communia haberent, sed alia valde diversa, omnes tamen illas sectas Arabes inter se confundunt, adeo ut Sabaismus omnes ferme hæreses contineat, præsertim in Philosophia fundatas, quæ cum Judaicæ, Christianæque religionis doctrina pugnant. Ità sæpe Alcorani Interpretes Sabaismum definiunt: aliter de iis, &

Severus multa in hac historia peccavit.

accuratiùs scribit secundùm quosdam eorum libros, sed plane nugaces, & ex recentiori Ignicolarum, & Brachmanum doctrina compositos Moses Maïmonides in More Nebuchim. Sed hæc non sunt hujus loci, accuratiusque ea explicari nonnisi longa dissertatione possent. Sufficit ad Autorum nostrorum intelligentiam asserere, hoc loco per Sabæorum doctrinam nihil aliud debere intelligi, quàm Græcanicam Philosophiam, cui ut Origenes maximum studium impendit, quò Philosophos qui tunc maximè florebant, & in pretio erant, confutaret, & ad fidem Christianam adduceret, ita ex ejus schola Philosophi magni nominis prodierunt, inter quos non obscurum fuit Heraclæ nomen. Falsus est quoque Severus, dum Heraclam à Demetrio ad fidem adductum scribit, cùm satis constet eum fuisse Origenis discipulum. Sed hæc omnia accuratè pertractata sunt Tomo 3. Historiæ Ecclesiasticæ, adeo ut nihil Autoris diligentiæ adjici queat. *Tillem. t. 3.*

Eutychius Alexandrinus sub hoc primùm Patriarcha datum esse scribit *Papæ* titulum, Alexandrino Patriarchæ. Quia verò magnas hujus loci autoritate nugas olim egit Joannes Seldenus, illius translationem referemus. *Mortuo Demetrio suffectus est Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos constituit viginti. Ex his unus erat Ammonius dictus, Religionis desertor. De quo simul ad Heraclam delata est fama, congregavit is Synodum Episcoporum, & in urbem Ammonii perrexit, ubi re satis cognita & perspecta, eum ad veritatem reduxit. Cùm verò homines audierunt Episcopos vocitare Patriarcham, Abba seu Patrem, inter se dixerunt: Nos Episcopum quemlibet Abba seu Patrem appellamus: & appellant Episcopi Patriarcham Abba, unde sane oportet ut vocemus nos Patriarcham, Papam, id est Avum, cùm sit Pater Patrum. Ita à tempore Heraclæ Patriarcha Alexandrinus dictus est Papa, id est Avus.* Quæ de prima Episcoporum institutione in Provinciis Ægypti, Seldenus ex Eutychio male intellecto ad Presbyterianæ factionis præsidium scripsit, jam paucis refutata sunt, cùm certissimum sit ante Demetrium & Heraclam, Episcopos in Ægypto fuisse, etiam in inferiori provincia, de qua tamen locutus est Eutychius, non de tota Ægypto. Nam ad Synodos aliquot, convenisse Episcopos Ægyptios monumenta Ecclesiastica testantur, qualiacunque sint ea, ex quibus Severus Historiam concinnavit, & Episcoporum ad eligendos Patriarchas convenientium ipse non uno loco meminit. Sed

An ejus tempore Alexandrinus Episcopus vocari cœperit Papa.

Orig. Eccl. Alex. p. 34.

æque ignotum illud quod de Heracla prodit Eutychius, quòd viginti Episcopos ordinaverit. Nempe fieri potuisse nemo negabit, ut per 13. & ampliùs Patriarchatûs annos, talem eorum numerum ordinaverit : at quod novas sedes instituerit credetur, cùm meliorem Eutychio fidejussorem habebimus. Nempe virum non magnæ doctrinæ nulliusque in antiquitate illustranda judicii fefellit obscurus aliquis Chronographus, qui ex Conciliis adversus Origenem congregatis, ubi satis magna Episcoporum Ægypti frequentia fuit ; cùm hæc sub Demetrio contigerint, facilè arbitratus est tum primùm institutos fuisse Episcopos in Provincia *Mesræ*, seu Ægypto inferiori, quia primam eorum mentionem fieri tunc animadvertit.

Origo nominis Papæ. De nomine Papæ nihil magis ridiculum. Patriarchis Alexandrinis nomen istud commune olim fuit non modò cum aliis primarum Sedium, sed cum omnibus Episcopis, præsertim in Occidente. Præ cæteris autem jam ab Athanasio, observamus vocatum esse Alexandrum prædecessorem suum eo titulo Μακαρίῳ πάπᾳ ἐπισκόπῳ ἡμῶν Ἀλεξάνδρῳ : quomodo Theophilum Papam appellat Palladius in vita Chrysostomi. Plura hujus tituli Alexandrinis Patriarchis attributi testimonia collegit vir clarissimus Carolus Cangius in Lexico Græco-barbaro. At quod nomen olim multis Episcopis & Patriarchis commune erat, duobus tantummodo proprium remansit, Romano scilicet & Alexandrino. De Romano nemo nescit : Alexandrino titulus adhuc servatur apud Græcos & Jacobitas. Sed quod mirum est, Schismaticorum facilè princeps, odioque adversus Latinos suo, reliquos omnes superans Theodorus Balsamon, hunc titulum cum reliquis προνομίοις sive Privilegiis ad Alexandrinum Patriarcham pervenisse ait beneficio Romani Pontificis, dum ejus locum Cyrillus obtinuit in Ephesino Concilio. Hæc cùm ignoraret Eutychius ridiculam plane commentus est nominis istius etymologiam, quæ à nemine tradita est. Videri possunt quæ de hoc argumento prolixiùs disputavit adversus Seldenum Abrahamus Echellensis in Eutychio vindicato. Hausit eam traditionem ab Eutychio quem ut alios Christianos Arabes legerat, Makrizius Muhamedanus, etsi ut nunquam non faciunt Orientales, quædam aliter retulerit. *Vocabatur*, inquit, *Patriarcha Alexandrinus Papa jam à tempore Hananiæ sive Aniani, qui primus post Marcum Patriarcha fuit. Ab ejus tempore usque ad Demetrium undecimum Patriarcham non erat in terra*,

De Syn. Arimin. p. 885.

Jur. Gr. Rom. l. 7. p. 450.

inferioris Ægypti Episcopus. At ille in ea Episcopos constituit, & multiplicati sunt in pagis illius regionis sub Patriarchatu Heraclæ. Episcopi Patriarcham vocabant Patrem : Sacerdotes & reliqui Christiani eodem Patris nomine Episcopum appellabant. Instituerunt igitur ut vox Baba seu Papæ, quæ significat Patrem Patrum, Alexandrino Patriarchæ peculiariter tribueretur. Deinde translata est illa appellatio à Sede Alexandrina ad Sedem Romanam, quia illa est sedes Petri principis Apostolorum. Atque inde Patriarcha Romanus cœpit appellari Papa, quod perpetuo usu confirmatum, ad hæc usque nostra tempora perseverat. Hæc ille meliùs profectò quàm Eutychius, etsi plane contra veritatem, prætérquam quòd ut rerum Christianarum parum peritus, discrimen inter veterem Patriarchatum, qualis erat ante discissam Ecclesiam, haud satis intellexit; non erravit tamen, dum titulum hunc in Alexandrinis Patriarchis defecisse scribit. Nec enim alios agnoscebat quàm Coptitas-Jacobitas, qui eo titulo rariùs utuntur. Attamen in Liturgia, quo loco oratur pro Patriarcha Alexandrino : titulus est in Græco Basilianæ codice εὐχὴ περὶ τοῦ Πάπα, *oratio pro Papa* : & in ea oratione *Memento Domine sanctissimi & beatissimi Pontificis nostri Abba N. Papæ & Patriarchæ magnæ urbis Alexandriæ.* Ea verba quæ occurrunt in Marci Liturgia Græcè edita, existimavit interpres Joannes à sancto Andrea ad Romanum Pontificem pertinere; sed de Alexandrino agebatur. Unde facilè in eam opinionem adductus est Makrizius ut crederet hanc honoris prærogativam ad Romanum Pontificem transivisse, de cujus Primatu melius loquitur, quàm Presbyterianus Seldenus. Et sane illum agnoscunt Muhamedani omnes, ut vel ex verbis Edrisii Geographi Nubiensis quæ Seldenus citat, agnosci potest. Sed multò plura alii Autores cùm de Roma scribunt, Abulfeda, Yacutus Hamathæus, Abdelmuhasen & multi alii, quorum sententia una est, *Papam esse Califam Christianorum.* At ex eorum moribus & religione, Califæ suprema erat in Musulmanos omnes autoritas, imo & in Principes, qui ab eo investituras, ut proprio verbo utamur, accipiebant, nec id modò erat illorum erga Califam obsequium, sed honorem primarum in Meschitis precum habebat, adeo ut pro Califa, deinde pro Sultano preces fierent, moneta illius nomine inscriberetur, Diplomata dignitatis suæ, Vexillum, Ensem, Cidarim, picturatam Vestem ab illo acciperent. Ea verò comparatio tantopere olim nostris hominibus placuit, ut sicut

Muhamedani Papam vocabant *Califam Christianorum*, ita Autores bellorum trans mare gestorum, haud aliter vulgò Califam appellare solent, quàm *Apostolicum Saracenorum* *. Quocirca quæ Protestantes de veteri Romanæ Sedis prærogativa scribunt, ea vel nobis tacentibus refellunt Muhamedani, tantumque abest ut ejus primatum in reliquos Antistites omnesque Christianos non agnoscant, ut in ejus autoritate definienda modum excedere quodammodo videantur.

* *L'Apostoile des Sarrazins.* Joinville &c.

Observandum quoque Papæ nomen apud Syros Orientales duplici sensu usurpari : primo quidem simplicem Sacerdotem significat, ut nunc apud Græcos : tum aliquando Antiochenum Patriarcham qui vocatur *Papa Orientis ;* & interdum Catholicos Persidis & Armeniæ, qui dudum vocari solent *Mofrian.* Plura de nomine Papæ qui volet, consulere poterit eruditam Dissertationem de hoc argumento, quam Bollandi Continuatores vitæ Heraclæ subjecerunt.

De Ammonio.

De Ammonio errat quoque Severus, neque enim illum Episcopum fuisse alibi legitur, neque hæresis ullius notatus est à Scriptoribus Ecclesiasticis. Vocatur tamen *inimicus fidei*, quo nomine hæreticus solummodo designari potest, ab Autoribus Historiæ Catholicorum Bagdadensium, Nestorianæ sectæ Patriarcharum : accusaturque quasi Evangelia corruperit, & in Harmonia seu Evangelio διὰ τεσσάρων parum fideliter versatus fuerit. Unde iidem historici subdubitant, num ille autor hujus Harmoniæ censendus sit, an verò Tatianus. Apparet autem etiam ex Catalogo Syrorum Autorum Hebedjesu, veterem hunc errorem esse. Causa errandi, ut videtur, haud alia est quàm quòd Tatiani qui erat in Encratitarum numero hæresin, communem cum Ammonio esse voluerunt, temerè prorsus & futiliter : nam hic Alexandrinus & apud Ægyptios vixit : ille inter Syros : alter Græcè, alter Syriacè scripsit. Fuerunt præterea qui Tatianum accusarent quòd Evangelicorum verborum ordinem pervertisset, ut continuam orationem texeret ; quod cùm factum ab hæretico homine indocti quidam alicubi legissent, statim in suspicionem venere temeritatis nefariæ, quæ in Orthodoxum cadere non posset. Hinc uterque accusatus, & quia ambo in Harmonia Evangelica operam posuerant, quæ ad Tatianum pertinebat hæresis, ad alterum translata est. Nec quidquam huc usque in Orientalium libris nobis occurrit, quod aliter suspicari nos cogat. Doctiores tamen ut Dionysius Barsalibi, præfa-

Hist. Nest. Ar. Ms.

tione in Evangelia, quæ commentario illustravit, utrumque distinguunt. *Comm. Syr. in Evang. Mſ.*

Eutychius 13. annos Heraclæ attribuit: 12 Autor Catalogi apud Kircherum. Makrizius 16. sed errore ut videtur librariorum, quamvis eumdem annorum numerum referat Elmacinus qui ejus initium alligat anno 7. Severi Imperatoris: adjicit Chronicon dies 56. sed hæc Chronologia stare non potest: neque enim ante annum 10. Alexandri Severi, ordinatus est Heraclas: J. C. 231. Si Eusebium sequimur, cujus major omnino quàm Arabum omnium autoritas est, obiit an. Philippi 3. J. C. 247. atque adeo annos 16. secundùm Elmacinum, Chronicon Orientale & Makrizium, eum sedisse constabit, emendandique erunt Severus & Eutychius.

Adhuc de Origene.

Hoc loco quædam adhuc de Origene Severus interserit, præsertim de ejus ad Judæos defectione, pari loco habenda ac ea quæ superiùs relata sunt, nempe falsas & ridiculas calumnias, quarum nemo scriptor æqualis meminit, posteriorum adversus Origenem invidia conflavit. Nam cùm certum sit Heraclam auditorem ejus fuisse, simul cum Gregorio Thaumaturgo, & aliis quorum nomina literis Arabicis scripta agnosci vix possunt, hos omnes scribunt Heraclæ fuisse discipulos. Solus eorum quos viderimus, in eum errorem non impegit Elmacinus, qui sub Demetrio & Heracla scribit floruisse *Origenem sapientem, Alexandria oriundum virum doctissimum, qui ea in urbe docuit, magnumque habuit discipulorum numerum; quos inter præcipui fuerunt Gregorius Thaumaturgus, Theodorus Episcopus Tarsensis*, Cratycus; vel ut existimamus, Plutarchus, nempe Martyr celeberrimus, non Episcopus Alexandrinus, neque enim inter eos qui circa hæc tempora floruerunt, ullus reperitur cujus nomen ad istius formam accedat.

De Martyribus qui vel Demetrii longissimo Patriarchatu, vel sub Heracla passi sunt, levis admodum mentio in utriusque historia est, nec aliter quàm ut nomina nuda recitentur, absque ullis passionis circumstantiis. At cùm ea ex Græcis Latinisque monumentis perspectissima sint, & nostro & lectorum otio abuteremur, si quæ hoc in genere ab Arabibus scripta sunt adduceremus. Quæcunque enim apud illos vel apud Syros extant qui plura & meliora antiquitatis Ecclesiasticæ monumenta servaverunt, ea perspicuè confirmant, quòd Actorum veterum quæ jam Græcè aut Latinè non extant, ne litera quidem apud eos supersit. Etsi enim

habentur in Synaxariis & aliis Collectionibus historiæ Martyrum satis multæ, sunt illæ tamen ejusmodi, ut ex Græcis deterrimis, deteriores factæ deprehendantur. Neque enim solùm ea miracula quæ à doctis exploduntur, tanquam aliena ab Actorum sincerorum primæva simplicitate, leguntur in Arabicis Collectionibus, sed plura adjicere solent, quæ quò magis incredibilia videntur, eò magis illos afficiunt.

Heraclam quasdam de pœnitentia Constitutiones scripsisse, ex Epistola successoris ejus Dionysii discimus, præsertim circa familiaritatem cum Hæreticis, quam severè vindicabat. Sed etsi multæ sint Patriarcharum Alexandrinorum Constitutiones Canonicæ, nullius quæ ab Heracla consignata sit, memoria exstat tam in Historia, quàm in Canonum Collectionibus.

Euf. Hist. Eccl. l. 7. c. 7.

Dionysius Patr. XIV.

DIONYSIUS PATRIARCHA XIV.

IS est ipse quem Severus ex Sabaïsmo ad Christianam fidem conversum scribit in vita prædecessoris sui. Statim atque ad supremam dignitatem evectus est, auctæ sunt majorem in modum Ecclesiæ, fideliumque numerus valde multiplicatus est; scientia etiam rerum divinarum maximè inter eos floruit.

Hæresis Arabica.

Eo tempore in Arabia orta est hæresis eorum qui asserebant animam mori simul cum corpore, & cum eodem resurgere in die resurrectionis. Eam sententiam damnavit Ecclesia, postquam Concilium ad ejus examen congregatum esset. Celebratum illud esse anno 4. Philippi Imperatoris docet Eusebius, atque ita anno Christi 247. vel 248. at cùm idem in Chronico assignet initium Episcopatus Demetrii an. 249. fieri potuit ut non sub eo, sed sub Heracla ejus prædecessore Synodus adversus Beryllum Bostrenum Episcopum autorem hæresis Arabicæ, habita fuerit. De ea porro Severus & alii non alio fine locuti videntur, quàm ad notandam temporis Epocham, adeo ut inde constitueretur initium annorum Dionysii; neque enim Bostra Arabiæ Metropolis ad Alexandrinum Patriarchatum pertinebat. Neque intellexit Severus, quid ipse scriberet, cùm vocem Arabiæ perversè omnino scribat, nec ut solet scribi quando Arabum regionem significat.

De illis verò quæ Dionysii electionem præcesserunt, nihil habet præter ea quæ superiùs designata sunt in historia Heraclæ: nempe illum Philosophiæ Sabaïticæ seu Sabiorum Sectæ addictum fuisse,

qui

qui locus ex Chronico Orientali, viris aliquot doctis, fraudi fuit, culpa interpretis qui Sabaïtam illum fuisse dixit, quod nomen gentilitium esse existimaverunt cùm sit nomen sectæ, ut suprà à nobis explicatum est. Historiæ porro illius qualis ab Arabibus memoriæ prodita est, partem confirmat vetus aliarum Ecclesiarum traditio; nempe quòd Dionysius ante susceptam fidem gentilis fuerit: quòd à Demetrio baptisatus, sub Heracla munus Catechistæ in Ecclesia sustinuerit; nempe postea quàm Episcopatum is obtinuit; atque ut Heraclas Origeni, ita Dionysius Heraclæ successerit. Eum cum literarum sacrarum studio, Philosophiæ quoque studium conjunxisse, testatur Eusebius, nempe magistri sui exemplo, qui ita multos ab Ethnica superstitione ad Christianam fidem adduxerat. Legisse quoque magnâ curâ hæreticorum libros, ut eorum blasphemias confutaret, testis ipse est in Epistolæ fragmento quod refert Eusebius. Hinc non obscurè colligitur Dionysium antequam Episcopus renuntiaretur, Sacerdotis gradum obtinuisse. *Hist. Eccles. l. 7. c. 7.*

Secuta est Philippi Imperatoris necem, sævissima Decii persecutio. Philippum Christianum fuisse, ut Eusebius & veterum plerique, ita Eutychius & Autores Arabes omnes tradiderunt: sed fallitur iste dum sub Maximino atque anno ejus 2° initium assignat Episcopatus Dionysii. Elmacinus de eo: *Philippus Cæsar qui Gordiano successit, Romanum Imperium obtinuit post ejus necem per annos septem, secundùm plerosque Chronographos excepto Chrysostomo*, quem sæpe laudat quasi historiam scripserit; *at ille novem illi annos Imperii tribuit: Sahidi sex tribuunt*, hoc est, opinor, veteres Memoriæ quæ in Monasteriis Sahid sive superioris Ægypti conservabantur, & quarum meminit Severus in operis præfatione, unde fortè collecta fuit aliqua Chronologia quæ à nobis huc usque visa non fuit. *Is Philippus credidit in Jesum Christum, atque sub ejus imperio Christiani magna in pace fuerunt. Ejus*, inquit Elmacinus, *an. 1. nempe* J. C. 244. *ordinatus est Patriarcha Alexandriæ Dionysius, qui 14us numeratur:* Rectiùs Catalogus Copticus Kircherianus qui an. 248. initium ejus regiminis assignat.

Quæ persecutionis quam ipse cum aliis expertus est historiam spectant, ipse Dionysius scripsit in Epistolis quarum fragmenta servavit Eusebius, quas etiam Arabibus non ignotas fuisse, probat fragmentum illud à Severo relatum. *Referam*, inquit, *quæ mihi acciderunt, Deum veritatis eorum quæ dicturus sum testem* *Hist. l. 6. c. 40.*

invocans. Decius Romanus Imperator, magno studio perquiri me jusserat: Deus verò protexit me ab eo, nec enim rescire potuit locum in quo delitescebam. Post quatriduum præcepit mihi Deus, ut inde migrarem: fugi igitur cum discipulis meis, magnoque fratrum numero, longumque iter emensi sumus. Cùm lucesceret post quatuor dies in fuga consumtos, cùm Busiritanæ urbi propiores essemus, comprehenderunt nos milites, evasitque Timotheus unus ex discipulis meis, domumque reversus est, cùm inter segetes se occultasset: statim ab eo quæsiverunt quid Patriarchæ factum esset: retulit milites statim atque illum comprehenderunt, eum imposuisse asino nudo, atque ita abduxisse, discipulis eum comitantibus. Reliqua quæ apud Eusebium leguntur, qua ratione liberatus sit à deducentibus eum satellitibus, ignoravit, opinor, Severus, cùm eorum non meminerit.

Subjungit autem Dionysium ad Flavium Antiochenum Patriarcham literas scripsisse, quibus significabat de martyrum passionibus qui Alexandriæ Christum inter dirissima supplicia constantissimè
L. 6. c. 41. confessi fuerant. Earum meminit ut aliarum ad Domitium & Didymum Eusebius, & aliam earum particulam servavit Hieronymus in libro de Viris illustribus. Inter alios numerat senem quemdam nomine Motar, qui Mena ab Eusebio est nominatus: fœminam cujus nomen ignoratur, quæ post verbera & vincula
V. Act. Martyrum, p. 103. & seq. ligatis manibus & pedibus, per aspera loca tracta est, totoque corpore lacerata, tandem extra urbem educta, martyrium consummavit. Eam ex paucis quæ refert Severus intelligitur esse Quintam, Dionysio in Epistola nominatam. Deinde omnes impetu facto in Christianorum domos, eas diripuerunt. Paulus Alexandrinus eo quoque tempore martyrii coronam cum gaudio suscepit. Hunc porro vel unum ex Dionysii comitibus fuisse, quem tamen in ejus Epistola passum esse non legimus, vel alterum fuisse oportet, qui primus numeratur inter Martyres Ægyptios
Act. Martyr. p. 624. triginta septem, quorum passio edita est in Actis modò citatis ex Januario Bollandiano & duobus Codd. MSS. Narratur deinde martyrium Apolloniæ virginis, quæ *Polomia* hîc malè appellatur: eam autem esse, non aliam, demonstrat passio per ignem, in quem virgo conjecta est. Serapion quoque, ut ibidem scribitur, post sævissima tormenta, ex cænaculo præcipitatus est. Julianus qui cùm podagrâ impeditus ambulare non posset, duobus hominibus cum sustinentibus ad prætorium ductus est, quorum unus

negavit, alter martyrium cum Serapione extra urbem igne consumtus perfecit. Inter multos autem alios martyres qui sub Decio Alexandriæ passi sunt,numerat Severus Alexandrum,mulieres duas, quarum una filios plures habebat, Dionysia scilicet, ut in eadem Epistola appellatur. Præter eos verò qui gloriosam pro Christi nomine mortem oppetierunt, ingens Christianorum multitudo fugiens, ut in desertis regionibus, montibusque abruptis latebras quæreret, fame, siti, frigore extincta est : multi etiam in barbarorum manus incidentes, in servitutem rapti sunt. Inter eos erat vir senex Episcopus Melichæ, quem Dionysius vocat Chæremonem Episcopum Nilopoleos, seu Nili, urbis ad Occidentalem fluminis ripam ; qui unà cum muliere vel cum conjuge, ut Epistola habet, in Arabicum montem fugâ delatus, non ulteriùs reversus est, neque de eo quidquam auditum est. Multi in milites qui ad eos persequendos missi erant cùm incidissent, datâ pecuniâ evaserunt, alii in captivitatem adducti, non comparuerunt. Tandem in maxima illa persecutione plurimos fidem abnegasse scribit, *quos*, inquit, *cum gaudio suscepimus, memores illius qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.* Sequuntur pauca quædam ex eadem Epistola, sed quæ nihil singulare contineant.

Circa hæc tempora Sacerdos quidam Romæ, superbia elatus, jactare cœpit, quòd non liceret eos qui in persecutione Christum abnegaverant recipere, autorque fuit sectæ eorum qui se puros, seu Catharos vocaverunt. Huic se adjunxit alter qui *Eus* vocabatur : hos porro esse Novatum & Novatianum satis intelligitur. Adversus eos congregatum est Romæ Concilium Episcoporum sexaginta, cum multis Sacerdotibus & Diaconis, quorum communis sententia fuit, ut pœnitentibus per orationum, fletus, jejuniorum, & bonorum operum remedia succurreretur, neque prorsus repellerentur. De ea disciplina pariter scriptum est ab Ecclesia Romana ad Antiochenam. Cùmque interea Sacerdos ille Episcopatum ambivisset, & à suæ factionis hominibus ordinatus esset, multosque suæ sententiæ Sacerdotes ordinasset, Romæ Concilium habitum est, ubi omnia quæ in ejus ordinatione facta fuerant, ut etiam quæcumque ipse fecisset, irrita esse pronuntiatum est. Ea occasione Dionysius scripsit ad omnes Ecclesias de suscipiendis ad pœnitentiam illis qui abnegata fide ad eam reverterentur : atque eam disciplinam quasi certum perpetuumque Ca- De Novato & Novatiano.

nonem ſtabilivit. Hæc Severus. Præter Epiſtolas encyclicas, quarum meminit Euſebius, ſingularem de ſuſcipiendis pœnitentibus ſcripſit ad Cononem Epiſcopum Aſchmonin, hoc eſt Hermopoleos, cujus nomen ut alia ferme omnia mirè depravatum eſt in ſcriptura Arabica.

De Origeniſtis. Cùm autem Alexandriæ quidam eſſent Origeni addictiores, monuit illos Dionyſius de illis omnibus quæ in diverſis Eccleſiis Origenes feciſſet, ut ab eo caverent. Sed hæc falſiſſima eſſe ſatis quiſque intelligit, & ex Euſebii libris male intellectis depromta; nam quòd uno & eodem loco meminit Epiſtolæ quam ad Alexandrinos ſcripſit Dionyſius, in qua eos reprehendebat, & alterius ad Origenem qua laudabat ejus in perſecutione conſtantiam: homines quibus tota Origenis hiſtoria prorſus ignota erat, facilè adducti ſunt ut crederent, ea quæ de illius laudibus ſcripta erant ad ejus vituperationem pertinuiſſe, quo nihil alienius à veritate atque abſurdius excogitari poteſt.

Canones Dionyſii. Scripſit præterea Dionyſius Canones, quorum, ut rectè monet Severus, perpetua in Eccleſia Alexandrina autoritas eſt: & ſane extant illi in antiquis Collectionibus, quorum aliqui etſi ab eo perſcribi non potuerint quòd ad poſteriorum temporum diſciplinam ſpectent, ab Ægyptiis tamen tanquam legitimi agnoſcuntur. Utuntur eorum autoritate Fergealla Echmimenſis, & Ebnaſſalus in Collectionibus Arabicis ſuis; ut Abulfaragius in Syriaca ſua.

Epiſtolæ. Epiſtolas quoque plures eum ſcripſiſſe teſtantur, de perſecutionibus Eccleſiæ ſub Decio, & martyrum qui in Ægypto paſſi ſunt geſtis: quas Severus extitiſſe ſuo tempore teſtatur, ſed quantùm ex ſuperiùs relatis conjicere poſſumus, & valde interpolatas, & non omnino integras.

Exilium. Refert deinde Severus quomodo Dionyſius ab Ægypti Præfecto comprehenſus, cùm Chriſtum conſtantiſſimè confeſſus eſſet, in exilium miſſus ſit ad locum quem Valorri vocat, cujus interpretationem dat, cujus ſenſum aſſequi non poſſumus. Kephro locum illum vocatum eſſe teſtis Euſebius, qui etiam hæc geſta ſcribit ſub Æmiliano Præfecto qui Ægyptum Valeriano imperante obtinebat. Ab incolis comiter exceptus eſt, ſimul cum Chriſtianis exilii comitibus: paulò pòſt iterum adductus eſt ad Præfectum; cùmque capitis ſententia adverſus eum lata eſſet, tamen ſervatus eſt, & in alium locum tranſlatus. Cùmque proficiſceretur ad ſecundum

L. 7. c. 11.

exilium, comitibus valedicens præcepit ut quocumque pergerent, orationes & sacra sua non intermitterent; se verò etsi corpore absentem, spiritu tamen præsentem semper adfuturum. Reductum illum fuisse ad priorem locum scribit Severus, sed contradicente Eusebio, qui in Mareotide eum exulasse testatur.

Multi eodem tempore martyres passi sunt, Alexandriæ & in tota Ægypto. Paulò pòst Dionysius liber abire permissus est, scripsitque ad eum Imperator, Gallienus scilicet, ut etiam ad Demetrium & ad alios Episcopos, literas quibus gregem suum pascere absque hostium Christiani nominis molestia permittebantur, tum Ecclesiæ illis ablatæ restituebantur. Atque illæ sunt literæ quarum meminit Eusebius, de pace circa an. J. C. 263. Ecclesiis concessa: quas duplices fuisse scribit Severus & Græcè scriptas: unas quidem de libertate Religionis Christianæ, ut Episcopi preces publicas, Liturgias cæteraque ad Dei cultum pertinentia liberè exercere possent, Ecclesiæque aperirentur: alteras ut Episcopi monasteria, seu loca omnia Deo dicata reciperent. Revocatio ab exilio. *L. 7. c. 23.*

Tandem Dionysius laboribus fractus, illis præsertim quos in persecutione sustinuerat, cùm præ corporis debilitate ad alia munera jam inhabilis foret, divinorum librorum lectioni assiduè incumbens, dies & noctes in ea consumebat: quo tempore Deus per miraculum integritatem & perspicaciam oculorum ei restituit, qualem in juvenilibus annis habuerat. Cùm verò indicta esset Synodus adversus Paulum Samosatenum, nec ad eam se conferre Dionysius præ infirmitate posset, scripsit ad Episcopos literas doctrinâ & sapientiâ plenas, adversus Paulum quem exagitat tanquam lupum dissipantem oves Christi. Illi Antiochiam convenientes, cùm Paulum in blasphemiis suis pertinacem deprehendissent, deposuerunt, & excommunicaverunt. Scribit adversus Paulum Samosatenum.

Eodem tempore, nempe dum haberetur Concilium, obiit Dionysius 13° mensis Phamenoth, seu ut Arabes scribunt, Barmahat, qui respondet 9° Martii, cùm sedisset annos 17. At in quodam exemplari S. Macarii, inquit Severus, septem tantùm annos sedisse dicitur. Sed Eutychius septemdecim numerat, quod exemplaribus congruit ex quibus hæc vita descripta est. Elmacinus scribit sedisse eum annos 19. obiisse 3ª Toth, hoc est 31ª Augusti, sub Claudio Imperatore. Idem ferme calculus est Chronici Orientalis, quod annos 19. numerat, & insuper dies 281. tum asserit mortem ejus incidisse in diem anni 13um, sed procul dubio erravit Obitus Dionysii.

interpres aut vitioſo codice uſus eſt, nam Makrizius qui Elmacino & Chronico conſentit circa annorum numerum, non 13um ſed 3um menſis Toth, obitu ejus conſignat. Et ſane ſi 3um legamus, erit ille pariter anni Ægyptiaci 3us qui à menſe Toth incipit: Catalogus Kircherianus decem & octo annos numerat. Sed Severo, Eutychio & aliis Autoribus, qui decem & ſeptem Epiſcopatus annos Dionyſio tribuunt, accedit Euſebii autoritas, quam ſequuntur Græci & Latini ferme omnes. Is autem 12° Gallieni anno mortem ejus aſſignat, hoc eſt an. J. C. 264. ut ipſe ſcripſit in Chronico, vel 265.

Hiſt. Dynaſt. p. 81. De Paulo Samoſateno Abulfaragius, Eutychius & alii ſcribunt, ſed ita exiliter ut nihil omnino ex illorum ſcriptis ad hiſtoriam illuſtrandam excupi queat.

Manes. Aſſignant circa ea tempora Manis hæretici exordia Scriptores Orientales, de quo multa habent non Chriſtiani modò, ſed & Muhamedani, quorum una ſententia eſt: eum duo principia rerum conſtituiſſe, quorum unum boni, alterum mali originem contineret: unde vulgò *Tanoüi* vocatur eò quòd duplex illud rerum principium ſtatueret: quamvis alii Autores ad poſteriora tempora referant. Sed de eo dicetur inferiùs, cùm de ejus ſupplicio erit dicendi locus.

S. Antonius. Antonium Magnum vitæ Monaſticæ inſtitutorem ſub Dionyſio Patriarcha in eremum ſeceſſiſſe, atque inde Anachoreticæ vitæ initium dediſſe ſcribunt Elmacinus, Makriſius, & alii, quanquam ſub Philippo ejus ſeceſſum collocet Abulfaragius: dum ait tamen, cœpiſſe tunc inſtituta Monachorum Paulo & Antonio autoribus, intelligitur eum non tam ad Antonii res geſtas, quàm ad Anachoretarum principia reſpexiſſe. Habent autem Arabes Chriſtiani S. Antonii vitæ hiſtorias plurimas, præter eam quæ Athanaſio tribuitur: quam etſi valde interpolatam legant, reliquis tamen præferunt, & laudatur illa à multis Autoribus. Reliquæ ut omnia ferme ſcripta ejuſmodi fabulis inquinatiſſimæ ſunt, nec ullius pretii.

Septem Dormientes. Septem Dormientium hiſtoria Dionyſii quoque tempori aſſignatur, quam non modò Arabes Chriſtiani, ſed Muhamedani, credunt & miris coloribus exornant. Eam abſque ullo inſigni diſcrimine *Eutyc. t. 1 p. 391. Abulf. p. 81.* circumſtantiarum referunt, Eutychius, Elmacinus, Abulfaragius, Makrizius, Chronicon. Omnes tandem eos ſub Decio paſſos aſſerunt etiam Muhamedani, atque inter eos Autor Compendii

Persicæ Historiæ universalis, cui titulus *Mogemal Toüarich:* ut alii multi, atque & præter alios celeberrimus Emir-Condus, & ejus Epitomator Cond-Emirus. Nec mirum, cùm ipse Muhamed impostor eam historiam qualis in ore vulgi circumferebatur, Alcorano inseruerit. In eo enim, caput quod vocant speluncæ, de illa est, unde vocant eos *Ashab Elkehaf*, eos *qui in spelunca delituerunt*. Legenti illas ineptias statim apparet eas ex variis quæ sæculo 7° circumferebantur fabulis, non ex ullo Autore idoneo descriptas esse. Neque illis contenti Muhamedani, alias adjecerunt, nam canem comitem adjiciunt, qui in hominem mutatus fuerit, de quo multa Poëtis dicta, nam hæc ἄπιςα mirum in modum eos afficiunt. Cùm verò ipse impostor, & de Dormientium numero, & de tempore quo in spelunca dormierunt dubitet, multò magis Commentatores. Illorum non postremus Hucein, qui Persicam Paraphrasin satis accuratam scripsit, rem gestam tradit sub Deciano, hoc est Decio Imperatore, Martyres illos Ephesо oriundos ex præcipua nobilitate: montem in quem se receperunt, *Betahalos* vocat, ut alii *Chaos*: quæ utraque vox est nihili.

Alcor. cap. Elkahaf.

Hussein Vuabetz Com. Pers. in Alcor. Gulistan.

Assignant quoque circa Dionysii tempora martyrium S. Mercurii: licèt Eutychius ad Diocletiani persecutionem referat: sed verior est aliorum sententia qui in persecutione Deciana passum fuisse eum existimant. Is etiam ex illorum Sanctorum numero est, in quorum historia scribenda valde exercuerunt se Christiani Orientales, nempe ut eam fabulis insulsissimis corrumperent. Tales multas & diversas Mercurii martyris legimus, cujus titulo multæ toto Oriente Ecclesiæ, & in Ægypto non paucæ ædificatæ sunt.

Martyrium sancti Mercurii.

Quæ de Paulo Samosateno ex Orientalibus colligi queunt, cùm magis ad confundendam temporum rationem, quàm ad eam illustrandam pertineant, prætermitti placuit; ea enim historia ex certis monumentis jam satis explicata est.

Memoriam Dionysii assignat Synaxarium Æthiopicum 17ª mensis Toth, quamvis eo die non extet in Calendario Coptitarum.

MAXIMUS PATRIARCHA XV.

MAXIMUS Patr. XV.

MORTUO Dionysio suffectus est in ejus locum Maximus, an. 13° Gallieni Imperatoris, & Valeriani, inquit Severus; satis rectè; nam saltem 12° Gallieni mortuus est Dionysius.

Ejus initia.

Juverat autem in multis Ecclesiasticis rebus fratres seu fideles Christianos Maximus, antequam ad Episcopatum adsumeretur, nempe unus creditur fuisse illorum Sacerdotum qui in exilium cum Dionysio missi fuerant, ut à multis Autoribus scriptum est.

Statim atque ordinatus est, operam dedit ut Paulus Samosatenus ex Ecclesia ejiceretur. De omnibus enim quæ Antiochiæ in Concilio gesta fuerant adversus Paulum, deque ejus pertinacia certior factus est ab Episcopis in eodem congregatis, qui de toto illo judicio literas dederunt ad Dionysium Patriarcham Romanum, & Maximum Alexandrinum. Scripserunt ad omnes Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Christianosque tandem totius orbis de damnatione Pauli : atque ea occasione refert Severus partem Epistolæ Synodicæ contra eumdem, quæ est in omnium manibus, sed suo modo, ita ut negligenter admodum ea Epistola ab Arabibus interpretibus versa intelligatur, quamvis extet in plerisque Arabicis Collectionibus. Accuratior omnino ea est quæ à Syris facta extat in antiquissimo Codice Mediceo.

Collect. can. Ar. Mſ.

Eutych. t. 1. p 396.

De Manichæis.

Sequitur historiæ particula quæ ad Manichæorum origines spectat, nempe quòd Manes ab Mago eruditus, & librorum magicorum hæres à muliere divite factus & ditatus, se Paraclitum in scripturis promissum dixerit, multosque seduxerit, tam præstigiis quàm divitiis. Sed refutatus est ab Archelao Episcopo urbis cujusdam in Syria, quam ejusdem Archelai disputatio ante aliquot annos edita, Cascaram esse docet. Ibi erat Marcellus vir divitiis affluens, sed charitate erga pauperes nobilior, qui multos Christianos à Persis in captivitatem abductos pecuniâ suâ redemit, eisque diversoria & Ecclesias ædificavit. Is est quem eadem Disputatio, & alia Acta vetera magnopere commendant. Ad eum Manes literas scripsit, Paracliti nomen assumens, eumque ad doctrinam suam amplectendam invitans. Quia verò ejusdem antiqui monumenti versionem Arabicam habuisse Severum dubitare non possumus, Epistolam Manis, qualis ab eo refertur, transcribemus. *Manes Paraclitus Marcello. De præclaris operibus tuis fama ad me pervenit, & intellexi te fore mihi discipulum electum, ut à me viam rectam docereris, quam ad hominibus significandam Christus me misit. Et sane in errorem inducunt vos doctores vestri, cùm apud vos affirmant Deum in utero mulieris fuisse. Vera autem prorsus de Christo Prophetæ prænuntiaverunt; nempe quòd Deus veteris Testamenti malus sit, nolens ut ab eo quid-*

quam

quam accipiatur. Deus porro Novi Testamenti bonus est, & unus, Deus verò non loquitur, aut sermone procreatur; sed de eo multa temerè dicta sunt, blasphemiæ plena, quæ ne commemorare quidem licet, adeo ut nec similia Satanas ipse protulerit. Hanc Epistolam Manes uni ex suis tradidit ut eam ad Marcellum deferret, ad quem nonnisi cum summa difficultate pervenit; cùm enim à nemine reciperetur, nec illum quisquam hospitio dignaretur, aut cibos præberet, ægrè radicibus & herbis vitam tolerans, tandem Epistolam Marcello tradidit. Is eam ut legit, ad Archelaum misit, qui cùm legisset, Utinam, inquit, priùs obiissem, quàm similes blasphemias vidissem. Latorem verò literarum cùm remittere vellet; is sermonibus Episcopi commotus, reverti ad Manem noluit, sed errores ejus abjuravit. Itaque Marcellus responsum ad ejus Epistolam per servum ex suis misit, vetans ne quidquam ab eo acciperet, aut apud eum ederet vel biberet. Septem diebus elapsis, Manes ad Marcellum venit veste pellucida & pretiosa tectus, tredecim pueris & puellabus eum sequentibus. Marcellus statim Archelaum advocavit: qui Manem in sedili conspicatus in medio atrio, interrogavit quod nomen haberet. *Paraclitus vocor*, inquit Manes. Tum ille: *An ipse es Paraclitus quem Jesus Christus missurum se ad nos pollicitus est? Ita*, inquit Manes. *Quot annos natus es, ait Archelaus? Triginta quinque, respondit alter. At Dominus noster Jesus Christus, inquit Episcopus, discipulis suis dixit: Manete Hierosolymis, neque inde proficiscimini ad prædicandum, donec induamini virtute ex alto; atque hic est Paraclitus Spiritus sanctus: decimoque post Ascensionem die, sicut dixerat, descendit Spiritus sanctus super Apostolos die Pentecostes, cùm complerentur dies quinquaginta post Pascha. An te Apostoli huc usque expectabant Hierosolymis, cùm trecenti ferme anni effluxerint ex quo prædicare cœperunt, & in omnem terram exiverunt voces eorum, & usque in fines terræ verba eorum? Quòd si vera loqueris, neque prædicaverunt; & vivi huc usque Hierosolymis permanserunt. Quomodo etiam D. Jesum Christum vidisti, tu qui annos triginta quinque ætatis numeras, & qua ratione sedes ipse in digniore loco, quod ipse prohibuit? Tum Manes: Nonne in Evangelio scriptum est: Mittam vobis Paraclitum? Ad hæc Archelaus: Si Evangelio credis, in eo scriptum est dictum esse ad Mariam Virginem, Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; & quod partes,*

V. Archelai Disp. adv. Manich. *Ed. Vales. post Socrat. p.* 159.

sanctum erit, vocabiturque Filius Dei. Tandem Archelaus protulit ei datas ad Marcellum literas, in quibus negabat Manes nativitatem Christi ex muliere, mortemque & resurrectionem ejus. Ad hæc Manes inania multa effutire cœpit, ut ostenderet duos esse Deos, quorum unus lux esset, alter tenebræ. Hæc cùm Episcopus refutasset, factum prope est ut Manes à plebe quæ ad colloquium audiendum convenerat, occideretur : sed vetuit Episcopus, qui eum urbe pepulit, monens ne rediret, nec certo mortis periculo se exponeret. Abiens igitur, à quodam Sacerdote hospitio exceptus, mensem circiter in ejus domo consumsit, nihil omnino proferens, unde perversitas ejus agnosci posset. Paulò pòst cùm apud eum dogmata sua enuntiare cœpisset, stupefactus ille, nihilque tale se unquam audivisse testatus, dixit missurum se ad Archelaum Episcopum, ut de doctrina ista cognosceret. Eo nomine perculsus Manes in Persidem rediit : ubi suas blasphemias liberiùs prædicavit. Tandem à Rege Persarum captus, pelle detracta, feris objectus, & ab illis laniatus miserè periit.

De Manete quæ sit Persarum traditio. Multa, ut diximus, de nefando illo præstigiatore scribunt Orientales, Persæ præsertim, apud quos ex majorum traditione fama ad posteros rerum non plane fictarum pervenire potuit. *Bibl. Orient.* Quia verò hæc passim apud nos ignota sunt, neque ante virum doctissimum Bartholomæum Herbelotium quisquam ea attigit, paucis describemus, quæ à melioris notæ Autoribus de hoc hæretico scripta fuerunt. Emir-Cond, autor celeberrimus, ait Manem, cùm *Zindikæus* esset, hoc est Saducæus seu Hæreticus, varias figuras mirabiles picturasque proposuisse, quibus simplicioribus illuderet : pictor quippe erat, & mathematicus. Is cùm accepisset Jesum promisisse discipulis suis Paraclitum, quem ad eos missurus esset, (quod Muhamedani stolidè de Pseudopropheta suo prædictum arbitrantur,) ipse Paraclitum se esse professus est, seque Prophetam appellavit, regnante Sapore Ardeschiri filio. Sapor cùm supplicium de eo sumere statuisset, Manes in Turkestaniam fugit, ubi multos seduxit. Ibi speluncam nactus, quæ aquæ fontem habebat, in ea per annum delituit, discipulis pollicitus, se anno elapso appariturum in loco quem designabat ; interea in cœlum ascensurum. Tum tempore constituto prodiens, tabulam quamdam literis figurisque ignotis exaratam protulit, quam ex cœlo detulisse mentiebatur, Ea est quâ Historici contineri dicunt librum *Azenk* dictum, aliàs *Arzenk*, vel, ut alii pronuntiant, *Arzenge*,

de quo mox dicetur, tanquam miraculum quo missionis suæ veritas comprobaretur. Ita multis in suam sectam adductis ex Turkestania, in Iran sive Persiam rediit. Beheram Harmuzi, seu Hormisdæ filius, simulavit se illius verbis credere, ut faciliùs ejus discipulos congregaret, qui convenerunt magno numero. Tum jussit Beheram Magorum suorum Antistitibus, ut cum Manete disputarent; tandemque eum supplicio affici jussit. Ita etiam Cond-Emir. Autor Leb-Tarich, seu Medullæ historicæ, scribit eum Prophetam se dixisse, erroresque suos prædicasse, sub Sapore cognominato *Dul-Actaf*, pictorem fuisse & mathematicum, adeo ut lineas circulosque perfectissimè absque circino aut alio instrumento duceret. Illum in excelso monte figuram orbis terrarum designasse, ita ut omnium provinciarum, marium, fluviorum, montium & civitatum situs agnoscerentur. Parasse quoque sibi tunicam subtilissimam, qua amictus, quoties lubebat invisibilis esset. Hormisdam Saporis filium arcem in Curistana ædificasse, in qua Manes securè degeret. Beheramum Hormisdæ filium, ut eum ejusque discipulos inde educeret, simulasse magnam ejus admirationem. Verùm sapientibus ex Secta Zoroastræa congregatis, habitaque cum eo disputatione falsi convictum, supplicio affectum fuisse. Addit Emir-Condus pellem eidem vivo detractam fœnoque repletam suspensam esse ad aliorum terrorem. Ita quoque Autor alterius Compendii historiarum Persicus *Mogemal Toüarich* appellati. Mashudi quem citat Emir-Condus, scribit Saporem primò ad Manetis religionem accessisse; paulò pòst mutatâ sententiâ, Manetem supplicio destinasse quòd ille præverterit fugiens Caschemiram versus, mox in Indiam, Turquestaniam & Cataïam, quo nomine sæpe Sinarum regio, aut saltem magna ejus pars, Tartariæ contermina, apud Arabes significatur. Abulfaragius hæc sub Sapore contigisse narrat. Hamza Hispahanensis & Autor *Nedzam El-Toüarich*, sub Beheramo, ut etiam Eutychius, qui Manetem dissectum esse scribit, socios ejus plusquam ducentos, luto demersos, capite inverso suffocatos fuisse: atque ita Elmacinus qui eum exscripsit. Hæc sunt quæ de Manete Orientales tradunt. De eo Manichæorum supplicio intelligenda sunt verba Synaxarii ex Ludolpho adducta, non de sectatoribus Pauli Samosateni, ut existimavit Autor nuperus Hist. Patriarcharum Alexandrinorum.

Libros verò ejus, quos impostor ille tanquam cœlo demissos

venditabat, vocant Persæ Lexicographi *Azenk*, *Arzenk*, & *Arjenk*, aut etiam *Artenk*, nam utroque modo scribitur, imo & *Arnenk*, nisi ut videtur, error est in codice Condemiri. Omnes porro Lexicorum Autores dicunt, quacumque ratione scribatur, eamdem esse vocis illius significationem; nempe ut locum picturis Sinensibus ornatum, vestes picturatas, tum singulariter Manetis pictoris aulam aut officinam, ut quidam vertunt, significet: tandem figuras illas quibus Manes doctrinam suam per ænigmata significabat, & ipsum librum ejus mysteriorum, quem ejus sectatores tanquam fidei suæ fundamentum amplectuntur. Is etiam ex præcipuorum Philologorum testimonio vocatur *Artenk* aut *Arzenk Mani*, cùm propriè liber ille significatur, quia figuris peregrinis & ignotis refertus erat. Nec est cur dubitemus veterem illam & Muhamedanorum temporibus antiquiorem traditionem, ortam esse ex eo quod Manes libros Mysteriorum, Astrologiæ, Thesauros, & alia ejusmodi opera composuerat, quorum nonnulla extabant in Manichæorum manibus, superstite Augustino. Quia verò Manichæorum dogmata de duobus principiis, à quibus *Tanaüi* nomen, hoc est duplicatoris, ut ita dicam, illi apud Arabes inditum est: animarum quoque transmigratio, & similes quædam opiniones, apud Indos & Sinas mirum in modum propagatæ sunt, facilè inde Arabes & Persæ qui semper incredibilia sectantur nacti occasionem fabulandi, Manem in Turkestania, India, & Sinarum regione, errores suos disseminasse existimaverunt. Cùm etiam Astronomiæ, & Chaldaicæ superstitioni operam daret, libros figuris quæ ad illas artes propriè spectant exornatos, quos ipsi non intelligebant, picturam Sinensem appellaverunt. Habent quippe Sinæ figuras ejusmodi multas, geniorum, deorumque, quales aliquot occurrunt in China illustrata Kircheri; quæ si Astronomicis Astrologicisque notis ut aliquæ cumulentur, specimen eorum librorum exhibent, quos Manem discipulis suis tanquam lapsos divinitus proposuisse verisimile est. Neque enim plura de libris illis Orientales sciunt. Sed dubitari vix potest, maximam superstitionum partem quæ Indos, Sinas, & vicinos populos à sæculis multis occæcatos tenent, ex Manichæorum doctrina, reliquiisque Sectæ Zoroastræ originem ducere.

P. 32. Manetis libri.

Abulfaragii testimonium. *Hist. Dynast.* p. 82.

Fusiùs de ea doctrina loquitur Abulfaragius, sed ita ut sententiam nostram confirmet, quamvis nonnulla admisceat quæ vix alibi leguntur. Hoc tempore, inquit, innotuit Manes *Althanaüi*,

id eſt, duorum Deorum, ſeu potius principiorum, aſſertor. Hic primò Chriſtianiſmum præ ſe tulit, & ſacerdos factus eſt Ahuazæ, quæ eſt urbs in Meſopotamia, & interpretatus eſt libros ſacros, & cum Judæis, Magis & Ethnicis diſputavit. Nemo tamen alius Autor Manem ſacerdotio inter Chriſtianos functum fuiſſe memoriæ prodidit, ut videri poteſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica nuper edita. Deinde, inquit, à fide deſciſcens, ſeipſum Meſſiam nominavit, imò Paraclitum ab eo promiſſum, ut omnes tam Chriſtiani quàm Muhamedani teſtantur. Quod autem certam hanc Eccleſiaſticæque traditioni conformem opinionem Perſæ Muhamedani à Chriſtianis acceperint, teſtis eſt vox *Paraclitus*, quam à Græcis ad Syros tranſlatam ſervavit cum inflexione Syriaca Cond-Emirus, qui *Paraclita* ſcribit, ſicut Syri Meſopotameni pronuntiant. Duodecim diſcipulos ſibi adſcitos in omnes Orientis regiones, Indiam uſque & Sinam miſit, qui in ipſis doctrinam Thanaüiorum ſeminaverunt, ſcilicet duos eſſe mundo Deos: alterum bonum qui eſt origo lucis: alterum malum, qui eſt tenebrarum origo; atque his contendentibus, bonum victoriâ in malum potitum. Malum ergo in partem Auſtralem acceſſiſſe, quò ibi mundum ſibi conderet cui dominaretur, quod cùm facere cœpiſſet, ibique *Benat-Naash*, id eſt Arcturi ſignum, circa Polum Auſtralem fabricaſſet, hinc quod circa Polum Borealem eſt ſimile, pacem inter illos feciſſe Angelos eâ conditione, ut projiceret bonus luminis ſui aliquid in materiam, unde extitit mundus generationi & corruptioni obnoxius, cui dominatus eſt malus. Quod autem bonus, hoc coactus atque invitus feciſſet, ideo ipſum in cœlis duas naves grandes creaſſe, videlicet Solem & Lunam, in quibus animas hominum repoſuit, & portionem ſuam quæ malo obtigit, paulatim repetere, ut materia ſenſim omni veſtigio boni privetur, & ceſſet imperium mali. Huc uſque etſi per umbram agnoſcimus veſtigia quædam ſatis confuſa doctrinæ Manichæi, qualem eam Auguſtinus & Græci Patres, præſertim Epiphanius, deſcripſerunt. Primum ne quidem ex nomine Abulfaragius aut Arabes alii Chriſtiani unquam noverunt: alterum inter Autores, quos habent Arabice & Syriace, numerant, etſi quantum ex teſtimoniis quæ à variis Autoribus adducuntur, conſtare videatur, eos non Panarium ſeu integrum Tractatum adverſus Hæreſes, ſed Anchoratum ſolum vidiſſe. At quæcunque, tum Abulfaragius, tum Chriſtiani alii de impoſtoris

Tillem. Hiſt. Eccleſ. t. 4.

illius doctrina referunt, ignorantur à Muhamedanis, qui omnia crimina uno contineri existimant, quod Paracliti nomen & dignitatem, quam Pseudoprophetæ suo convenire credunt, ad se transtulerint. Quantum ad reliqua, Magicarum artium præstigiarumque, eum condemnant, nec immeritò.

Sequitur apud Abulfaragium: *Asseruit idem Metempsychosin, atque inesse cuivis rei spiritum, qui aliunde transmigraverit.* Arabes vocant *Tanasach.* Eam verò opinionem qui in Manichæis observaverit, non facilè reperitur; sed ea erat propria Indorum Brachmanum, à quibus eam Pythagorici videntur accepisse.

Modum etiam excedebat in laudando igne ejusque virtute celebranda, eumque qui sanctus prædicetur, & divinis laudibus ornetur, dignum esse dicebat: atque hæc omnia luminis ipsius atque splendoris gratia, & quod medium occupet locum inter corpora sphærica & ex elementis composita. Terram autem quæ vilipendatur dignam esse autumavit, quòd tenebrosa sit, nec illuminetur ejus medium, actu vel potentia. Hæc autem sententia antiquitus Persarum fuit, nec eam Manes primus in medium protulit, sed argumentis probabilibus confirmavit. Huc usque Abulfaragius ex versione Pocockii salebrosa nimium quibusdam in locis, sed quam mutare non libuit, quia est in omnium manibus. Ita sane potuerunt docere Manichæi sui temporis: sed quod eorum primus autor ita senserit, nemini veterum proditum est. Verùm, ut monuimus, multa quæ ad Magicam Zoroastræam religionem spectabant, veteremque illam Persicam Ignicolarum quæ adhuc circa Basoram & in Persidis aliquibus regionibus ab iis colitur, qui *Atesch-Perestan*, & *Kebrian* appellantur, Manichæis tributa sunt, eò quòd multa Indi Idololatræ, Sinæ, imò & Persæ, à Manichæorum discipulis acceperunt proculdubiò. Nam in ea religione vulgari quam Sinæ sequuntur, præter Literatos, quos sublimiùs sapere asserunt, nihil ferme occurrit præter ignotas fabulas, & Idolorum aut Geniorum nomina, quod Manichæismum non referat. Unde cùm turpium illarum sectarum antiquitas à quibusdam tantopere commendetur, non videntur illi satis perspexisse omnem illam errorum colluviem, à Mane potius quàm à Zoroastre derivatam. Quamvis enim teterrimæ superstitioni nulla ex vetustate quantacumque esse possit autoritas accedat, temerarium tamen prorsus est eas portentosas sectas ad re-

P. 82. & 83. Lat. Ed.

motissimam usque antiquitatem promovere, cùm plerumque recentissimæ sint. Frequenter nihilominus in eo peccant recentiores, præsertim cùm Sinensium origines describunt, quos teste Abuzeid Sirafita (qui ante annos octingentos scribebat) ipse fatentes audierat, religionem suam se ab Indis accepisse, jam ut verisimile est, Manichæorum erroribus infectam. Cùm verò communis omnium Orientalium opinio sit Manem in Indiam & ad Sinas usque profectum esse, imò in præcipuis Lexicographis & Philologis legatur eum ex Sinarum regione picturas suas detulisse, religiones verò tam diversæ, Indorum, Siamensium, Sinarum, Japonensium, non consentiant, nisi in quibusdam fundamentis quæ Manichæorum κυρίας δόξας continent, certissimum videtur, ex eorum hæresi omnes illas superstitiones cum Zoroastræis Persicisque aliis compactas, prodivisse. Abuzeid. Mss. Ar.

De transmigratione animarum tanquam Manichæis communi opinione testatur quoque Maris Salomonis filius, qui addit, *Bibrouz*, quem alii Perosem vocant secundùm Græcam pronuntiationem, *jussisse ut Manichæi omnes occiderentur, & ea occasione multos Christianos, præsertim Episcopos, ad necem quæsitos esse, quòd Manichæi crederentur, quia secundùm Ecclesiasticam disciplinam cœlibes, nuptias secundùm illius sectæ placita abominari viderentur. Mar Paphas Catholicus, hoc est* Ctesiphontis Episcopus, *respondit Manichæos, duos deos seu personas credere, terram quoque animatam opinari, quodque animæ ex uno corpore in aliud transmigrarent, tandemque nuptias impuras censere. At Christianos confiteri unum Deum, connubiumque approbare: Antistites tamen ab eo prohiberi, ut orationibus vacarent, neque ullis negociis impedirentur.* Metempsychosin Manichæis quoque attribuit Manes Nestorianus.

De iisdem Abulbircat, aitque vocatos esse Manichæos à Mane, qui furiosus, seu Maniacus cognominatus est, cujus historiam, migrationem in Persiam, fugam ex carcere, tandemque supplicium contineri ait Autor in Catechesibus Cyrilli Hierosolymitani: & verè, nam multa de illo scribit. Eos autem hæreticos credidisse Deos duos, unum bonum, alterum malum, quorum primus lucis & boni creator esset, alter tenebrarum & mali. Negasse illos resurrectionem & ultimum judicium: adorasse Solem, Lunam, septemque Planetas: maximam vim signis Zodiaci reliquisque stellis tribuisse circa res humanas, quasi ex earum influxibus penderent: nuptias omnino damnasse: jejunium perpetuum imperasse Catech. Cyr. Ar. Mss.

alimenta omnia immunda existimasse, quia oleribus herbisque animas inesse crederent. Hæc Abulbircat, qui paulò pòst similia ferme habet de Disanitis, qui erant secta quædam singularis Manichæorum. Utrorumque meminit Præfatio Concilii Nicæni Arabica, quam Latinè edidit Abrahamus Echellensis, ut Ebnassalus in Collectione principiorum fidei, & multi alii.

Hæc paulò fusiùs de Mane & ejus erroribus dicenda visa sunt, quia cùm ejus historia jam à multis viris doctissimis tractata sit, adeo ut post amplissimam messem vix spicilegio locus sit, nemo autem sententiam Orientalium de illo exposuit, habeant eruditi, unde scire possint quæ sit communis tam apud Christianos quàm apud Muhamedanos de illis opinio, & ex quibus Autoribus peti possint quæcunque ad Manichæos spectant. Neque tamen id factum à nobis est, quod latere existimemus, in Orientalibus libris, multa quæ Græcorum Latinorumve diligentiam effugerunt, aut librorum qui periere vicem suppleant, etsi multis viris doctis ita visum fuerit: verùm ne quis in eam sententiam abducatur, ab illis qui nimio peregrinorum illorum studiorum amore, ea temerè supra modum extollunt, atque ita viris parum religiosis, quorum feracissima ætas nostra est, calumniandi occasionem præbeant, fallendi seipsos, aliosque in errorem inducendi. Ubi enim comparantur certa antiquorum monumenta cum Orientalium imperfectis Commentariis, statim agnoscitur, si quid veri isti continent, id demum factum fuisse, cùm ex Græcis aut Latinis aliquid transtulerunt: ex seipsis verò nihil ferme nisi nugas producere.

Severus post recitatam Manetis cum Marcello & Archelao congressionem, quædam interserit de Romanis Antiochenisque Episcopis, quæ meliùs & accuratiùs apud alios Autores reperiuntur, præsertim cùm nomina propria corrupta adeo sint, ut agnosci nequeant, nisi aliunde sciantur, ut sunt sane notissima. Hæc verò cùm Alexandrinæ Ecclesiæ historiam non attineant, à nobis prætermittuntur, quia etiam in Imperatorum & Tyrannorum qui tunc Romanum Imperium occupaverunt, Chronologia nihil plane vident Orientales.

Æmilianum Alexandriæ se Imperatorem renuntiasse anno J. C. 262. exeunte, ex Eusebio & aliis Autoribus discimus, sub Gallieno scilicet, à cujus duce Theodoto victus, & Romam ad supplicium ductus est. Eo tempore obsessa est Alexandria; quæ obsidio

obſidio cùm ſub Gallieno contigerit, à Severo deſcribitur tanquam ſub Diocletiano. Tunc ait veniſſe Alexandriam Epiſcopos duos ſanctitate & pietate inſignes, Euſebium Laodicenum, qui Socrati ſuffectus eſt; atque Anatolium, qui eidem ſucceſſit, ab ipſo vivente in ſacerdotii conſortium cooptatus. Narrat paucis qua ratione Alexandriam venerit, nempe ut fideles accuratiùs doceret de rebus in Concilio Antiochiæ celebrato contra Paulum Samoſatenum geſtis: & eos in fide confirmaret. Obſeſſa urbe, poſtquam publicæ calamitati quantum in ipſo fuit ſubveniſſet, ſenes, mulieres, pueros, urbe eduxiſſe, & ad Anatolium miſiſſe, qui eorum egeſtatem ſublevavit. Diocletianum, cujus perſecutione fervente credidit Severus obſeſſam Alexandriam, milites præſidiarios quòd tot homines exire paſſi fuerant, juſſiſſe interfici.

Anatolius non modò viva voce, ſed libris etiam editis fideles inſtituit, nam præter Catecheſes ſcripſit Canonem Paſchalem. De eo, Euſebius Hieronymus, & alii; extatque Operis iſtius de Paſchate fragmentum à Bucherio editum: at illud Arabice reperiri non exiſtimamus. Reliqua hujus Maximi vitæ, nomina tantùm & laudes continent Epiſcoporum & Martyrum qui eodem tempore vixerunt aut paſſi ſunt, ſed ut in ſuperioribus plerumque contra temporum & hiſtoriæ rationem, cùm Diocletiani perſecutionem illis temporibus aſſignet. De Maximo nihil præterea legitur, niſi quòd poſtquam ſediſſet annos 18. diem ſuum obierit. Elmacinus 12. tantùm numerat, ut & Makrizius: 19. Catalogus Kircherianus: alius indiculus apud Abulbircat annos 13. menſes 5. tanta eſt Autorum inter ſe diſcrepantia. Obiit 14ª menſis Farmuthi ex Elmacino & Makrizio, 19ª ex Abulbircat. Euſebius 18. annos Epiſcopatus ei aſſignat, atque ex illius & Hieronymi teſtimonio obitus ejus aſſignatur an. 281. vel 282. J. C. Dominica quæ erat 9ª Aprilis, in quo Orientales cum Græcis Latiniſque conſentiunt.

Inter Maximum & Theonam vacaſſe Sedem Alexandrinam anno uno, neque Severus neque Eutychius, aut alii Autores teſtantur, præter Chronicon & Indiculum Abulbircat, ubi ſcribitur *mortuo Maximo conſtitutum fuiſſe quemdam nomine Babnuda, hoc eſt Paphnutium, qui ſex menſibus Patriarchatum tenuit; ſed cùm ſeipſum caſtraſſet, dejectus eſt: nulla tamen ejus mentio fit in vitis Patriarcharum*, nempe in Severi hiſtoria; *ſed tantùm in quadam collectione*, quam Scriptor ait *tranſtuliſſe ex exem-*

plari Younes seu Yoannis Damiatensis. Ita locus se habet non ut à Wanslebio versus est, neque enim fuit *quidam Bebnudensis*, quæ vox nihil significat; neque expunctus ex Catalogo Patriarcharum, in quo nunquam fuerat, ut certe in nullo reperitur, sed notatur nullam ejus memoriam esse in vitis Patriarcharum, ut ratio constet cur inter eos non sit numerandus.

Hist. Patr. p. 32.

THEONAS Patr. XVI.

THEONAS PATRIARCHA XVI.

Electus statim post Maximum.

MAXIMO, cùm ex hac vita migrasset, suffectus est Theonas unanimi plebis Christianæ consensu: neque apud Severum, Eutychium, Elmacinum, Makrizium aut alios Autores, mentio est vacationis Alexandrinæ Sedis per annum integrum, quam assignat Autor Chronici Orientalis. Sed omnes Eusebio consentientes, statim eum ordinatum esse statuunt post prædecessoris ejus obitum, an. scilicet J. C. 282. aut 283. Atque ita constabit Chronologia Severi, qui ejus initium alligat *anno 1° Aurelii*, inquit, *Carii & Cariani*: nempe Aurelium, quod erat nomen utriusque Cari & Carini, pro tertio Imperatoris nomine accepit.

Ecclesiam ædificat.

Pauca sunt admodum de Theona memoriæ prodita: Illud præcipuum quòd cùm huc usque Christiani in speluncis locisque remotis preces & synaxes celebrare cogerentur, ob persecutionis sævitiam, ipse Ecclesiam sub nomine B. Mariæ ædificavit, quam *Tamaoutha* appellavit: nempe θαύματα, ut conjicere licet, à miraculis. Sane Alexandriæ antiquissimam fuisse Ecclesiam *Mualaca* dictam, aliàs Catholicam, ut ex Pontificali Coptico discimus, quæ Dei genitricis titulo consecrata esset, docent nos omnes Arabum Christianorum historiæ. An ipsa sit quam à Theona constructam scribunt Severus, Eutychius, Elmacinus, aut ea quam Theonæ nomine appellatam testatur Athanasius, & ab Alexandro consummatam, affirmare non possumus. Neque sane videtur convenire temporum rationi, ut tunc sub Invocatione S. Virginis sacra ædes erigeretur. Fieri autem potuit ut cùm Edictis Imperatoriis Ecclesiæ pene omnes dirutæ forent, nova à Theona excitata fuerit. De ea intelligenda sunt verba Synaxarii Æthiopici, ubi turrim ædificasse Theonam B. Mariæ, Æthiops vel potius Ludolphus scripsere.

Eutych. t. 1. p. 369.

Ath. Apol. 1. p. 369.

A D. Marco, inquit Severus, *ad annum 3 Patriarchatus*

Theonæ fluxerunt anni 219. obiit autem 2ª Tubæ seu Tybi Ægyptiaci, cùm sedisset annos 19. nempe an. J. C. 300. exeunte: neque enim Hieronymi Chronicon mendo carere credendum est, dum initia successoris ejus Petri removet ad an. usque 302. Nam is triennio circiter ante Diocletiani persecutionem Ecclesiam administravit: cœpta autem persecutio an. 303. Eo tempore Theonas, cùm Patriarchæ à Juliani tempore Alexandriæ vix comparerent, in publicum prodiit. *Eutych. t. 1. p. 399.*

Sub eo Patriarcha natus est Petrus Martyr, qui deinde Alexandrinam Ecclesiam sanctissimè gubernavit, & fuso sanguine illustravit. Ejus nativitatem miraculo impetratam narrat Severus hunc in modum. Erat Sacerdos quidam pius cum uxore sua sanctissima fœmina; ambo firmi in fide, vitamque juxta Christianæ religionis præcepta in bonis operibus transigebant. Carebant prole, quod non mediocri dolore illos afficiebat: unde Sacerdos jejuniis precibusque continuis, & eleemosynis intentus Deum supplicabat, ut filium suscipere posset. Cùm verò celebraretur festivitas Apostolorum Petri & Pauli, quam Christiana plebs magno ad Ecclesiam concursu celebrabat, Sacerdos ille & uxor ejus viderunt fideles adducentes filios suos coram sanctorum imaginibus, oleoque lampadis quæ ardebat è conspectu, eos captandæ benedictionis gratiâ linientes. Eo spectaculo magis commoti, quod orbitatis suæ memoriam renovaret, susceptis sacris mysteriis Deum laudantes domum reversi sunt. Ipsa nocte, viderunt per somnium viros duos ornatu Patriarchali, qui mulieri dixerunt, ne tristitiâ afficerentur; fore enim ut auditis eorum precibus daret ipsis Deus filium, qui non modò oculos eorum clauderet, sed pater foret magnæ hominum multitudinis, cujus fama & sanctitas tanquam Samuelis Prophetæ inclaresceret, quia filius promissionis futurus erat. Igitur cùm lucescet, vade, inquiunt, ad Theonam Patriarcham, & hæc omnia illi significato, ut benedicat tibi: nam Deus per misericordiam suam dabit tibi filium benedictum. Quæ cùm fecisset mulier, paulò pòst gravida facta, toto tempore quo uterum gestavit, in orationibus, jejuniis, continentiaque perseveravit, usque ad festum Apostolorum: atque eo ipso die peperit puerum, maxima parentum, ipsiusque Theonæ Patriarchæ lætitia. Jussit ille puero Petri nomen dari. Cùm ad tertium ætatis annum pervenisset, obtulerunt eum Patriarchæ, qui eum baptisavit. Cùm annum quintum ageret, magistris ad erudiendum traditus, tantum brevi tempore *Petri Martyris nativitas.*

profecit, ut septimo ætatis anno Lector ordinatus fuerit: 12° Diaconus. Tandem 17° anno completo Sacerdos ordinatus est, cùm inter Diaconos doctrina morumque sanctitate emineret, præsertim verò die nocteque ab Ecclesiæ ministerio non recederet. Hæc de Petri vita antequam ad Episcopatum assumeretur, Severus ex Actis quæ apud Arabes conservata sunt, qualia multis exemplis extant, tam apud Græcos quàm apud Latinos, & pauca dicentur de illis in ejus historia.

Hæresis Sabellii.

Theona sedente, orta est Sabellii hæresis, qui Personarum divinarum Trinitatem impugnabat, unamque personam Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse asserebat. Is Alexandriam cùm venisset, multis jam in errorem suum abductis, impudenter ad Ecclesiam venit, cùm in ea Theonas esset, misitque qui eum provocarent, ut cum eo de fide disputaret, ita ut si Theonas eum convincere erroris non posset, ad ejus sententiam accederet; ipse verò Sabellius demonstraturus postea foret apud populum, quàm graviter in rebus fidei Theonas hallucinaretur. Is contemto hæresiarcha, misit Petrum Sacerdotem, mandans ut illius audaciam compesceret. Sabellius de Theonæ superbia conquestus est, qui nullum alium ad se mitteret quàm adolescentulum. Petrus Dei auxilio confisum se tanquam David adversus Goliath gigantem adversus eum prodire dixit, ejusque blasphemias confutaturum. Cùmque ad eum verba fecisset, ejusque impietatem redarguisset, Sabellius vertigine correptus, in terram lapsus & mortuus est: & simul ejus hæreseos memoria prorsus extincta est. Hæc frustra quisquam ex Græcis Latinisve Autoribus elucidare aggrederetur, cùm veritati manifestè repugnent; neque de Sabellii rebus gestis certi quidquam apud Arabes reperiatur. Fieri potuit ut Alexandriam veniret; erat enim ex Lybia Pentapolitana; sed reliqua ex eorum incredibilium genere sunt, quibus magnopere delectantur Orientales, adeo ut magis hoc in genere attenti sint ad quisquilias omnes colligendas, quàm ad veritatem illustrandam.

Tandem refertur miraculum de energumeno per eum sanato: qui cùm ad Ecclesiæ limen tumultuaretur, & in obvios conjiceret lapides, jussus est Petrus dæmonem ejicere. At is prius aquam in vase Theonæ obtulit, ut eam crucis benedictione signaret: tum ad hominem accedens, eum liberavit.

Aiunt Theonam in extremis positum, convocatis fidelibus, Sacerdotibus & Laïcis, cùm eos flentes videret quòd orphanos eos

relinqueret; Non, inquit, orphani eritis: ecce enim pater vester Petrus, qui post me Patriarcha futurus est: & eum, antequam obiret, ab eo ordinatum.

Pleraque eorum quæ Severus de Theona refert circa Petri ordinationem ad Sacerdotii ministerium anno ætatis decimo septimo, & alia miracula leguntur in variis Orientalium libris, neque tamen idcirco certiora habenda sunt; nam ex Severo, Elmacinus & alii descripsere. Non videtur autem fieri potuisse ut contra Canonum autoritatem ordinatio ejusmodi facta fuerit. Verùm conjectura satis verisimilis est, eos qui primi quam retulimus historiam consarcinaverunt, seu Græci, seu Latini, seu Arabes, cùm eum sub Theona natum esse statuerint, ut totam miraculorum seriem uno filo pertexerent, addidisse eum in ipsa pueritia & adolescentia ordinatum, quod vix patitur temporum ratio. Et sane, secundùm Autores, quorum certior quàm Arabum omnium fides est, Petrum majorem natu fuisse, quàm ut sub Theona natus sit, videtur certissimum.

Supereſt ut moneamus non aliter ab Eutychio quàm ab aliis vocari hunc Patriarcham: sed ridiculè prorsus, Pocockio factum, ut codices suos secutus, quos non admodum antiquos fuisse fatetur ultro, *Neronem* eum appellaverit, cùm ipse in Indice Patriarcharum veram nominis scripturam agnoscens Theonam reposuerit. Nempe si quis eadem superstitione potius quàm religione omnia librariorum Arabum in nominibus propriis portenta exprimenda arbitretur, Utopiæ historiam non Ecclesiæ scribet. Id tamen perpetuò observavit, Autor cætera diligentissimus, magno sane lectorum incommodo, eorum præsertim qui Latina tantùm versione uti possunt.

De Sabellio & ejus hæresi agunt præterea Autores Præfationum in Concilia: Abulbircat, Ebnassalus, & multi alii quorum testimoniis recensendis supersedemus, quia nihil habent quod non meliùs & accuratiùs Græci Latinique tradiderint.

Circa annos Episcopatus consentiunt Severo Scriptores reliqui præter Autorem Chronici Orientalis, qui novem tantùm annos numerat cum diebus 263.

Memoriam ejus celebrant Coptitæ, 2ª mensis Tybi seu Tubæ, ut scribunt Arabes: & eadem die recolitur apud Æthiopes: neque emendandum Kalendarium illud à Seldeno editum, ut Theonas loco Thomæ substituatur. Non tamen ea est illius Kalendarii P. 33.

fides, ut ex eo quidquam stabiliri debeat, cùm ab homine Muhamedano consarcinatum ne mediam quidem partem sanctorum, quorum in Ecclesia Coptica memoria est, contineat: qui defectus in altero quoque observatur ex vitioso exemplari descripto. Adde perpetuas in interpretando Seldeni hallucinationes, qui non necessario labori supersedere debuisset, cùm nec Arabice satis sciret, & in rebus Orientalium Ecclesiasticis esset plane hospes. Quid enim commune fuit Kalendario Coptitarum, cum jure successionis apud Hebræos? Itaque frustra sæpe torquet se vir clarissimus, ut Seldenum cum Fastis Ecclesiasticis conciliet, aut Ludolphi Synaxarium: is enim non Seldeno magis in Ecclesiasticis rebus videbat: quod semel monuisse sufficiat.

PETRUS Patr. XVII.

PETRUS MARTYR PATRIARCHA XVII.

Petri electio.

De ejus nativitate non sine miraculo, pia institutione, maximaque etiam in ætate puerili virtutis & doctrinæ fama, adeo ut antequam annos legibus Ecclesiasticis præscriptos attigisset, ad Diaconatum moxque ad Sacerdotium promoveretur, dictum est in Theonæ vita, ex Severi solius testimonio. Neque enim sanctissimi Antistitis primordia ex aliis historicis quorum fides minus vacillet, agnosci possunt. Cùm autem Severus scribat eum ordinatum à Theona moribundo fuisse, ita illud accipiendum est ut successorem sibi designaverit, id enim à multis sanctis Episcopis factum: nam aliter Autor ipse sibi contradiceret: qui post obitum Theonæ scribit *congregatos fuisse Alexandriæ Sacerdotes & plebem, manusque imposuisse super Petrum filium ejus spiritualem & discipulum, sacerdotem, eumque collocasse in solio Patriarchali Alexandrino, juxta Theonæ mandatum, anno* 10° *Diocletiani Imperatoris.* Ne quis autem suspicetur esse quidquam illis in verbis præsidii ad confirmandam Seldeni de Presbyteris Patriarcham ordinantibus opinionem, animadvertendum est, Laïcos quoque manus imposuisse censendos esse, quod nemo sane Ecclesiasticæ disciplinæ vel leviter peritus existimabit. Habent enim Canones Apostolicos, quorum autoritatem ne vel suspicione quidem levissima lædi patiuntur, in quibus ordinari Episcopum à tribus saltem Episcopis constitutum legitur, quod & omnes Ecclesiæ religiosissime observant. Neque unquam apud Ebnassalum, Echmimensem, Abulfaragium, ullosve alios Cano-

num collectores & interpretes, aut eos qui omnia ad Ritus ordinationis spectantia collegerunt, præsertim ad ordinationem Alexandrini Patriarchæ, quidquam occurrit quod laïcarum manuum impositionem vel obscure significet. Nec opus est ut Abrahamum Echellensem secuti, hæc & quædam similia testimonia interpretemur, non de χειροθεσίᾳ ad ordinationem, sed de χειροτονίᾳ ad electionem: quam vocum differentiam ex Lexicis Græcis confirmare satagit, de qua etiam accuratè disputatum est à viro clarissimo Joanne Morino. Etsi enim discrimen aliquod in ἐτύμῳ delitescit, at nullum omnino in ipsa re deprehendi potest, præsertim in usu Ecclesiastico: ex quo similium vocum significatio petenda est, non ex Athenis Atticis. Verba enim Arabica χειροθεσίαν seu impositionem manuum, propriè notant, non χειροτονίαν seu manuum extentionem ad suffragia ferenda, quam nec in Alexandrino, nec in Antiocheno Syro, nec in Nestoriano, nec in Græco ritu observare licet. Omnis enim suffragii à Laïcis & Sacerdotibus ferendi forma in acclamatione consistebat, τῶ ἄξιος, *dignus est*, ut alibi monuimus. Simplicissima igitur loci hujus & aliorum similium interpretatio est, quod Arabes impersonalia verba, impersonalemque orationem per pluralem tertiam exprimere solent: quod Anglicæ linguæ & Teutonicæ Dialectis, tum aliis etiam plerisque vulgaribus commune est. Itaque *imposuerunt illi homini manus*; idem est ac si diceretur, *impositæ sunt illi manus*, nempe ab illis ad quos jus ordinandi pertinebat: ut pari sensu sæpe legimus, *convenerunt in Ecclesiam Sacerdotes cum Episcopis & plebe, Liturgiamque celebraverunt*: nempe illi qui eam celebrare ex ordinis sui munere debebant & poterant, in reliquorum præsentia. Tam facile quippe demonstratu est Laïcos Missam celebrasse, quàm Sacerdotes aut Episcopos ordinasse.

Eutych, Vindicat.

Annus porro quem Severus assignat, conciliari non potest cum Eusebio, aut cum certa Chronologia. Nam Diocletiani 18° initia Episcopatus assignat in Chronico, & alibi docet eum 3° persecutionis anno passum, & 19° ejusdem Imperatoris. Unde suspicari licet irrepsisse mendum, quod in Arabica scriptura facilè fit ex punctorum Diacriticorum omissione aut transmutatione, ita ut vox שנה ex unius puncti defectu, substituta sit loco alterius שתה quæ sex significat: nam Græcæ Chronographiæ aliquot huic anno 16° assignant Petri Episcopatum aut martyrium, quod Arabibus

Annus electionis.

Eus. Eccl. Hist. l. 7. c. 32. L. 8. c.

quorum major quàm credi potest, in exscribendo indiligentia est, errandi occasionem videtur præbuisse.

Cùm scivisset Petrus Arium impietate sua turbas ubique excitantem, eum deposuit & Ecclesiâ pepulit.

Persecutio Diocletiani. Anno verò 19° Diocletiani, ut rectè legitur apud Eusebium, literæ Imperatoriæ Alexandriæ & per totam Ægyptum publicatæ sunt, adversus Christianos; cœpitque dirissima persecutio, in qua multa eorum millia cæsa sunt, Ecclesiæ solo æquatæ: adeo ut fideles fugere in deserta speluncasque coacti sint. Constituit autem per totam Ægyptum superiorem & inferiorem apparitores qui Christianos conquirerent, statimque supplicio afficerent. Illi cùm Petrum Patriarcham apprehendissent, eum in carcerem conjecerunt; cùmque id Imperatori significassent, mandavit, ut ei caput abscinderetur. Cùm illi mandatum exequi festinarent, maximus Christianorum concursus ad carcerem undique factus est, qui se priùs occidendos clamaverunt, quàm ut Pastoris sui cædem paterentur. Ita factum, ut satellites cogitarent quomodo absque tumultu educi posset, ne promiscuam tot hominum, senum, juvenum, monachorum, virginum, mulierum cædem facere cogerentur, & tamen Diocletiani mandatum de supplicio Petri exequerentur. Causa quæ eum moverat ad illius necem imperandam, hæc secundùm Severum fuit. Erat Antiochiæ vir quidam inter officia Palatina militans, magnaque apud Imperatorem dignitate, Socrates dictus, qui cùm amicissimus fuisset Martyris, cujus nomen legi non potest; ejusque soror Irene martyrium constantissimè pertulisset, fidem abnegavit. Uxor ejus fidelis permanens, cùm duos ex eo filios habuisset, qui jam ad eam ætatem pervenerant, ut baptisari eos oporteret, ab eo rogavit ut Alexandriam proficiscerentur, atque ibi filii ejus baptismum acciperent, ne si absque sacramento decederent, iram Domini J. Christi incurrerent, quòd eorum saluti per suam negligentiam non providissent. Negavit licentiam proficiscendi Socrates, veritus Imperatoris sævitiam. Illa assumtis pueris, servisque duobus fidelibus, Deo se commendans, secretò ad mare profecta, navem conscendit, & Alexandriam tetendit. Orta ingenti tempestate, mulier vultu ad Orientem converso, cùm ardentes ad Deum preces fudisset pro filiorum incolumitate, arrepto cultello: *Tu Deus*, inquit, *nosti quid in corde habeam: tum dextram mammam pupugit, è qua tres guttas sanguinis eliciens, illis signavit in formam crucis filiorum frontem* in nomine

Historia puerorum in mari à matre baptisatorum. *Chron. Or. p. 116.*

nomine Patris & Filii & Spiritus sancti; *atque eos in mari baptisavit, dicens:* Baptiso vos, filii mei, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: adjungens, *Jam tandem si moriendum est, moriamur ô filii.* Sedata tempestate post triduum Alexandriam appulerunt, ipso die Parasceves Dominicæ 6ª Jejunii Quadragesimalis, quo infantibus baptismus administrabatur. Accessit mulier ad Diaconum, rogans ut se ad Patriarcham deduceret; causamque rogata, respondit nihil aliud negotii sibi ad illum esse, nisi ut duos istos filios suos ad baptismum offerret. Jussit eam Diaconus in Ecclesia sedere, mox adventurum Patriarcham qui cum aliis parvulis ejus quoque filios baptisaret. Advenit Patriarcha: cùmque Liturgiam perfecisset, oblati sunt ei parvuli ad baptismum suscipiendum, quorum multos in aquam immersit. Post illos oblati sunt filii duo mulieris Antiochenæ: quos cùm accepisset, ut in aquam mergeret, ea statim congelata in modum lapidis obduruit. Stupefactus Patriarcha illos seorsim constitui jussit, & alios admoveri; nemo enim observaverat aquæ congelationem: quæ statim atque alii admoti sunt, dissoluta rediit in priorem statum, infantesque baptisati sunt. Iterum reductis duobus illis, aqua obduruit; aliis adductis, resoluta est: quod tertiò contigit. Majorem in modum miratus rei novitatem Petrus, jussit Archidiacono ut eorum matrem accerseret: Ea cùm venisset, rogata cujas esset, quodne peccatum commisisset; respondit se esse Antiochenam, Christianam ex Christianis parentibus. Quid, inquit Petrus, fecisti? ecce enim Dominus non suscipit filios tuos ad baptismum. Mulier rem ut erat confessa est: eam bono animo jussit esse Patriarcha, Deum ipsum ejus filios baptisasse asserens, eâque causâ non iterandum in illis baptismum, quia unus est; filios ejus jam fuisse baptisatos, nec dubitandum de baptismo, quem Deus tam insigni miraculo comprobasset.

Quid de hac historia judicandum.

Refert hanc historiam in pauca verba contractam, ex vita Petri à Severo scripta Elmacinus, ita tamen ut Socratem martyrium subiisse dicat, cùm alter fidem eum abnegasse testetur. At vera scribit Elmacinus, si Socrates ille est qui laudatur in Actis SS. Phileæ & Philoromi, aut alius; nam aliquot ejus nominis Martyres occurrunt in Fastis Ecclesiasticis. Mirum tamen est apud Antiquos nullam historiæ tam celebris extare memoriam, præsertim cùm magna sit apud Ægyptios Petri Martyris autoritas, cujus Canones, seu Epistolam Canonicam, laudant omnes

Tillem. Hist. Eccl. t. 4. p. 459. Act. Martyr. p. 549.

qui de Disciplina Ecclesiastica scripserunt. Nam exemplo viri sanctissimi probassent valere collatum in maximis angustiis à muliere baptismum, quem omnes prope tanquam nullius efficaciæ videntur reprobasse, ut videre est apud Echmimensem, Ebnassalum & alios.

Ut porro ad historiam revertamur, & qua ratione occasionem dederit Diocletiano, ut Petrum ad necem quæri juberet, explicemus, ita Severus prosequitur. Mulier cùm Antiochiam reversa esset, interrogata unde veniret, confessa est se Alexandriam ivisse, non ad adulteria exercenda cum Christianis, ut Imperator exprobrabat, sed ut filios ad baptismum offerret. Jussit Diocletianus, ut ligatis manibus, injectisque desuper filiis, in ignem conjiceretur: atque ita martyrium consummaverunt. Cùm autem ita rescivisset Diocletianus Petrum, contemtis edictis, baptismum Alexandriæ celebrasse, iratus jussit ut de eo supplicium sumeretur: atque ea causa fuit cur tanto studio Petrus à persecutoribus quæreretur.

Quid Petrus egerit ante martyrium.

Act. Gr. Combef. p. 193. 197. Till. Hist. Eccl. l. 5. p. 438. 755.

Cùm interea fama percrebuisset de capitali sententia quam in Petrum Imperator protulerat, timens Arius, ne executioni mandaretur priusquam ab anathemate quo eum innodaverat absolveretur, multos Sacerdotes, Diaconos & Laïcos compulit, ut precibus absolutionem ejus impetrare conarentur. Illi igitur ad carcerem magno numero congregati, Patriarcham instantissimè rogaverunt, ut eum absolveret. Ille alta voce respondit: *Arius sit excommunicatus in hoc sæculo & in futuro, à Domino nostro Jesu Christo.* Cùm igitur magno omnes timore perculsi forent, nullus deinde eum pro Ario interpellare ausus est. Cùmque eos consternatos videret, surgens, duosque discipulos suos Achillam & Alexandrum seorsim ab aliis assumens, dixit illis: *Deus adjuvabit me ut martyrium citò consummem: tu verò Achilla Sacerdos post me sedebis in hac sede; & post te frater tuus Alexander. Ne porro existimetis me licèt peccatorem inclementer agere: sed Arius fraudem occultam dissimulat, neque ego eum excommunicavi, sed Christus. Dicam porro vobis me hac nocte postquam orationem meam perfeci, obdormiisse, vidisseque in somnis juvenem cujus facies solis instar splendebat, opertum veste quæ discissa erat, cujus latera colligens, tegebat corpus ut poterat. Tum ego,* Quis, *inquam,* Domine, vestem tuam ita discidit? *Arius,* inquit: *atque adeo cave ne eum suscipias, aut eum eo ullam communionem ha-*

beas. Monuit me, inquit poſtea, *venturos poſtridie, qui pro Ario intercederent, ſed ne illis acquieſcerem, verùm Achillam & Alexandrum qui mihi ſucceſſuri eſſent, inſtruerem, ne eum reciperent :* atque eam cauſam eſſe docuit cur anathema olim prolatum adverſus Arium, iteratâ ſenttentiâ confirmaſſet. Monuit præterea ut quandoquidem Deus eos elegiſſet ad regendam plebem ejus, darent operam ne per talium hominum ſcelus Eccleſia quidquam detrimenti caperet. Scire enim ſe poſt ejus mortem futuros, qui blaſphemiis ſuis occaſionem darent ſchiſmati, quo Eccleſia divideretur, ſicut jam à Meletio Lycopolis Epiſcopo factum erat, qui multos ad ſe pertraxerat. Hortatus eſt igitur eos *Act.Gr.p.200.* ut vigilanter & ſtrenuè Eccleſiam Dei defenderent, prædeceſſorum ſuorum exemplo, præſertim Dionyſii, qui tanto animo adverſus Sabellium pugnaverat ; & aliorum qui non modò ab idololatris multa paſſi erant, ſed etiam ab hæreticis quibus acriter reſtiterant, ſicut Heraclas & Dionyſius Origeni & aliis. Tandem eos oſculatus, illis benedixit, aſſerens ſe faciem ejus poſtea non viſuros, commendavit eos Deo; & ad reliquos qui ad eum venerant converſus, habito ſermone quo eos in fide confirmaret, oratione ſuper illos facta, dataque benedictione, omnes à ſe dimiſit.

Cùm verò major adhuc tumultus excitatus eſſet, eò quòd milites non paterentur Chriſtianos ad eum accedere ; veritus Petrus ne ea occaſione cædes in plebe fieret, miſit ad milites, jubens ut nocte intempeſta ad parietem carceris accederent, & quo loco ipſe ſignum percutiendo daret, eum perforarent, & mandatum Imperatoris perficerent. Cùm igitur Chriſtiani fores carceris obſiderent, milites ad locum deſignatum venerunt, parietemque perfoderunt. Tunc Petrus ſigno crucis facto, melius eſſe ait ut ipſe moreretur, quàm tanta multitudo ipſius cauſâ mali quidquam pateretur. Educto igitur capite per ipſum foramen, martyrium conſummavit, nemine animadvertente : tunc enim ventus ingens fecit ne ſtrepitus militum exaudiretur. *P. 206.*

Aliud exemplar, inquit Severus, refert Petrum per illud foramen eductum fuiſſe ad locum *Bucolia* appellatum, Marci Evangeliſtæ martyrio & ſepulcro apud Chriſtianos inſignem : ibi preces ad Deum fudiſſe, D. Marco ſe commendaſſe, oraſſe etiam Deum ut tam dira perſecutio finem haberet ; & mors quam pro ejus nomine paſſurus erat, tanquam ſacrificium pro commiſſo ſibi *Alia hiſtoria martyrii. Act.Gr.p.208.*

grege acceptaretur. Erat prope domuncula, in qua virgo Deo dicata ſanctiſſimè vivebat. Hæc cùm oraret, audivit vocem dicentem : *Petrus primus Apoſtolorum ; hic autem Petrus ultimus martyrum.* Finita oratione, Petrus oſculatus eſt ſepulcra D. Marci, & aliorum Patriarcharum qui illic ſepulti erant : proceſſitque ad milites, qui cùm viderent faciem ejus tanquam Angeli, non audebant ad eum accedere. Ille ſublatis ad cœlum oculis, factoque crucis ſigno, dixit, Amen : tum abjecto pallio, nudam cervicem lictoribus præbuit, qui cùm timerent, inter ſe ſtatuerunt ut qui ei caput amputaret, viginti quinque aureos quos in medium contulerunt, acciperet. Unus igitur illorum audacior caput illi abſcidit ; deinde collectæ multitudinis metu fugerunt. Corpus beati Martyris eodem in loco manſit, quod fideles tunicâ ſuâ involutum repererunt ; virginem de qua ſuperiùs dictum eſt, & ſenem quemdam ejus patrem, illud cuſtodientes. Illi caput corpori conjungentes, & ſindone involventes, grabbatoque in quo Petrus cubare ſolitus erat imponentes, in Eccleſiam detulerunt. Ibi dum myſteria ſacra celebrabantur, collocatum fuit in Throno Patriarchali, tandemque ſepultum cum reliquis Patriarchis.

Paſſus eſt 29ª menſis Athyr, qui reſpondet 25. menſis Novembris, cùm 26ª in Eccleſia Latina ejus memoria celebretur in Romano Martyrologio. Græci VIII. Kal. Decemb. nempe 24. Nov. eam celebrant. Coptitæ in Kalendario ſuo ad 2ᵃᵐ menſis Athyr : in Seldeniano ad 25ᵃᵐ ejuſdem.

Atque hæc ferme ſunt præcipua hiſtoriæ capita, quæ Severus pluribus verbis complexus eſt, excerpta ex Euſebio & veteribus Actis quibus eadem ferme continebantur, quæ in vulgatis, ab Anaſtaſio Bibliothecario verſis, ſed quorum antiquiſſima interpolatio eſt. Jam enim factam fuiſſe ante Severum teſtis illa ejus in narratione diverſitas, dum alia exemplaria prodiiſſe illum perfoſſo pariete ad Bucolia, ibique martyrium conſummaſſe, referre teſtatur : alia per ipſum foramen caput abſcindendum protuliſſe. Sed prior narratio magis convenit cum Actis quæ Baronius tanquam ſinceriora ſecutus eſt ; ubi & locus martyrii, & reliquæ circumſtantiæ ſatis conveniunt cum illis quæ ex Severo retulimus.

Tillem. Hiſt. Eccl. t. 4. p. 432. 763.

310. ſ. 8. & ſeq.

De Ario excommunicato idem habent eadem Acta vetera, niſi quod, ut rectè conjicit Baronius, non tam hæreſis cauſâ, quæ ſub Alexandro primùm producta eſt in medium, quàm quòd Mele-

tiano ſchiſmati adhæreret, pulſus Eccleſiâ eſt. Nam quod Meletii meminerunt Acta Arabicè ſcripta, non inane argumentum eſt fuiſſe in antiquis libris unde tranſlata ſunt, quædam ad ſchiſma illud pertinentia, cujus non particeps ſolùm, ſed defenſor Arius foret, quæ Arabes non intellexerunt. Sed cùm de Ario ſermo eſſet, non aliam excommunicationis illius cauſam fuiſſe ſuſpicati ſunt, quàm hæreſin, quæ nonniſi ſub Alexandro erupit in publicum. Eâ quoque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ignoratione factum, ut Arium Preſbyterum appellarent, qui nondum eum dignitatis gradum obtinuerat, etiam ſecundum Acta interpolata, quæ Surius publicavit, ſed Diaconum : cùm ab Achilla Petri ſucceſſore Preſbyter ordinatus fuerit. Antiquam porro hanc interpolationem eſſe facit manifeſtum, Actorum quæ Severus exſcripſit, & Surianorum de hæreſi Arii jam à Petro damnata conformitas : quanquam ne dubitemus, quin ad hiſtoriæ fidem emendanda utraque ſint, cogit contrarium Athanaſii teſtimonium, qui excommunicatum Arium hæreſis cauſâ primum fuiſſe ſcribit ab Alexandro Achillæ ſucceſſore. Et ſane veſtis Chriſti diſciſſio, quæ per viſum Petro repræſentata eſt, ſchiſma potius quàm hæreſin ſignificare videbatur.

Tom. 6. die 25. Nov.

Præter illa quæ Severus complexus eſt, habemus communem Orientalium omnium traditionem de Epiſtola Canonica Petri Alexandrini : ea extat in omnibus Canonum Collectionibus, ſed ut vetera ejuſmodi monumenta, ut plurimum ſolent, valde interpolata. Antiquiſſima omnium & magis accurata verſio, Syriaca eſt, quam nobis ſubminiſtravit Codex optimus membranaceus Bibliothecæ Mediceæ. In eo tamen inter Canonem 13um & 14um inſeritur fragmentum exhortationis ad pœnitentiam, quo carent Græci Codices, fortè quia legem nullam continet. Ejus teſtimoniis utuntur Echmimenſis, Ebnaſſalus, Abulfaragius, & alii cujuſcunque ſectæ Orientales Chriſtiani, apud quos etiam extant quædam ex aliis ejus operibus fragmenta, in illis Collectionibus anonymis quæ vocant reſponſa ; ſed ita ut ad poſteriorum temporum diſciplinam accommodata ſint. Cùm enim pleraque illa Juris Canonici ſyntagmata ſeriùs facta ſint, nec tam ad doctrinæ Autorum commendationem, quàm ad uſum Eccleſiarum, Canones ferme omnes qui ad lapſos in perſecutione Gentilium pertinebant, accommodaverunt ad eam quam ſæpe à Muhamedanis Chriſtiani ſuſtinuerunt. Ita Canones aliquot diſciplinam ſpectan-

Petri Epiſtola Canonica, edita cum Gr. Thaum. p. 10.
Till. p. 450.

tes, erga apostatas qui abnegato Christo, Muhamedanam impietatem professi erant, Petro Alexandrino, Basilio, & aliis primorum sæculorum Patribus tribuunt.

De aliis ejus operibus quorum antiqui Autores meminerunt, nihil apud Orientales extat, aut memoriæ proditum est: nisi quod nonnulla fragmenta laudantur à Jacobitis in Opere quod vocant *Fidem Patrum*, in quo multa veterum testimonia ad hæresis de una natura suæ defensionem collegerunt. Homilia *de Baptismo Christi* laudatur in alio opere, cui titulus *Unio pretiosus*.

De Ario & visione quæ Petro martyri oblata est, scribit quoque ex communi Ecclesiarum traditione Maris Salomonis filius in Historia Nestorianorum.

Passus est Petrus secundùm Eusebium Hist. l. 9. c. 5. nono persecutionis anno, hoc est, ut posteriorum accuratum calculum sequamur, an. J. C. 311. Nempe ut docet idem Eusebius l. 8. c. 11. nonus decimus agebatur annus Imperii Diocletiani, cùm mense Dystro quem Romani Martium vocant, appetente die festo Dominicæ Passionis, proposita sunt ubique Imperialia Edicta. Hæc nempe nota designat annum æræ vulgaris 311. ut probat D. Theodoricus in Notis ad Acta Martyrum sincera. *P. 317.*

Æra Martyrum.

Neque omitti debet ab illa tam insigni persecutione quæ tot Martyres cœlo inseruit, duci Epocham quæ in tota hac historia frequentissime recurrit, nempe Martyrum, quæ aliter vocatur *Æra Ægyptiorum* seu Coptitarum, quia soli Ægyptii ea uti dudum solent, quam consuetudinem servant adhuc hodierni Coptitæ Jacobitæ: ab Ægyptiis Æthiopes acceperunt qui eam vocant *Annum Gratiæ*. Græci Alexandrini, ut omnes ferme ritus proprios immutaverunt, eos suscipiendo qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ singulares erant, quod post decimum sæculum fieri cœpit, ita quoque morem annos numerandi, secundum Æram Martyrum omiserunt, quorum loco annos mundi ex communi Græcorum calculo numerant. Epochæ illius initium assignando in errorem inductus ab Ignatio Patriarcha Antiocheno Josephus Scaliger, alios fefellit dùm illud ab anno 19° Imperii Diocletiani sumendum arbitratus est. Recte sane Abulfaragius. *Ab anno 1° Imperii Diocletiani qui est Alexandri 595us, initium habuit Æra Diocletiani, quâ annos supputant Coptitæ, eamque vocant Æram Martyrum.* Idem confirmat Makrizius Autor diligentissimus, qui in 1ª parte Descriptionis Ægypti tractans de variis an-

Scalig Emend. Temp.
Ludolph. Comment. p. 385.
Hist. Dynast. p. 84.

norum formis, & Epochis, annum primum Diocletiani initium habuisse scribit medio an. 595. Alexandri, quod deinde accuratiùs his verbis exponit. Postquam dixit persecutionem sub Diocletiano decimam fuisse, omniumque longe gravissimam, cùm toto ejus imperii tempore vix unum diem intermissa fuerit, hæc subjungit: *Idcirco initium Imperii Diocletiani caput Epochæ constituerunt Ægyptii. Incepit porro regnare die veneris, inter quem, & feriam 2am quæ erat 1a dies Toth, simulque primus dies imperii Alexandri F. Philippi Macedonis 594. anni, cum undecim mensibus & diebus tribus, intercurrunt. At inter feriam 6am quæ fuit prima dies Æræ Diocletiani, & feriam 5am quæ fuit prima dies Hegiræ Muhamedanæ, intercedunt anni lunares 338. diesque 39.* Atque hæc verè à Makrizio dicta, nam ex Ulug-Beigi institutione quæ typis edita est à Joanne Gravio, ejusque tabulis constat, primum diem Æræ Muhamedanæ fuisse 15. Julii feria 5. an. J. C. 622. Seleucidarum, seu quod idem est Alexandri 934. Itaque de annis J. C. 622. si detrahamus annos 338. supererunt an. 284. atque hoc anno exeunte, nempe post x v. Kal. Octob. Diocletianum renuntiatum esse Imperatorem ex Chronico Alexandrino aliisque Autoribus probavit Dionysius Petavius. Qui quidem calculus deficit, siquidem annos numeramus lunares, qui 354. dierum sunt. Primus annus Diocletiani incidit in annum J. C. 284. cùm post Cari & Numeriani obitum Imperator salutatus est. Primus annus Hegiræ est 622. J. C. Itaque inter unamque Epocham intercedunt anni 338. sed solares, non lunares, nam isti non eamdem summam annorum efficiunt, sed undecim circiter annis minorem. Unde non dubitandum, quin vel librarii vel ipsius Autoris culpâ factum fuerit, ut lunares Makrizius pro solàribus annos scriberet. Quod attinet etiam ad alteram supputationem secundùm quam Autor ait 594. annos, menses 11. & dies tres intercedere inter initium Alexandri, & primum diem Æræ Diocletiani difficultate non caret. Nam non ita vulgo numerant Astronomi & Chronologi Orientales, qui ut etiam Censorinus, annos Seleucidarum numerant ab excessu Alexandri. Hic Autor anno 238. scribens numerabat annos illius Æræ 562. adde 46. qui inde fluxerunt ad J. C. annum 284. Diocletiani primum, fient anni 608. detrahe annos 12. regni Alexandri, fiet an. 596. atque ita facilis erit Makrisii cum Chronologis accuratioribus conciliatio; in quorum ta-

Ita Elmacinus.

Doctr. Temp. l. 11. c. 31.

Cap. 21.

bulis annus Æræ Christianæ 284. respondet Seleucidarum anno 596. Verùm hæc omnia turbatissima esse sciendum est. Nam ut Ulug-Beigus, & alii Autores monent, initium Æræ Alexandri, seu Epochæ Græcorum quam vocant *Tarich El-Roum*, non ab Alexandri magni Imperio, non ab ejus morte, sed à duodecim annis post ejus mortem constituendum est. Neque juvant quæcunque à doctissimis Chronologis huc usque de illa Æra disputata sunt; nam etsi initia Diocletiani, aut Alexandri seu Seleucidarum Epochæ, multis rationibus & calculis explicare aggressi sunt: nemo tamen eam Martyrum de qua nunc agitur, rectè definivit, cùm eorum calculus cum communi Ægyptiorum non conveniat: id autem certissimè definitur ex ipsis Orientalibus qui jam à multis sæculis solas illas Epochas usurpant; nempe Syri & quicunque Antiochenæ Jacobiticæ, vel Nestorianæ Ecclesiæ subjecti sunt, annos ab Alexandro numerant. Græci & qui ritum eorum sequuntur, præterquam Syri Melchitæ seu Orthodoxi, annos ab Orbe condito: soli Ægyptii Christiani, & inter illos etiam soli Jacobitæ Coptitæ, annos computant secundùm Æram Martyrum; atque eos Abyssini imitantur, utpote qui disciplinam omnem, fidem & ritus à Coptitis acceperunt. Itaque cùm non alii meliùs quàm ipsi Coptitæ Æram suam intelligant, etsi fortassis Chronologicis rationibus errare deprehenduntur, morem hunc tamen constantissime servant, ut annum primum Æræ Martyrum, Coptitarum seu Diocletiani numerent ab anno Alexandri 595. qui respondet annis J. C. 295. & 296. nam annus Ægyptiacus initium habet à mense Toth qui Septembri respondet. Ea ratione conciliantur Abulfaragius, Eutychius, Makrizius, & alii cum Tabulis eorum annorum qui à Kal. Januariis habent initium, atque eadem ratione annum Hegiræ 1um qui incepit 15. Jul. an.
P. 60. J. C. 622. numerant 934. Alexandri. Videndæ Notæ Golii ad Alfraganum, & Epochæ Ulug-Beigi. Sed ut verum fateamur, intricatissima est apud ipsos Arabes Epochæ illius cum aliis comparatio, in qua non minora ab illis contra accuratæ Chronologiæ regulas, quàm à nostris hominibus peccata sunt. Computum Ecclesiasticum ignoravere plerique Muhamedani: Christiani sæpe in annis Alexandri seu Seleucidarum comparandis hallucinati sunt. Recentiores Chronologi, qui hæc omnia emendare poterant, libros Orientales ignoraverunt, neque ullus magis Scaligero, qui tamen Orientalis eruditionis lacinias ubique ostentavit. Ipsi Christiani

stiani Orientales sæpè cùm annos Arabum cum annis Martyrum componunt, aberrare deprehenduntur. Itaque in hac historiæ Epitome eos ad veriorem calculum expendimus, nempe ut æra incipiat ab anno J. C. 284. quæ est Bollandianæ continuationis Autorum sententia. *Hist. Patr. Alex. p. 34. 6.*

ACHILLAS PATRIARCHA XVIII.

Achillas Patr. XVIII.

ITA ab Eusebio aliisque Græcis Autoribus appellatur Petri Martyris successor proximus, quem Coptitæ suis Indicibus ἀρχίλλαν vocant, & Arabes Archillam & Archelaum, malè prorsus, nec nisi ex aliquorum codicum vitio, quod in alios omnes irrepsit. De eo autem pauca admodum Severus habet: *Mortuo*, inquit, *Petro, Alexandrini Christiani, missis ad Episcopos nuntiis, eos convocaverunt in urbem, ubi ordinatus est Achillas Presbyter secundùm Petri morientis mandatum; statim multi rogaverunt novum Patriarcham, ut Arium reconciliaret Ecclesiæ: ille verò facilis nimiùm ad importunas eorum preces, eum Diaconum ordinavit. Ita cùm præter patris sui Petri mandatum Arium suscepisset, non diu cathedram Episcopalem tenuit, sed post sex ab ordinatione menses obiit 19ª mensis Bounæ seu Baïni.* Ita Chronicon.

Eutychius nonnisi 5° post Petri martyrium anno, Achillam constitutum fuisse Patriarcham scribit, qui sex menses sederit. Gelasius Cyzicenus unius anni vacationem fuisse ait: sed fides ejus vacillat, Arium, implorata ope amicorum, ab Achilla veniam impetrasse, & sacerdotem ab eo fuisse ordinatum, cùm simulasset pœnitentiam de pristinis erroribus. Sex annos habet Latina Eutychii versio, sed per errorem; nam in Arabico, menses legitur: ut etiam apud Elmacinum, qui sex menses & aliquot dies numerat: atque ita Makrizius, & Indiculus apud Abulbircat. Magna sanè etiam in Græcis Autoribus conciliandis difficultas est circa Achillæ Episcopatûs initium, & tempus quo sedit. Abulbircat ejus ordinationem & mortem eidem anno assignat, quem ait fuisse 19um Æræ Martyrum. Ea si, ut mox ostendimus, deducenda est ab initio Diocletiani, hoc est ab anno 284. J. C. & Diocletiani propositis ubique adversùs Christianos edictis notissimus idem sit quo passus est Petrus, quod ex Eusebio & Arabicis Autoribus certissimum omnino videtur esse, idem erit annus ille 19us Æræ Martyrum, qui respondet anno Alexandri sive Seleucidarum 614.

P. 407.

Hist. Nic. Conc. l. 2. l.

is autem est an. J. C. 303. Nam ex calculo Makrizii inter initium Æræ Seleucidarum, licèt malè ab eo assignatum, à 1° an. Alexandri, sed ita tamen ut numerus sibi constet, & cum accuratiori Chronologia concilietur, intercedunt anni 595. paucis diebus exceptis. Atque ita cùm annus Ægyptiacus, qui solus locum habet in Æra Martyrum, incipiat à Septembri seu Toth, 19us illius Æræ incidit in annos Seleucidarum 614. & 615. J. C. 302. & 303. qui ultimus est Diocletiani 19us, quo passus est Petrus Alexandrinus. Huic si statim suffectus est Achillas, ut ex Severo meliorum Autorum defectu intelligitur, sexque tantùm mensibus Cathedram tenuit, rectè eodem anno 19. Martyrum: J. C. 303. Seleucidarum 614. & 615. assignatur Petri martyrium, Achillæque ordinatio & obitus. Is etiam calculus alia ratione confirmatur: nam Alexander Achillæ successor obiit an. J. C. 326. Constantino Aug. VII. & Constantio Cæsare Coss. Sedit Alexander secundùm Severum & alios Autores Orientales annis 23. Igitur initium ejus incidit in an. J. C. 303. Arabibus consentit Nicephorus Patriarcha & multi alii, circa annos Alexandri. In Indiculo Coptitarum apud Abulbircat assignatur obitus Alexandri an. Martyrum 30°, sed malè ut infrà dicetur, cùm de Athanasio loquendum erit.

Verùm adeo confusa est Orientalium Chronologia, ut eorum calculos cum Græcis Latinisve Autoribus conciliare operam sit abuti suam, Achillam ordinatum Patriarcham Alexandrinum anno J. C. 311. obiisse anno 312. verisimile videtur: ad annum sequentem debere produci aliorum sententia est, non inanibus argumentis fundata. Cùm verò non omnino perspicua sint Græcorum Latinorumque testimonia, Orientales parum inter se consentire mirari nemo debet, præsertim cùm in comparandis annis Ægyptiacis, cum Græcis & Seleucidarum Æræ propriis, sæpè errare deprehendantur.

Tillem. Hist. Eccl. t. 6. p. 213. Hist. Patr. Alex. p. 36.

Sub Achilla statim scilicet post Petri martyrium Antonium in eremum se recepisse scribunt plerique Autores Orientales, nempe quia sæviente persecutione Alexandriam cùm venisset ut se martyrio offerret, eâ sedatâ in solitudinem suam reversus est, ut scribit Athanasius in ejus vita. Indiculus apud Abulbircat, sub Maximo Patriarcha ejus Monachatûs primordia collocat.

ALEXANDER PATRIARCHA XIX.

Alexander Patr. XIX.

MORTUO Achilla, convenit Christiana multitudo, ordinatusque est Alexander Sacerdos, juxta mandatum Petri Martyrum postremi. Statim atque in sede D. Marci Alexander collocatus est, quidam eum interpellaverunt de Ario suscipiendo : sed eos rejecit cum indignatione, neque ut Arium susciperet adduci potuit. Verùm illis ita locutus est : Petrus Pater cùm esset in carcere, mihi & Achillæ fratri meo dixit, Christum Dominum anathematisasse Arium, prohibuitque ne illum reciperemus : quia verò Achillas huic mandato inobediens fuit, sex mensibus tantummodò dignitatem retinuit. Igitur nunquam omnino illum recipiam : atque ita mansit Arius anathemati subjectus, donec pœnitentiam errorum suorum simulans Constantinopolin venit, atque ad Constantem Constantini M. filium se applicuit, perfidiam suam occultans ; sed ejus impietatem Deus tandem ultus est, periit enim effusis per posteriora visceribus. Ejus causâ habitum fuit Nicænum Concilium, in quo anathema Ario dictum est, fidesque orthodoxa confirmata : promulgatæ etiam Constitutiones de jejunii diebus & de Paschate. Huic Concilio præfuit Alexander, si Severo credimus, qui plura de illo non habet, nisi quòd obiit 22ª Farmuthi, cùm sedisset annos 16. nec plures Eutychius numerat. Elmacinus 23. cum Nicephoro & aliis Græcis, qui Indices Episcoporum primariarum sedium scripserunt.

De Ario.

Quæ verò de Ario commemorat paucis verbis Severus, eadem fusiùs relata ab Eutychio inveniuntur, quem consulere quisque per otium poterit ; neque enim sunt ejusmodi, ut quidquam novi docere nos queant, narrationes verò parùm accuratas magno labore cum antiquis & melioris notæ Autoribus conciliare non videtur operæ pretium. Sed ut paucis ea complectamur quæ ad historiæ seriem pertinent, hallucinantur Orientales cùm id videntur designasse, quod aut planè incertum, aut veritati contrarium esse multa demonstrant, nempe Alexandrum statim atque in sede Alexandrina collocatus est, Arium communione privasse : nam sacerdotio functum per annos aliquot certissimum est antequam ejus blasphemiæ erumperent in publicum, quod anno 315. assignat Cardinalis Baronius. Cùm verò idem Alexandri annum 1um referat ad 311. J. C. nonnisi post quadriennium circiter innotescere cœpit Ariana

Ejus historia ex Eutychio. T. 1. p. 432.

hæresis, quam Spiritu sancto illustratus Martyr Petrus præviderat. Non igitur statim atque Alexander Pontificatum iniit, pulsus ab eo Arius est; sed facilè intelligitur Severum, qui annorum plusquam viginti historiam non integrâ pagellâ complexus est, nullum rerum gestarum ordinem observasse, imò ut superiùs notatum est, ignorasse quæ vera fuerit excommunicationis Arii causa, scilicet quòd Meletianæ factioni adhærens, Ecclesiam turbaret. Tetigit illam tamen Eutychius, sed ita ut Arianum fuisse dicat, Meletium, Asiutæ, aut ut Arabes pronuntiant, Osiutæ, Episcopum, hoc est Lycopoleos, ut sane ejusdem urbis Episcopum fuisse constat eum, non Bubasti, ut Kircherus Asiutam interpretatur, aut Arment, quam nullo argumento Lycopolin esse dixit. Atque ea occasione monere non pigebit, malè in Versione Latina Eutychii legi *Asynto*, ut multa alia propria nomina mirè perversa sunt, adeo ut inextricabiles nodos lectoribus, nisi Arabicè doctis, interpres reliquerit. Verba ejus sunt: *Præerat autem urbi Asynto*, (Asiutæ) *è ditione Ægypti Episcopus nomine Meletius, qui Arii sententiam amplexus est; eidem ergo etiam maledixit Alexander Patriarcha*, hoc est anathema adversùs eum pronuntiavit. Verùm diu ante, nempe sub Petro Patriarcha Meletius excommunicatus est non ob hæresin, nam contrarium asserit Athanasius, sed quod schismatis Autor fuisset, quo Ecclesia Alexandrina etiam persecutionis tempore vexata est: nam ut ex ejusdem Athanasii Oratione 1ª contra Arianos discimus trigesimo sexto anno postquam Ariana hæresis erupit in publicum, quinquaginta quinque anni effluxerant, ex quo Meletius ab Ecclesia secessionem fecerat, nempe ut idem nos docet, cùm à Petro ob alia multa crimina, quæ diluere non potuit, tum maximè quòd idolis sacrificasset, depositus fuisset. Verùm hæc omnia accuratiùs persequi, & Severum aliosque Autores Orientales emendare longissimi & planè inutilis laboris foret; atque ideo ad ipsos fontes Lectorem remittimus: nam cui hæc nota non erunt ex Historia Ecclesiastica, exiguum aut nullum omnino fructum, is ex Commentario hoc nostro percepturus est.

In Nomenclat. Copt. Arab.

T. 1. p. 432.

Or. 1. contra Ar.

Idem potiori jure dicere possumus de Historia Concilii Nicæni, quæ ad hujus Patriarchæ tempora pertinet, & in qua mirum in modum nugati sunt Orientales, quorum traditionem ad pauca capita revocabimus, autores indicasse contenti, quorum aliqui Latinè prodierunt, reliqui suâ linguâ in Bibliothecis delitescunt.

Arii potissimùm causâ congregatum esse Concilium sub Constantino Imperatore communis omnium sententia est. Ita Præfatio omnium quæ apud Orientales extat antiquissima in Cod. Bibliothecæ Regiæ, ubi quod in hoc genere rarissimum est, Græcè legitur & Arabicè. Fuit olim is Codex Gilberti Gaulmini viri doctissimi Libellorum supplicum Magistri ; & sive ille, sive alii, qui eum familiariter noverant, dederunt occasionem opinioni, quam nos admodùm juvenes audivimus firmissimè teneri ab eruditis, & quam didicimus ante annos multos à viro clarissimo Claudio Hardy, licèt falsa nobis tandem deprehensa sit : vidisse enim aiebant in Gaulmini manibus Codicem Canonum Nicænorum Græcum, cum Versione Arabica, & ex eo commento multa alia confiebant. Attamen, si ut vulgò fit, hæc opinio ad alios permanaverit, monere debemus, nihil omnino præter titulos prolixiores, & Confessionem fidei ex Edicto Justiniani expressam, extare Græcè in illo libro : neque alteros Græcè & Arabicè conscriptos alibi quisquam, opinor, vidit. Ut igitur ad illum titulum revertamur, docet paucis verbis primum illud fuisse universale Concilium trecentorum decem & octo Patrum, contra Arium, de Filio Dei blasphemantem adversùs quem definitionem fidei seu Symbolum ediderunt. Sequitur Præfatio alia Arabica quæ numerum CCCXVIII. Episcoporum pariter confirmat : adjungitque præsedisse Alexandrum Patriarcham Alexandrinum, adfuisse Eustathium Antiochenum, Macarium Hierosolymitanum ; & Vicarios Julii Papæ Romani. Canones editos fuisse viginti, variasque Constitutiones quæ aliis Canonibus continentur. Codex antiquissimus Bibl. Mediceæ Syriacus, qui Canonum Collectionem complectitur, trecentos decem & octo tantùm Patres numerat, ut Autor antiquus Fidei Patrum qui brevem cap. 1° Nicæni Concilii historiam recenset, atque hæc sanè traditio à Græcis & Syris conservata potior omnino est quàm reliquæ omnes Arabum historiæ, quæ Patres 2048. adfuisse commemorant. Ita Præfatio quam Latinè à se versam edidit, & Canonibus Arabicis vulgò dictis præmisit Echellensis ; & eadem apud Beveregium, tum in variis Codd. Regiis & Colbertinis : Eutychius, & multi alii, sed tamen non omnes : nam Abulfaragius 318. tantummodò numerat, ut etiam Isa F. Zaraa, Severus noster, uterque in Epitome historica primorum Conciliorum, Maktizius, & Autor Historiæ Generalis Persicè scriptæ titulo *Mogemal Toüarich*, & plures alii quos enu-

De Nicæno Concilio.

Mf. A. Seguier.

Pandect. Can.

merare necesse non est, trecentos decem & octo quoque numerant. Ebnassalus in Collectione principiorum fidei aliam de bis mille & ampliùs Episcopis opinionem refert, sed ita ut non approbare videatur. Et sanè contra absurdam illam & nullo argumento idoneo fundatam traditionem opponitur omnium Ecclesiarum non solùm Occidentalium, sed etiam Orientalium consensus, isque non in libris quorum mediocris autoritas est, sed in Diptychis conservatus, quorum testimonium omnia aliorum Autorum evertit. In illis porro inter sanctos quorum memoria celebratur, nominantur 318. Patres Nicæni, & 150. Constantinopolitani, aliique item qui in Ephesino adfuerunt. Ita Liturgiæ Syriacæ Jacobitarum & Melchitarum : Copticæ Basilii, Gregorii & Cyrilli : Æthiopicæ, Armenicæ, tandem omnes. Quòd verò trecentos illos decem & octo electos dicunt, ex majori illa multitudine, gratis, & absque ulla autoritate dicitur : neque magis fidem meretur, quàm quod apud Autores aliquot Muhamedanos legitur, Christianæ fidei articulos, cùm nondum perscripti essent, fuisse tunc scripto consignatos ; neque ea & quæcunque sunt hujus generis, quia apud Autores raros leguntur aut in peregrina lingua, alicujus idcirco pretii esse censenda sunt, ut refelli oporteat. Idem statuendum de tota illa Præfatione quam attexuit Abraham Echellensis versioni illius Arabicæ, quæ Latinè primùm apud nos, tum utraque lingua in Anglia edita est : nec unius assis æstimanda quæ Joannes Seldenus doctrinæ ostentandæ gratiâ disputavit ad fragmentum Eutychii à se editum.

Kal. Copt. Liturg. Basilii &c. Copt.

Epocha Concilii. P. 86.

Circa Epocham Concilii, Abulfaragius habitum esse scribit anno *636.* Alexandri seu Æræ Seleucidarum ; atque eumdem annum habet Maris Salomonis filius in Historia Nestorianorum, atque ita alii plerique : quem annum fuisse affirmant Constantini 19. J. C. *325.* Is autem calculus satis convenit cum rationibus ex Chronologia deductis : nam secundùm tabulas vulgares annus Alexandri *636.* convenit an. J. C. *326.* quæ differentia exigua est, & facilè conciliari potest ex diversa annum inchoandi methodo. Eamdem Epocham repræsentat Præfatio ejusdem Concilii Syriaca in antiquissimo Codice Mediceo, ubi Synodus habita dicitur anno DCXXXVI. Græcorum Epochæ à Seleuco Nicatore Rege Syriæ, quam sequuntur Edesseni sub Consulatu Paulini & Juliani VV. CC. mensis Hoziran *19.* A. D. XIII. Kal. Julias an. XX. Constantini Imperatoris. Eadem Epocha confirmatur te-

ſtimonio Concilii Calchedonenſis, Act. 2. ubi omnia cum Syriaca Præfatione conveniunt. Eadem Epocha notatur in libro Fidei Patrum.

Canones Nicæni.

Canones præter legitimos viginti qui ab Eccleſiis omnibus ſuſcipiuntur, Orientales omnes Eccleſiæ dudum alios agnoſcunt, & quidem non unos, qui apud eos Nicæni quoque appellantur. Eorum etſi hoc loco Severus non meminit: at alii omnes Autores, præſertim qui de Jure Eccleſiaſtico ſcripſerunt, eos recenſent, eorumque autoritate utuntur. Primus, quantùm huc uſque perſpicere licuit, eorum in Occidente meminit Iſidorus Mercator, licèt obſcurius, nec ita ut eos vidiſſe intelligatur, ſed accepiſſe tantùm *extare apud Orientales Concilium Nicænum, habens potiorem quatuor Evangeliorum magnitudinem.* Nec videntur eo tempore quo Franci Paleſtina magnaque Syriæ & Meſopotamiæ parte potiti ſunt, ad Canonum illorum notitiam ullatenus perveniſſe. Ita nihil de illo theſauro abſcondito auditum eſt ante ſæculi nuper elapſi finem; cùm editi ſunt à Franciſco Turriano, tanquam legitimi & de quibus dubitare fas non eſſet. Autoritatem quam ipſi non habent, tantùm abfuit ut commendatoria ejus præfatio illis conciliaret, quin potius, Criticos omnes, Eccleſiæque antiquitatum peritos in contrariam penitus ſententiam abduxit. Nec pluris valuit longa & inanis Diſputatio Abrahami Echellenſis, quam novæ ſuæ eorumdem verſioni præmiſit. Eas expendere non eſt hujus loci, præſertim cùm ſingulari Diſſertatione quantùm præſtari à nobis potuit, eorumdem Canonum originem explicaverimus. Etſi porro apud omnes propemodum Theologos una de illis ſententia ſit fictos eſſe, inanes & ſuppoſititios, aliter tamen omnino de illis judicandum videtur. Eos quidem à Nicænis Patribus ſancitos fuiſſe, & toto triennio elaboratos, quæ Orientalium quorumdam, Echellenſiſque ſententia eſt, abſurdiſſimum eſſe jam dudum à viris doctiſſimis judicatum eſt, neque ad paradoxam illam opinionem confirmandam, quidquam eſt in antiquitate præſidii. Verùm ſuppoſitos omnino illos eſſe, æquè falſum eſt. Nam Eccleſiæ Orientales omnes; Melchitica, hoc eſt Syri Orthodoxi; Jacobitæ cujuſcunque ritus aut linguæ; Neſtoriani, omnes tandem iis utuntur, ab annis ampliùs nongentis: uſuſque ille non libris & lectione circumſcribitur, ſed etiam in judiciis locum habuit, cùm cauſæ Chriſtianorum plerumque ab Epiſcopis, aut ſi majores eſſent, à Patriarchis judicarentur, ex diverſis Califarum, Sultano-

T. 2. Concil.

rumque privilegiis. Cùm igitur autoritatem illorum Canonum certissimam apud Christianos Orientales viguisse constet ante annos tam multos, dubium esse nullum potest, quin seriò apud illos hæc collectio facta fuerit, non ab otioso aliquo homine consarcinata. Etsi enim apud nos nemo jam negat suppositas fuisse intra octavum & nonum sæculum Decretales veterum Pontificum Epistolas, nec tamen autoritas quam in judiciis postmodum habuerunt, earum veritatis argumentum est, nihil tamen inde adversus opinionem nostram de Canonibus Arabicis simile deduci potest. • Neque enim illi ficti, sed veri sunt, licèt aliquatenus interpolati: neque inauditam & suo sæculo parum convenientem disciplinam continent, sed eam quæ quotidiano usu confirmata erat, imò quæ aut ex ipsis Nicænis Canonibus, aut ex posterioribus, vel aliqua ipsorum interpretatione ad sequentia tempora accommodaretur. Ut igitur paucis aperiatur quæ de illis sententia ferenda videatur, ita post diligentem eorum cum aliis comparationem constituimus.

Nicænorum Arabicorum Canonum origo.

Codex Canonum qui Nicæni Arabici vulgò appellantur, non est opus aliquod studio compositum, ut fraus Ecclesiis fieret: sed antiqua versio Codicis Canonum Ecclesiæ universæ, qui quidem ut multi alii, eò quòd Nicænos Canones initio præfixos haberet, titulum communem dedit subsequentibus, qui Nicæni non essent. Talem porro fuisse Codicem primævum illum, editiones illius variæ, Vormaciensis 1525. Parisienses, Tiliana, Justelliana, & aliæ satis ostendunt, in quibus Nicænis, Sardicenses, Antiocheni & alii Canones, numeris tantummodo distincti subjiciuntur. Ita videmus Augustinum, Antiochenos quibus prohibitum ne Episcopus vivens successorem deligeret, pro Nicænis habuisse. Ita Sardicenses sub eodem nomine intelligendi sunt in Epistolis 15. & 16ª Innocentii Papæ I. Talem apud Græcos extitisse Codicem, non modò editi, sed MSS. Codices multi confirmant: at usum illiusmodi Codicis apud Antiochenos Syros fuisse docet nos locus insignis apud Photium in Excerptis ex Ephræmio. Ait enim adduci ab illo Canonem 2um Concilii Oecumenici Constantinopolitani I. numerarique 166um quod non se intelligere Photius testatur: at 165° numero est in Codice Ecclesiæ universæ: 3usque qui est 165us cùm etiam ad fines Diœceseon pertineat, potuit in antiquis exemplaribus præcedenti cohærere, ut in aliquibus quæ supersunt observatur. Cùm verò vir Juris Canonici peritissimus

tiſſimus Photius hæc ignoraverit, mirum eſſe nemini debet Orientales, qui vix ullum doctrinâ, præſertim Criticâ, parem habuerunt, cùm in ejuſmodi Collectiones incidiſſent, quæ Nicænorum Canonum titulum præferrent, magnaque inter eas varietas deprehenderetur, quæ adhuc in verſionibus ex Græca & Syriaca linguis major omnino erat, in eum errorem incidiſſe, ut ſicut primos, ita & omnes reliquos ad Nicænum Concilium pertinere judicarent. Nam 2us Codicis Arabici ex 1° Græco Nicæno factus eſt, & ita plerique alii viginti in capite collectionis reperiuntur, ut fuſiùs oſtenſum eſt in ſingulari Diſſertatione. Itaque cùm legitimis Canonibus ſuam autoritatem decedere nollent, reliquos qui in Codice univerſali reperiebantur admiſerunt, tanquam Nicænos, quia titulus ita ferebat. Sciunt porro eruditi his Collectionibus adjuncta eſſe multa quæ ad primævum codicem non attinerent, adeo ut magna ſit exemplarium diverſitas, dum ſingulis Eccleſiis propria diſciplina, ex poſterioribus Canonibus etiam ex Imperatorum Edictis, in Paratitla, aut leges breves digeſta adjungebatur. Hos poſteriores Canones cùm Syri & Arabes ſuâ linguâ interpretarentur, ut accommodarentur ad temporum ſuorum diſciplinam, interpolaverunt; quod præcipuè obſervari poteſt in illis, qui ad Sedium primarum dignitatem ſpectant. Nam præter conſtituta antiquitùs de quatuor Patriarchis, in Nicæno Conſtantinopolitanoque Conciliis, de Seleuciæ Catholico, qui nonniſi ſub Juſtiniano inſtitutus eſt, multa habent, & ea inter ſe maximè diverſa. Nam vetuſtiſſimæ verſiones, Seleuciæ Cteſiphontiſque meminerunt, quia Epiſcopis illarum urbium, hæc primùm prærogativa honoris juriſdictioniſque collata eſt. Poſteriores Bagdadum aut Modaienam nominant, præſertim ſi à Neſtorianis factæ ſunt, quia eorum Primas qui adhuc Catholicus vocatur, illic ſedem habebat: Jacobitarum Syrorum verſiones Takritam ſubſtituunt, quia ſedes erat eorum Primatis, ſeu Catholici, quem *Mofrian* appellant. Ita de reliquis. *Collect. Syr. Mſ. Medicea.*

Eam igitur Collectionem ex Græcis exemplaribus factam non dubitamus, nempe ex Codice Eccleſiæ univerſæ multis additionibus interpolato: & à Græcis primùm ad Melchitas ſeu Orthodoxos Arabicè loquentes tranſlatam, ad reliquas ſectas perveniſſe. Omnes enim in admittendis illis Canonibus conſentiunt, Melchitæ Jacobitæ, Neſtoriani cujuſcunque linguæ. Illud etiam originis illius quam deſignamus, certiſſimum occurrit indicium, quod Ca- *Ea collectio ex Græcis facta.*

K

nones quidam ex Ephesino, & ex Calchedonensi Conciliis desumpti sunt, ut 43us ex Ephesino ultimo : 53us ex 2° Calchedonensi, ut 57us ex 13°, quos quidem non admisissent Nestoriani aut Jacobitæ, quorum hæreses in illis Conciliis damnatæ sunt, nisi unde accepti fuerant ignorassent. Huc accedit quod in antiquissima omnium versione Syriaca, quæ ut in quodam loco notatur, facta esse potuit anno Græcorum 998. J. C. 686. cùm quædam eo anno ex Græcis interpretata contineat, nulla Canonum illorum memoria est.

Quo tempore.

Cùm verò in antiquissimis editionibus horum Pseudo-Nicænorum Canonum occurrant quædam quæ vetustiorem Muhamedanorum initiis temporum notam contineant, ut ea quæ de Ctesiphonte & Seleucia mox observavimus, eam Collectionem factam arbitramur longè post schismatum Jacobitici & Nestoriani media tempora, nec nisi post Muhamedani Imperii fundationem, ita ut primæ versiones unde reliquæ propagatæ sunt, Arabicæ fuerint, quæ Armenicas, Æthiopicasque pepererunt. Copticas si haberemus, esset unde certius de illarum Collectionum antiquitate judicium ferri posset : at qui earum meminerit huc usque legimus neminem. Unde conjectura nostra non leviter firmatur : si enim ante Muhamedana tempora, Collectionis istius in Ecclesia Alexandrina usus fuisset, procul dubio ea in Copticam linguam non minus quàm Liturgiæ, & sacræ literæ translata foret : nisi id omissum existimemus, quia tunc communis apud Ægyptios Græca lingua erat; atque adeo necesse non esset ut Canones, qui legum vicem obtinebant, extarent linguâ vernaculâ, quia publicè non legebantur, ut de sacris literis & Liturgia fieri oportebat. Nam discrimina sectionum, interpretationis, & numeri, quæ notant Echmimensis & Ebnassalus reperiri inter Codices Coptitarum Arabicos, & aliarum sectarum, suadere possent factam esse illorum versionem ex Coptica quæ ut aliorum Canonum, temporis injuriâ perierit : sed certum est Autores illos non alias diversas lectiones, quàm quæ ad Arabicos codices spectarent, allegasse.

Quorumdam Canonum explicationes, Canonibus adnumeratæ sunt.

Præter illos Canones veterum Conciliorum præsertim Oecumenicorum, qui hanc Pseudo-Nicænam farraginem constituunt, nam τοπικῶν vix ullus apparet, irrepserunt etiam quorumdam explicationes, quæ in Canonum quoque numerum venerunt, ut ille de Chorepiscopis alienus plane à Græca disciplina : alia etiam

ex non ſcriptis traditionibus, quorum omnium veſtigia relegere conati ſumus in jam dicta Diſſertatione. Atque ex illis compactus eſt Codex ille Canonum Nicænorum Arabicorum, quorum etiam collectio duplex eſt. Prima Canones continet 80. 83. aut 84. nam ea eſt inter ſectarum diverſarum codices diſcrepantia. Sequuntur alii quorum in variis codicibus 33. aut 34. ſectiones reperiuntur; majorque adhuc eſt illorum diverſitas. Utroſque dedit Latinè explicatos Abraham Echellenſis. Tandem Nicæno quoque Concilio Orientales abſcribunt *Canones* quos vocant *Imperatorum*: eoſque tum à primis viginti, tum à ſecundis, diſtinguunt, & illorum neque certus eſt numerus, neque exemplaria ſimilia. Illi verò Canones nihil aliud ſunt quàm excerpta ex Nomocanonibus Græcis, Digeſtis, Codice Theodoſiano & Juſtinianæo, Novellis Conſtitutionibus & Baſilicis, eo ordine diſpoſita, ut Corpus quoddam Juris conſtituant, unde lites inter Chriſtianos poſſint judicari. Quamvis porro multas leges complectantur quæ ab illis Imperatoribus latæ ſunt, qui à Jacobitis & Neſtorianis Orthodoxi non exiſtimantur, habent tamen maximam inter omnes Eccleſias autoritatem. Illi autem Canones ad Nicænum Concilium relati ſunt, quia quaſdam Conſtitutiones continent, quæ à Conſtantino Magno editæ ſunt, circa Concilii tempora.

Ebnaſſ. Præf. Collect. Can. Abulbircat.

De Concilio Nicæno etſi eadem ferme apud omnes autores reperiuntur, ſingulare edidit Opuſculum Severus Epiſcopus Aſhmonin; & cùm de eo nihil ferme ſcripſerit in vita Alexandri Patriarchæ, fuſiùs illam hiſtoriam illic proſecutus eſt. Adjungi poſſunt Præfationes editæ tum ab Echellenſi, tum à Beveregio, præter ineditas multas: Eutychius, Elmacinus, Abulfaragius, Maris Salomonis filius in vita Mar Paphæ Catholici, quem Concilio interfuiſſe exiſtimant Neſtoriani: tum in ſingulari Capite de Conciliis: Abulbircat & Ebnaſſalus uterque, primus in Collectione Principiorum fidei; alter in Præfatione Collectionis Canonum, Fergealla Echmimenſis in ſua: Abulfaragius in Nomocanone Syrorum Jacobitarum: Chronicum Orientale: tum alii quos non habemus, & quos citat Elmacinus ut Menbigenſis ſeu Hierapolitanus quidam Epiſcopus, quem ex aliis Autoribus diſcimus vocatum fuiſſe Muhabub Conſtantini filium qui nobis ignotus eſt, atque anonymi alii multi qui in Bibliothecis reperiuntur. Illi prope omnes eadem ſcribunt de numero Patrum bis mille ducentorum

Orientales qui de Concilio Nicæno ſcripſerunt.

quadraginta octo; de biennio & amplius, quo Nicææ federunt in Canonibus conscribendis occupati, tandemque in aliis circumstantiis consentiunt. Consuli etiam potest Præfatio Echellensis, qui omnia collegit quæcumque potuit ad fidem Autoribus Orientalibus conciliandam. Videri quoque potest Commentarius Seldeni ad eum Eutychii locum qui de Nicæno Concilio est, etsi pauca admodum habeat quæ sciri intersit. Dedit eo loco nomina Patrum 318. ex Codice Græco Sambuci, quæ deinde in novam Conciliorum editionem translata sunt. Adjecit alia ex Codd. Arabicis, sed ita interpolata ut agnosci nequeant. Plura ejusmodi subscriptionum exempla nacti olim sumus ex variis Codd. MSS. quæ quidem luce digna nemo existimabit; deteriora longè tot antiquis eorum nominum indiculis, quæ Latini Codd. antiquissimi repræsentant. His adjungere licet quæ Gullielmus Beveregius adnotavit ad versionem Præfationis Arabicæ à se editam post Pandectas Canonum.

Orig. Eccl. Alex. p. 70. & seq.

Quæ Muhamedani scribant de Nicæno Concilio.

Ea colligere quæ Muhamedani de Nicæno Concilio chartis illeverunt suis, nemo sustinebit, nisi qui peregrinas ejusmodi merces ut extrudat faciliùs, laudandas arbitrabitur. Quid enim ab illis disci poterit, quorum nemo Christianas res aliunde quas ex Arabicis Scriptoribus didicit, præter ea quæ Pseudopropheta somniavit, aut primi nugarum ejus interpretes de suo addiderunt? Quidam, ut alibi dictum est, in Nicæno Concilio stabilitam esse scribunt Christianam fidem, quæ antea incertis variisque hominum opinionibus ferebatur. Ita Autor satis antiquus *Mogemal Toüarich*, nempe quia legerant factum fuisse in eo conventu *Symbolum*, quod ut Græci πίςιν uno verbo, ita Arabes *Amanet* vocant. Reliqui aut Eutychium aut Severum exscribunt; atque inter eos magis accuratè scripsit Takieddin Makrizius, ultimâ rerum Ægyptiacarum parte.

Ita Ebn. Chekna. Abulfeda. MS. Pers.

De Eutychii circa Episcopos 2048. autoritate digressio.

Eutych. t. 1. p. 440.

Verùm etsi Arabicè scribentibus nugari impunè huc usque licuit: cùm illorum in antiqua historia supinitas & ignorantia doctis omnibus dudum explosæ sint, quod Eutychius de suo ad istius bis mille & ampliùs Episcoporum concursum adjecit, ferri non potest, præsertìm cùm non aliunde quàm ex Muhamedanorum lacunis illud haurire potuerit. Ait enim Episcopos illos bis mille quadraginta octo, sententias circa religionem habuisse diversissimas; quarum nonnullas enumerat & inter eas hæreticorum, qui vix Christiano nomine censebantur. Commotum Constantinum

eos in varias classes distribuisse, ut inter se disceptarent : trecentosque decem & octo divinitatem Christi asseruisse, ad quorum ipse sententiam accesserit : unde sequeretur negasse reliquos Divinitatem & Consubstantialitatem Filii, quod arripuit Arianorum ultimi sæculi impudentissimus Sandius, ut inde argumenta contra sanctissimæ Trinitatis perpetuam fidem eliceret. Ita Seldenus qui ubique opportunè & importunè merces Orientales laudat, laureolam in mustaceo quærens, arma hostibus Christiani nominis imprudens subministravit. Verebatur quippe ne si Eutychium qualis fuit, veris coloribus depingeret, caderet tam gravis testis autoritas qua Episcopatum subvertere nitebatur, adeoque sublevanda erat hominis fides, aliorum testimoniis, & quorum tandem? Josephi, inquit, Ægyptii & Ismaelis filii Hali Muhamedani, nec enim alios habuit testes quos appellaret. Potuisset autem adjungere Makrizium, & non paucos alios, præter eos Persas quos indicavimus.

Nucleus Hist. Eccles. p. 166.

Josephus ille Ægyptius larva est & εἴδωλον ἀμαυρὸν, quod somniavere viri illi eruditi : possessor scilicet Codicis illius Arabici quem Seldenus, Pocockiusque tractaverant, & quo ad versionem suam concinnandam usus est Beveregius. Is porro Josephus ordinatus dicitur an. J. C. 1316. Versio tamen ipsa aliquot sæculis est antiquior, & Codices Regii duo, unusque Colbertinus, hanc ætatem longè superant. Ita nulla illius autoritas est non magis quàm Præfationis ipsius, cujus diversissima sunt exemplaria, nec in omnibus reperitur immanis ille Episcoporum mille quadraginta octo, vel etiam bis mille trecentorum & quadraginta octo numerus. Accedit quod accuratissimæ Præfationes Græcæ, quæ extant in Melchitarum Codicibus, & Syriaca Jacobitarum, nihil simile continent, sed trecentorum decem & octo, Ecclesiarum omnium Diptychis consecratum numerum confirmant.

Josephus Ægyptius Canonum interpres non fuit.

Ismael ille filius Hali, Abulfeda est Hamæ satrapa ex Yubidarum stemmate, opere Geographico suo notissimus, sed non minorem laudem consecutus ex historia, quam à rerum initio ad suam usque ætatem perduxit, ad annum scilicet circiter 1300. Æræ Christianæ. In rebus porro Muhamedanorum tractandis satis diligens & accuratus est; at in vetustis Originibus quæ Hegiram antevertunt, nihil habet unde reliquis præferatur. Tanta autem illius fuit rerum peregrinarum ignorantia, ut veteris Testamenti libros Arabicè conversos nesciret, quod viro doctissimo Eduardo

Ismael filius Hali quis fuerit.

Tom. 6. Bibl. Polyglott.

Pocockio fraudi fuit, dum ex illius testimonio de antiquitate versionis Arabicæ conjecturam fecit. De Concilio Nicæno æquè sciebat Abulfeda; sed Makrizium aut Eutychium exscripsit, de cujus absurdissima narratione judicare non poterat. Quantùm autem ignotæ illi forent Christianorum res, argumento perspicuo demonstrabimus. In ditissima MSS. librorum omnis generis Bibliotheca Seguieriana extat Codex illius historiæ, qui non modò ætati Autoris æqualis est, sed ad eum pertinuisse & illius manu multis in locis emendatus fuisse videtur. In eo enim lituræ plures occurrunt, & emendationes, non quæ antiquarii librum recensentis, sed Autoris ipsius sua retractantis manum indicant. Literæ etiam grandiusculæ, quales vulgò sunt hominis de calligraphia parum solliciti, & quæ ab elegantia qua totus liber scriptus est, longè absunt, Principem ipsum, Autorem operis designant potius, quàm Criticum recensentem, præsertim cùm multa deleta, adjuncta quoque non pauca animadvertantur, quibus nemo alienum opus inficere solet. Non dubitamus igitur omnia illa esse ab Autoris Abulfedæ manu. Inter additamenta præcipuum unum est de variis Christianorum opinionibus, consarcinatum ex hæreseon catalogis, qualis ille qui legitur initio Præfationis Concilii Nicæni Interprete Abrahamo Echellensi, cui similes multi extant in variis MSS. Codicibus, omnes nullo judicio scripti, à viris Theologiæ non minus quàm Historiæ Ecclesiasticæ imperitissimis. In aliquem Catalogum similem cùm incidisset Abulfeda, thesaurum existimavit nactum se fuisse, unde perspectissima Christianorum dogmata habiturus esset. Ex illa igitur errorum omnium colluvie Christiana dogmata describere aggressus est, quasi æqua esset veri falsique apud omnes existimatio. En hominem infidelem & barbarum, quem sæculo 14° nugas alterius, qui nono vivebat, transcribentem audire nos jubet Seldenus, omnium antiquorum testimonio insuper habito. Neque enim aliud judicium de Autore ferri potest, qui Eutychii fabulis autoritatem comparare nititur ex aliquot Scriptorum testimoniis, qui de trecentorum decem & octo Patrum numero non consentiunt, quorum tamen nullus immanem illum alterum somniavit, qui ut istud saltem rectè monet Seldenus, ex omnium quos Notitiæ Episcopatuum totius orbis repræsentant, vix conficeretur. Hæc paulò fusiùs à nobis tractata sunt, ut novi Ariani quorum Sandius Bibliotheca est, Eutychii autoritate ad blasphemias suas confirmandas non abutantur, quam adeo contempsit

Gregorius Abulfaragius, qui postea Historiæ compendium dedit, ut ne mentione quidem dignam judicaret, cùm trecentos decem & octo tantùm convenisse scribat.

Reliqua ad historiam Pontificatûs Alexandri pertinentia petenda sunt ex melioribus Autoribus. Neque enim scivisse quidquam Ægyptii illi videntur de Episcoporum plusquam centum congregato Alexandriæ Concilio, à quo primùm sententia in Arium prolata est, neque de Encyclicis Epistolis septuaginta duabus quas Alexander ad omnes Ecclesias scripsit, de quibus Socrates qui duas servavit, & alii Scriptores Ecclesiastici. Pauca tantùm adducit Severus in sequente Athanasii historia tanquam ex ejus Epistola ad Virgines Alexandrinas. In ea refert Alexandrum in cella sua, sive aliocumque in loco Evangelium non legisse sedentem, sed stantem : fuisse diligentissimum in sacræ Scripturæ lectione, Deumque singularem illi gratiam ad eas interpretandas contulisse.

Reliqua ad Alexandrum spectantia.

L. 1.

Idem Severus retulit, quòd quadam nocte cùm stans oraret & Evangelii lectioni incumberet, venerunt ad eum Virgines Deo sacratæ interrogantes quid sentiret de quibusdam ex eodem Virginum ordine, quæ jejunia usque ad sextum diem continuarent, sed ita ut nullum interea opus facerent, omisso prorsus labore manuum, unde Solitariis necessaria ad vitam suppeditarentur. Tum ille, Scitote, inquit, Sorores, me nunquam per biduum jejunasse, neque interdiu jejunium solvisse, neque manducasse nisi ex præscripta mensura; sed neque meipsum nimio labore afflixisse, aut corpus vehementiùs vexasse, quia optimum est ut jejunium cum moderatione fiat, quæ etiam in potu & somno observari debet. Cùm enim quisque comederit quantum opus est, firmiùs in oratione perseverat, ita etiam cùm cibo, potu & somno utitur moderatè. Dicite ergo Virginibus illis ut jejunium solvant, cum moderatione cibum capientes, & omnia quantùm in se est rectè agant.

Eodem loco refertur qua ratione Alexander egerit cum Ario, & hæc Severi verba sunt. Dicitur Arius aliquando ad Alexandrum venisse; petentique ut admitteretur, jussisse responderi in hunc modum : Præcepit mihi pater meus Petrus, ut te non susciperem, neque ad me adire sinerem, aut tecum sermonem miscerem. Ille quippe pater meus Martyr Christi Domini, cùm vidisset eum per somnium, vestemque ejus à te laceratam didicisset, prohibuit ne te susciperem. An ignoras linguam tuam ipsam esse quæ

Ejus colloquium cum Ario.

ab illo te alienum fecit, per illa quæ de illo protulisti. Roga ergò Christum Dominum Salvatorem, & confitere peccatum tuum; cùmque te ille susceperit, præcipiet quoque mihi ut te suscipiam, sicut præcepit patri meo Petro ut te non susciperem, quamvis ab ipso Christo Domino mandatum fuerit, ut ne quis credentium in eum aditu Ecclesiæ prohiberetur. Sed quando aliquis peccatum aliquod commisit, separamus eum à communione ut resipiscat & pœnitentiam agat: postquam verò illum suscepit Christus, nos quoque illum suscipimus. Cùm hæc Arius audivisset, iratus magnopere recessit, collectaque magna hominum multidine, proposuit sententias blasphemas, linguæ abscissione dignas, asserebat enim Filium Dei creatum esse. Habitum itaque est illius causâ Concilium Nicææ, ad quod convenerunt Antistites quatuor primarum Sedium nempe Patriarchæ Romæ, Alexandriæ, Ephesi & Antiochiæ. Consedit pariter cum illis Constantinus Imperator fidelis; cùmque absolvissent, quæcumque pertinebant ad stabiliendam fidem Orthodoxam, Jejuniique & Paschatis disciplinam, dixit illis Imperator: Rogo vos ut Constantinopolin, urbem Patriarchalem esse jubeatis, quia est regia civitas Imperatoris veri cœlestis. Illi mirantes ejus modestiam, id fecerunt: & Arium impium deposuerunt, & anathemati subjecerunt: cui sententiæ Imperator propria manu subscripsit, dicens Arium perdidisse illos quos sanguine suo Christus redemerat. Fugit autem Arius in Africam, nec requiem ullam consecutus est tempore Constantini Imperatoris & Alexandri Patriarchæ. Quàm verò in multis peccet contra historiam, ea narratio satis quisque intelligit.

De templo Alexandrino.

t. 1. p. 435. Tillem. t. 6. p. 216.

Aliam, ne quidquam omittatur quod apud Autores Orientales præcipuos legitur, referemus, sed longè inficetiorem, quam refert Eutychius, & ex eo alii. Fuit, inquit, Alexandriæ templum magnum, quod exstruxit Cleopatra Regina, nomini Saturni dedicatum, in quo Idolum æreum magnum erat, Michael appellatum, cui Alexandriæ & Ægypti incolæ, die 12° mensis Athyr qui est Tisrin posterior, festum magnum celebrabant, multas ei victimas immolantes. Cùm vero Alexandriæ Patriarcha factus esset Alexander, ibique obtinuisset fides Christiana, voluit ille confringi Idolum & tolli sacrificia. Cùmque obsisterent ipsi Alexandrini, ille astutiâ ipsos aggressus est. Idolum, inquit, istud nulli omnino rei utile est; quòd si festum illud Michaeli Angelo celebraveritis,

lebraveritis, eique victimas istas constitueritis, ipse pro vobis apud Deum intercedet; majorisque vobis boni causâ, quàm Idolum istud futurus est. Annuentibus ergo illis ex Idolo confracto, crucem fecit; templum verò, Michaelis Ecclesiam appellavit: estque illa Ecclesia quæ Cæsarea vocata est & igne periit, cùm Occidentales Alexandriam ingressi eam vastaverunt: consecrataque sunt festum & sacrificia Michaeli Angelo. Unde & adhuc Coptitæ in Ægypto & Alexandria, eo die festum Michaeli Angelo celebrant, & victimas quàm plurimas cædunt. Hæc Eutychius autorem neminem alicujus dignitatis secutus, qui tam absurda memoriæ prodiderit, sed obscuras fortassis traditiones, quarum originem investigare nullius ut satis quisque intelligit operæ pretii foret. Ab Eutychio eamdem narrationem desumsit Makrizius Muhamedanus, sed sive meliora exemplaria viderit, seu absurditatem intellexerit, Idolum quidem Saturno & ædem dedicata fuisse antiquitùs scribit, sed quòd Michaelis nomen habuerit, non commemorat, nempe quia fieri vix ac ne vix quidem potest, ut ita Eutychius scripserit. Quid enim Michaeli cum Saturno, cujus etiam cultus Ægyptiis non proprius, sed à Græcis acceptus? At Michaelis & Angelorum cultus in Ecclesia antiquissimus, multæque in Ægypto Ecclesiæ sub eorum invocatione consecratæ reperiuntur. Illam verò quod Eutychius scribit incendio periisse, cùm Occidentales Alexandriam occupaverunt, explicat Makrizius, dum Occidentales illi quales fuerint designat: nempè non Græci aut Latini à quibus aliquando Alexandria capta est, sed Arabes Africani quos *Mogrebitas* vulgò vocant, unde Hispani in vulgari sua lingua *Almoravides* fecerunt. Illorum autem à quibus Alexandria capta, Ægyptusque sublata Abbassidarum dominatione, in potestatem redacta est, princeps fuit Muazus caput familiæ Fatimidarum, quæ regnavit ab an. Hegiræ 358. J. C. 968. ad an. 567. J. C. 1171. quo Nassereddin Yuceph Salaheddin, Latinis Scriptoribus Saladinus vulgò dictus, rerum in Ægypto solus potitus est. Alexandrum verò virum sanctissimum instituisse, ut sacrificia cruenta & quæ superstitionis nefariæ quam Constantinus Edictis sustulerat, contra Christianorum mores & instituta celebrarentur, nemo, opinor, existimabit. Eamdem porro historiam refert Elmacinus, ex Menbigi seu Hierapolitano Chronographo anonymo.

Eo tempore inventam esse Crucem Jesu Christi Salvatoris ab Helena iidem Autores referunt, eodem ferme modo ac apud Græ- Inventio Crucis.

cos Latinosque legitur, imò & apud Muhamedanum Makrizium. Hujus inventionis Historiæ complures extant in Codd. Mſ. omnes multis fabulis contaminatæ. Feſtum apud omnes Eccleſias Orientales celebratur.

Atque hæc ſunt quæ de Alexandri Patriarchæ Hiſtoria colligere potuimus; quem anno 326. J. C. diem ſuum obiiſſe exiſtimavit Baronius. Cùm viginti tribus annis Alexandrinam Eccleſiam gubernaſſet, mortuum eſſe plerique Catalogi Chronographorum Græcorum ſtatuunt, quos ſequuntur Orientales, nempe Eutychius, Elmacinus: Severus ſexdecim tantùm, ſed contra aliorum fidem, annos numerat: Autor Chronici Orientalis, laudatus hoc loco ab Elmacino, ordinatum eum fuiſſe dicit anno Conſtantini 1°. qui ſi incidat in an. 306. evertitur calculus illorum Autorum, atque annos tantùm viginti & aliquot menſes Pontificatûs reperientur: at eumdem calculum ſequuntur Autores illi, quandoquidem 19° Conſtantini anno habitam ſcribunt Nicænam primam Synodum Oecumenicam, quæ, ut apud omnes in confeſſo eſt, convenit an. J. C. 325°. Cùm verò apud omnes Hiſtoricos alicujus autoritatis conſtet eodem anno quo incepta eſt, finem habuiſſe; & ex Athanaſio certum ſit paucis menſibus ſuperſtitem fuiſſe Alexandrum, duo ſequi neceſſe eſt: nempe ut ſecundùm probatiorem Chronologiam obierit Alexander an. J. C. 326. vel ſi quod ſoli Orientales illique nullius autoritatis, poſt aliquot ſæcula temerè & abſque veterum conſenſu ſcripſerunt, ſederunt Nicæni Patres per ſolidum triennium; numerus annorum viginti trium integer conſtabit, quibus Pontificatum Alexandri definiunt. Nullum omnino præſidium ex Tabula quæ extat apud Abulbircat ad annorum ſupputationem rectè conſtituendam haberi poteſt: nam manifeſtè corrupti numeri ſunt, quod eò facilius fuit, quòd illi non vocibus integris, ſed notis tantùm ſeu ſiſiis deſcripti ſunt. Petri martyrium aſſignant anno Martyrum 19°, qui incipiendo ab anno 1° Diocletiani, ut Coptitæ volunt, incidit in eumdem ejus Imperatoris annum 19um, quo paſſum eſſe Petrum docet Euſebius. Eidem anno Achillæ mortem alligant, quem tantùm menſibus ſex ſediſſe ſcribunt: & eodem Alexandrum ordinatum. Annus Martyrum 19us, eſt Alexandri 614us, aut 615us, quia initium anni Ægyptiaci ſeu 1us Toth incipit à Septembri, nempe numerando ſecundùm Abulfaragii teſtimonium ſuperiùs relatum, 1um annum Martyrum à 595°. Alexandri. At illius Æræ an. 614us reſpondet annis J. C. 303° & 304°: addantur anni

22. cum novem mensibus, aut diebus 308. juxta Chronicon, fiet annus J. C. 326us, in quem incidisse ex Athanasio mortem Alexandri probatur: atque ita Elmacino, Makrizio, Benelrahebo & aliis cum Chronologia conveniet. Verùm Autor Tabulæ quæ est in opere Abulbircat, cùm ejus ordinationem constituat anno 19°, Martyrum mortem anno ejusdem Æræ 60°, annos Pontificatus numerat quadraginta & menses novem : atque si calculus ille verus esset, mortuus esset Alexander circa an. Alexandri 656um, J.C. 344um, aut sequenti; nempe annis viginti aut circiter post Concilium Nicænum, quod absurdissimum est, & cum Athanasii certissima narratione pugnat. Hæc verò quæ alioquin silentio potius quàm observatione digna forent, ob eam præcipuè causam adjecimus, ne sint, ut facilè fieri solet, qui Codices ejusmodi raritate potiùs quàm merito suo æstimantes, historiam novis commentationibus perturbatum eant, nec apud Orientales quærendas arbitrentur dotes illas diligentiæ, & φιλαληθείας, sine quibus nulla est omnino laus Historici, quam tamen illi planè negligunt.

Mortuus est Alexander 23a mensis Farmuthi, quæ respondet 18æ diei Aprilis, quo die ejus memoria colitur in Coptico Kalendario : at 26a Februarii in Romano aliisque Martyrologiis.

Citantur à Jacobitis Heortasticæ ejus, seu Paschales Epistolæ, & quartæ fragmentum refert inter alia veterum testimonia Autor *Unionis pretiosi*, qui est Tractatus apologeticus Jacobiticæ doctrinæ, ut etiam Autor similis & fusioris operis quod *Fides Patrum* inscribitur : extant illi in Bibliotheca Seguieriana. In isto citatur Oratio ejus de Paschate.

ATHANASIUS APOSTOLICUS PATR. XX.

ATHANASIUS Patr. XX.

De Athanasio pauca sciunt Orientales.

SI quis fuit inter Alexandrinos Patriarchas, doctrinâ, sanctitate, rerum gestarum gloriâ, longaque pro fidei veritate certaminum adversùs Hæreticos susceptorum serie commendatus, is certè Athanasius fuit, vir summo ingenio, pari facundia, in quem tot dotes divina providentia contulerat, ut ab Apostolorum temporibus majorem Ecclesia non habuerit, unde non immeritò Apostolicus ab Orientalibus appellatus est. Cùm tamen tanta scripserit & gesserit longo Episcopatûs laboribus plenissimi decursu, vix ullus est de quo pauciora legantur in Historicis Orientalibus. Causa, quantùm conjectari possumus, ea est, quòd cùm omnis rerum anti-

quarum notitia, Ecclesiasticarum præsertim, literis Græcis consignata foret, atque à Dioscoro usque ad Muhamedanorum tempora, Episcopi ejus sectatores, quorum historiam repræsentamus, urbe caruerint, & in Sahid seu Thebaide ad sanctum Macarium latuerint, ubi nullus aut exiguus erat linguæ Græcæ usus, eo intervallo codices antiqui quos habere potuerant, perierint: si qui evaserant, qui eos intelligerent aut interpretari possent, pauci admodum reperirentur; atque ita omnium Actorum quæ ad Athanasii Pontificatum spectabant memoria paulatim interierit. Quamvis enim habeant Coptitæ diversorum ejus Operum Arabicas interpretationes, & ea integra fortassis olim habuisse existimandi sunt, jam tamen sæcula complura effluxerunt, ex quo nonnisi particulas illorum conservant, easque non integras, sed excerpta potius, & ut Græci vocant ἀπανθίσματα seu florilegia eo consilio facta, ut adversùs Melchitas, seu Orthodoxos, in controversia circa Incarnationis mysterium illis ad manum esse possent, quia ex usu erant. Quæ adversùs Arianos eximia opera scripserat, cùm illorum hæreticorum nullus superesset, prorsus neglexerunt. Ea verò quæ turbulentissimorum temporum sub Imperatoribus Arianis historiam spectabant, cùm non plenè à Græcis tractata, literis quoque Latinis elucidari necesse foret, Orientales in summa illarum ignorantia huc usque manserunt. Ea igitur quæ Orientales de eo habent, pauca in verba contrahentes, cùm aliunde hæc Historia notissima sit, in medium proferemus.

Fabulosa de pueritia ejus narratio.

De ejus nativitate & infantia hallucinatus est Severus, & eum secutus Elmacinus, qui Athanasium ex parentibus idololatris natum fuisse scribit. Mater, inquit, ejus erat primariæ apud Alexandrinos nobilitatis, sed Idolorum cultui addicta, quæ eum patre orbatum in prima pueritia optimè educaverat. Cùm ad justam ætatem pervenisset, volebat illa ut filius uxorem duceret, quod ille constantissimè recusabat. Itaque ut eum faciliùs à sententia dimoveret, pudicitiam ejus labefactare aggressa est: immissæ in filii cubiculum meretrices speciosæ & unguentatæ, quæ dormientem ad stuprum pellicerent, quas ille, Deo ipsum ad res maximas destinante, verberatas ejecit. Mater infœlix cùm eo modo nihil profecisset, magicis artibus eum aggressa, Magum ex eorum numero qui Sabæorum religionem profitebantur, accersivit; & cum filio ad convivium adhibuit. Is cùm Athanasium intuitus esset, mulieri in hunc modum locutus est: *Ne*, inquit, *frustrà labo-*

res, neque enim filium tuum superare poteris, quippe jam Galilæus factus est, & in eorum religionem transiit, futurumque est ut vir maximus evadat. Quinam, inquit mulier, *Galilæi isti sunt? Homines*, inquit, *Ecclesiæ sodalitii, qui templa destruxerunt & idola everterunt.* His auditis illa apud se judicans, si ulterius Athanasio molesta esse pergeret, illum ab ea discessurum, eo secum adsumto Alexandrum adiit, cui totam historiam narravit, simulque cum eo baptisata est. Eâ paulò pòst mortuâ, Athanasius apud Alexandrum mansit, qui eum filii loco habens, instituit in omni doctrinarum genere. Tunc cœpit sacrarum Scripturarum lectioni diligenter incumbere, & Evangelia memoriter didicit. Tandem cùm ætatem legitimam attigisset, Diaconus ordinatus est ab Alexandro, qui eum quoque Scribam seu Syncellum & Secretarium suum constituit; factusque est tanquam interpres Alexandri, quandocumque verba facere vellet. Eo loco observandus est locus in versione Eutychii, qui ab Interprete non satis explicatus est: ubi eadem verba ita vertit, qui *scriptor fuit*: quæ de Athanasio dicta non alium sensum lectoribus offerre possunt, nisi quòd multa scripserit, quasi hæc ad doctrinæ, famæque quam scribendo Athanasius consecutus est laudem pertineant, cùm nihil magis alienum sit ab Autoris mente. *Scribam* sive Secretarium apud Patriarchas eum appellant Arabes, quem vulgo Græci *Syncellum* & *Protosyncellum*; nempe Diaconum aut Sacerdotem qui in Cella Patriarchali cum Patriarcha vivebat, eratque illi ab Actis & Epistolis: qui sensus ex multis hujus historiæ locis manifestus est. In ea porro quam suprà retulimus Severi narratione, quam in pauciora verba Elmacinus contraxit, multa peccata sunt. Neque enim Athanasium parentibus gentilibus natum credi potest, cùm nullus Autor fide dignus id tradiderit, neque id Athanasio objectum ab Arianis aliquando fuisse legatur.

Eutych. t. 1, p. 455.

Vit. Athan. Tillem.

Ruffinus retulit Alexandrum eo die quo Petri Martyris anniversaria commemoratio celebraretur, dum invitatos ad convivium Sacerdotes & alios Ecclesiasticos expectaret, vidisse eminus in litore maris pueros ludentes, inter quos Episcopum Athanasius ageret; ad quem ab aliis qui Diaconorum personam agebant deducti alii tanquam Catechumeni, ab eo baptisati sunt, quem baptismum ratum esse voluit Alexander: pueros verò, & præcipuè Athanasium, Ecclesiæ commendatos, summâ curâ institui præcepit.

De Baptismo puerorum per Athanasium.

Socrat. l. 1. c. 15. Sozom. l. 2. c. 17.

Ruffinum exscripsere Socrates, Sozomenus, & quidam alii, quorum tamen autoritas non tanti visa est viris nostra ætate doctissimis, ut historiolæ illi fidem adhibendam existimarent. Impugnant & suspectissimam habent Autores vitæ S. Athanasii, Tillemontius & alii: propugnavit dudum Papebrochius, & nuper eam iterum vindicavit Bollandiani laboris continuator: cui Dissertationem opposuit D. Bernardus de Montefalconis è Congregat. S. Mauri vir doctissimus. Sufficit nobis annotasse ignotam esse Severo & aliis melioris notæ Autoribus Arabicis hanc historiam. Neque quod sciamus occurrit hujus rarissimi exempli memoria in Canonum Collectoribus, vel Canonicis responsis, etsi non minimæ autoritatis sit, ad difficillimas de Baptismo quæstiones explicandas.

Error Severi de Alexandro diu post Concilium Nicænum superstite.

Eum ab Alexandro tanquam alterum Samuelem ad sanctæ Ecclesiæ ministeria optimè educatum omnes consentiunt: cùmque Nicænum Concilium convenisset Athanasius cum Episcopo suo Nicæam profectus, jam pro fide decertare adversùs hæreticos cœpit. Verùm graviter quoque hallucinatus est Severus, dum contra suas ipsius rationes, Alexandri vitam ita producit, ut Constantino magno superstitem fuisse dicat, dum ita scribit: *Cùm verò mortuus esset Constantinus Imperator fidelis in senectute bona, successit illi Constantius ejus filius, qui in Orthodoxa fide non perseveravit, timore & vitioso hominum pudore victus. Eam occasionem nactus Arius Imperatorem adiit, ejusque gratiam sibi concilians, cor ejus corrupit, eumque ad sententiam suam inclinavit, adeoque prævaluit fraus Arii, ut Alexandrum Imperator Constantinopolin accerseret. Nesciebat quanta esset Alexandri dignitas, & quam ob causam Arium anathemati subjecisset, atque Ecclesia pepulisset. Erat Alexander annis & senio debilis, sensibus tamen integris. Athanasius ejus scriba & interpres, ejus nomine loquebatur per virtutem Spiritus sancti, quia fidei Orthodoxæ summam scientiam habebat. Consedit Alexander coram Imperatore, præsente Ario, qui multa secundùm opinionem suam futiliter & impudenter locutus est. Athanasius contra eum disputavit, refellens oratione sua quæcumque ab illo dicta fuerant. Unde turbatus est Arius, solutusque consessus: & mox, inquit, alius nobis consessus dabitur. Cùm verò intelligeret Arius vires se adversùs Athanasium habere nullas, datâ pecuniâ illis qui januæ regiæ præpositi erant, pepigit cum eis, ut in proxima Collatione excluderent Athanasium. Postridie Imperator cùm eos adesse*

jussisset, intrassetque Alexander, janitores Athanasium ingredi non passi sunt. Imperatore considente, & præsente Alexandro, cœpit Arius multis sermonibus de fide disputare. Alexander ad dextram & sinistram oculos convertens, nec videns Athanasium secretarium suum, obticuit. Tum Imperator: Cur, inquit, non loqueris? Respondit Alexander: Quomodo loquerer absque lingua? Intellexit Imperator designari ab eo Athanasium, quem statim introduci jussit. Illum ut vidit Arius, protinus egressus, in loco consistere ausus non est. Tunc Alexander Imperatori dixit: Scias velim, ô Princeps, Arii istius depositionem factam fuisse in Concilio: neque ego illum solus deposui, sed parens tuus piæ memoriæ Imperator, & omnes qui Concilio intervenerunt, deposuerunt eum. Ipse etiam Imperator sententiæ anathematis adversus Arium pronuntiatæ, sua manu subscripsit; cùmque oculis observaveris scripturam patris tui, statim ejus manum agnosces. Hæc autem paucis verbis mea est sententia. An eum quem deposuit Constantinus Imperator & totum Concilium, ego absolvam? Hoc si fecero, schisma inducam: nam pater tuus verè contra eum sententiæ anathematis prolatæ, & ejus depositioni subscripsit in Nicæno Concilio. Hæc cùm audiisset Imperator, simulque fratrem metuens, noluit irritum facere mandatum patris sui Imperatoris. Hujus enim rei gratiâ frater ejus legationem ad eum miserat, quò eum à tali sententia dimoveret. Itaque Alexandrum dimissum ad sedem suam redire permisit: mansitque Arius depositus & anathemati subjectus, quamvis antea existimasset se autoritate Principis, & pecuniarum inter ejus domesticos largitione superiorem futurum. Mortuus est deinde Alexander, & quietem accepit cum patribus suis, postquam sacerdotibus & plebi moriens præcepisset, ut Athanasium in Sede Patriarchali, se defuncto, collocarent; magnâ omnium lætitiâ ob propensam erga eum voluntatem. Huc usque Severus, in cujus narratione nihil occurrit omnino quod cum certa rerum gestarum serie conciliari queat, præterquam quòd educatum constat Athanasium in Ecclesiæ ministerio, ordinatum eum esse Diaconum ab Alexandro, quem ad Nicænum Concilium secutus est tanquam secretarius & interpres; & à quo sexto circiter mense postquam Alexandriam reversi sunt, successor designatus est.

Pergit Severus. Postquam verò Athanasius sedit in Throno Apostolico, ejecit sequaces Arii ab Ecclesia, productâque ana- Narrationis Severi continuatio.

thematis sententiâ, quam Constantinus Imperator, & qui sancto Concilio interfuerant, subscriptionibus suis firmaverant, legit eam in Ecclesia coram frequente populo. Hæc Arius cùm audivisset, valdè iratus, & furore incensus, venit ad Imperatorem & dixit ei: Si Alexander Patriarcha Constantinopolitanus me susceperit jussu tuo, causam obtinui. Accersito ad se, Imperator dixit: Iste Alexandrinus Patriarcha recusavit Arium suscipere, & mandata mea insuper habuit. Scis autem quòd te constituerimus Patriarcham, & in Sede Constantinopolitana collocaverimus: oportet igitur te nobis non contradicere alterius exemplo, vir enim mitis es, atque adeò ut Arium tecum assumas, eumque suscipias rogamus. Tum Patriarcha dixit ei, quod Ecclesia Arium non susciperet: sed neque oportere quemquam suscipi, nisi qui eamdem cum Ecclesia fidem profiteretur; istum verò qui Trinitatem creatam esse constituat, jure merito ab Ecclesia rejectum. Non ita est, inquit, Imperator, sed Trinitatem confitetur. Tum Patriarcha: Det, ait, mihi professionem fidei suæ, manu propria subsignatam, ut qualis illa sit, certò sciam. Vocari jussit Arium Imperator, & hoc divinitùs fiebat; ille autem professionem fidei manus suæ subscriptione firmavit, licèt animo contraria sentiens. Mox Patriarcha petiit ut juraret nullum sibi in animo dubium circa fidem superesse, quod Arius juravit. Tum Imperator ad Patriarcham: Quid superesse tibi suspicionis adversus illum potest? Respondit ille: nempe quod Pater Alexander Patriarcha Alexandrinus, renovavit Alexandriæ sententiam anathematis adversus Arium, firmatam subscriptionibus patris tui piæ memoriæ Constantini Imperatoris, & Concilii Nicæni quam publicè iterum legi jussit, Ariique sectatores ab Ecclesia ejecit. Quòd si mali nihil acciderit Ario isti ab hac die, usque ad proximam Dominicam, ego illum suscipiam, & ad communionem cum Sacerdotibus admittam. Exivit Arius expectans diem Dominicam; quæ cùm advenisset, ingressus est in Ecclesiam indutus veste splendida, unguentis delibutus, seditque in Sacerdotum Ordine. Patriarcha & qui ei consentiebant, perseveraverant jejunantes & orantes coram Christo Domino, precantes simul ut non imputaretur illis peccatum Arii, quia Imperator juraverat, quòd si Dominicâ ante horam octavam Arius susceptus non fuisset, Ecclesia magnam pecuniæ summam mulctæ nomine pendere cogeretur. Cùm igitur convenissent Ecclesiastici & Sæculares co

eo die in Ecclesiàm, Patriarcha valdè mœstus Liturgiam inchoavit. Jam Lector cœperat legere, cùm Ario intestina commota sunt, adeò ut foras in angulum ad alvum exonerandam secesserit; atque ibi viscera omnia sua ejecit. Cùm igitur ille ex conspectu se subtraxisset, quæsiverunt eum nec invenerunt: tandemque postquam diligenter quæsivissent, repererunt eum sedentem, frigidum, artubus solutis, ventre projecto, siccum, & omnia intestina ejus egesta coram eo. Significaverunt hæc statim Patriarchæ, qui stupens & silens gratias egit Domino Jesu Christo, quòd Arium judicasset, subitoque exitio perdidisset, propter perjurium ejus fidemque perversam. Imperatori quoque & universæ multitudini apparuit veritas eorum quæ Petrus Martyr Patriarcha Alexandrinus prædixerat. Itaque Alexander Constantinopolitanus Patriarcha, Liturgiam eo die absolvit, cum lætitia, hymnis & laudibus; misitque ad Athanasium Patriarcham Alexandrinum, qui hæc omnia suo nomine nuntiarent, in hæc verba: *Glorificamus Deum, tibique, frater, notum facimus, Arium morte stupenda extinctum esse, hæresin ejus excisam, & sectatores dispersos.* Imperatori hæc maximè displicuerunt propter Arii amicos, Georgium, & illorum sequaces qui Alexandrinam Ecclesiam invaserant. Siquidem Georgio dedit Imperator, equites ex copiis suis quingentos, quos misit cum illo, ut eum Patriarcham Alexandriæ constituerent. Scripsit etiam literas ad omnes Provincias, doctrinam Arii in illis publicans, nempè quòd Deus creatura esset. Eum tamen nullus suscepit in terra Ægypti: sed communionem accipiebant à Sacerdotibus quos Athanasius ordinaverat. Is porro Georgius dolo ingressus est in Ecclesiam Alexandriæ, aut, ut alii dicunt, introductus per milites qui cum illo venerant, à quibus occisi sunt ex Christiana plebe plurimi, qui cum Athanasio consentiebant, ita ut sanguis inundaret Ecclesiam, & ad genua pertingeret. Vasa etiam sacra prædati sunt; & virginibus quæ erant in Ecclesia, vitium obtulerunt. Athanasius latebat interea; & diu Christiani in speluncis, desertis, & latibulis per universas usque ad Thebaidem Ægypti Provincias sacra Mysteria celebrabant. Ariani verò, favente Imperatore cui adhærebant, ubique primas obtinuerunt. Serapion tunc erat Episcopus Tmueos. Is ad Athanasium & universum populum literas scripsit, monens ut ab Arianis caverent. Elapsis annis sex, Athanasius prodiens in publicum, adiit

Imperatorem, judicans se ab illo morti addicendum, atque adeo martyrii coronam percepturum. Iussit Imperator ut naviculæ imponeretur absque pane & aqua, nautis aut gubernatore; sed ipse solus in eam injiceretur, & in altum deduceretur: quod factum est. Fluctus verò, Deo custodiente illum & gubernante, deduxerunt eum, ita ut Alexandriam die tertio pervenerit. Clerus & plebs ad eum profecti, occurrerunt ipsi cum gaudio, & honorificè susceperunt usque dum in Ecclesiam ingressus est, ex qua Georgium ejecit, & eos qui perversam ejus fidem sequebantur. Eo die Athanasius festum Deo celebravit, omnisque populus per totam Ægyptum in summa lætitia fuit. Post annos septem venit in Ægyptum vir quidam Gregorius nomine, cum duobus militum millibus, qui Ecclesiam spoliavit, & Athanasium comprehendit, quem Imperator tradidit impio cuidam viro Idolorum cultori. Illum etiam occidere designaverat, ut & Liberium Romanum Patriarcham & Dionysium Antiochenum, qui Patres, & columina erant Orthodoxæ fidei: sed illos Deus ex manibus ejus liberavit, incolumesque præstitit. Venit postea Athanasius cum Liberio Romam, atque apud eum mansit, donec mortuus est Constantius; & successit illi filius ejus Constans. Is Orthodoxus cùm esset, statim atque Imperium obtinuit, jussit ut Athanasius sedi suæ restitueretur.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Erat eo tempore Hierosolymorum Patriarcha Cyrillus, per quem miracula magna edita sunt. Inter alia apparuit columna ignea super sepulcrum Christi Domini Salvatoris nostri, quam Ethnici omnes, & quicumque tunc in urbe aut vicinis locis erant, observaverunt; duravitque ab horâ tertiâ usque ad nonam. Eutychius crucem lucidam, non columnam visam esse commemorat, & ita Elmacinus. Porro ad eam videndam ingens undique concursus hominum fiebat. Scripsitque Cyrillus ad Constantinum Imperatorem literas, quibus de hoc miraculo significabat.

Euty. b. t. 1. p. 475.

Constans Imperator Athanasium diligebat, qui postea quàm Sedi suæ restitutus est, viginti quinque annos in pace & tranquillitate vixit, cùm antea annos duos & viginti, ex quo eam obtinuerat, in exilio, certaminibus & persecutionibus transegisset. Mortuo Constante, Imperium ejus loco adeptus est Julianus Apostata, Ethnicæ religioni & Idolorum cultui addictus, qui Constantini Magni erat ex sorore nepos. Is Julianus statim Gentilium

templa aperiri jussit, Antiochiæque sedem fixit; neque enim dignus erat, qui domum Magni Constantini habitaret. Venit aliquando in templum Idolorum, & acceptum gallum gallinaceum, tradidit sacrificulo; quem cùm dæmoni obtulisset, Julianus cor victimæ accepit, & comedit.

Erat Juliano nepos ex sorore, Julianus quoque appellatus, impietate avunculo par. Is Sacerdotem Theodorum comprehendens occîdit; quod cùm fecisset, avunculo significavit: qui adversùs eum magnopere indignatus, dixit: Noluissem te illum occidisse, siquidem Christiani gloriantur cùm occiduntur, dicentes se fieri martyres. Verùm ita apud me constitui, ut cùm rediero ex Persica expeditione, accipiantur pro quocunque Christiano tres unciæ Naftæ, volens scilicet infundi super eos, donec idola ejus adorassent, existimans eos Naftam ardentem sustinere non posse.

Erat tunc Ecclesia dives, quatuor columnis suffulta, nempe Athanasio Patriarcha, Antonio & Pacomio Monachis, & Basilio Episcopo Cæsareæ in Cappadócia. Is & Liberius Patriarcha Romanus, familiares fuerant Juliani Imperatoris, in eadem cum illo schola instituti. Cùm audissent verò pravas opiniones quas profitebatur, assumtis Episcopis ad eum profecti sunt, qui contemplatus aliquandiu vestitum eorum & barbam, dixit eis: Quid quæritis? Quærimus, inquiunt, Pastorem bonum qui nos pascat. Tum ille ad Basilium: Ubi, inquit, reliquisti Fabri filium, dum huc ad me venisti? Reliqui illum, inquit Basilius, occupatum in compingendo tibi feretro, ut te in illud collocaret. Ad quæ Imperator: Nisi amicus meus esses, superessetque in me voluntatis erga te propensio, caput tibi præscindi juberem. Ad hæc Basilius. An non, inquit, doctrinæ quondam amore flagrabas? Cur igitur sapientiam deseruisti? Legi, inquit, quæ ad eam pertinent, memoriæ commendavi, & abjeci. At, inquit Basilius, neque legendo eam didicisti, aut memoriæ mandasti; si enim eam cognovisses, & animo complexus fores, nunquam abjecisses. Imperator dixit: Oportet ut vos detineri in vinculis jubeam, donec ab expeditione Persica rediero; & expectabitis quodcunque de vobis statutum erit. Tum Basilius: Si profectus fueris, & sospes redieris, Deus in me locutus non est. Postea Julianus dixit: Quid faciam adversùs Galilæum illum mendacem, qui dixit, Destruam templum quod Judæi ædificaverunt? Ædificabo illud regiâ magnificentiâ; atque ita falsitatis convincetur apud om-

Narratio Severi de Juliano Apostata.

nes ejus vaticinium, quasi non ampliùs ædificandum foret. His ita constitutis, Basilium & duos alios qui cum eo venerant, in carcerem conjecit: & in Persidem profectus, transivit per Hierosolyma. Ibi vidit templum destructum, adeo ut vix parietinæ superessent, ex quo Vespasianus Imperator illud destruxerat, Judæosque internecione deleverat, & in servitutem abduxerat. Julianus verò jussit, ut loco mundato novum ædificium instauraretur, & profectus est, relicto qui operi præesset. Is cœpit eodem in loco ædificium construere; nam vastitas templi talis erat, ut ne quidem relictus esset lapis super lapidem, ut in Evangelio dictum est. Nova igitur ex integro fabrica excitari cœpit, cogitante Juliano templum Idolorum illic facere. Operarii toto die usque ad noctem opus moliebantur; cùmque recessissent, & postridie reverterentur, inveniebant omnia destructa, non humanis manibus: sed parietes integros eversos à fundamentis, & in terram dejectos. Perseveraverunt tamen in opere per menses integros duos, neque quidquam perficere potuerunt. Dixerunt itaque ad illos Judæi: Ignem injicite sepulcris istis in quibus Christiani jacent, & solida erit ædificatio quam molimini. Ignem igitur injecerunt sepulcris, incipientes à duobus, in quibus erant corpora Elisæi Prophetæ, & Joannis Baptistæ: sed ignis nullo modo ea destruere potuit, unde majorem in modum stupefacti sunt, cùm diebus multis flamma ardens ea non attingeret. Fideles quidam interea Præfectum adeuntes, oblatâ pecuniâ petierunt, & obtinuerunt, ut sibi liceret corpora duo è sepulcris transferre, quæ effossa miserunt ad Athanasium. Ille cùm ea suscepisset, non minore lætitia affectus est, quàm si sanctos viros viventes in conspectu habuisset. Accepta igitur corpora in quodam loco deposuit, donec Ecclesiæ illis ædificandæ copiam nancisceretur. Quodam die cùm Athanasius domi sederet, adessentque fideles multi ad audiendum sermonem ejus, in quo vita erat animarum illorum, levatis oculis vidit colles duos è regione loci in quo erat, dixitque: Tempus jam opportunum reperi, quo super illos colles ædificem Ecclesiam Joanni Baptistæ & Elisæo Prophetæ. Theophilus ejus scriba, sedebat ad mensam prope illum cum aliis fidelibus multis, & hæc verba cùm audisset, servavit apud se. Interea Julianum Imperatorem Apostatam, cùm in Persas profectus esset, tradidit Deus in hostium suorum manus, sanctorum causâ, quos ante profectionem in vincula conjecerat, multa illis comminatus.

Reliquiæ Elisæi & Joannis Baptistæ.

Mortis ejus talis ratio fuit. Nocte vidit quosdam milites desuper ex aere in se irruentes, quorum unus lanceâ percussit eum in capite, eamque adegit usque ad ventrem ejus. Intellexit illum aliquem esse ex Martyribus, implevitque manum suam sanguine, quem sursum jaciens, *Accipe*, inquit, *hoc Jesu*, *locum enim integrum cœpisti.* Has blasphemias cùm effudisset, corruit mortuus, atque ita liberavit Deus populum suum, Romanique ad proprias sedes reversi sunt. Triduo autem ante mortem Juliani, Basilius cùm esset in carcere, evigilans à somno dixit duobus qui secum erant: Vidi hac nocte sanctum Martyrem Mercurium intrantem in Ecclesiam suam, ibique accepit hastam suam, & dixit: *Certè*, *non patiar impium hunc blasphemare adversus Deum meum.* Hæc cùm dixisset, evanuit, nec ampliùs eum vidi. Uterque eamdem sibi visionem per somnum oblatam esse testatus est. Miserunt igitur ad Ecclesiam S. Mercurii, qui inspicerent an ibi esset ejus lancea: quæ inventa cùm non esset, certam inter se habuerunt somnii significationem. Elapso triduo, literæ & nuntii de morte Juliani Antiochiam pervenerunt. Huc usque Severus, qui mox Jovianum electum ab exercitu, Juliani loco, à pietate commendat: quem etiam ad Athanasium literas dedisse laudibus plenas, quæ in Ægyptiacis Ecclesiis publicè lectæ sunt, ad confirmandos consolandosque fideles.

In illa porro narratione, quæ neque rerum gestarum, neque temporum rationi consentanea est, recensenda, & emendanda, non esset, opinor, operæ pretium, cùm aliunde Athanasii historia notissima sit; in illis verò capitibus quæ ejus cum Arianis pro fide certamina complectuntur, talis sit Orientalium Autorum ignorantia, ut ne prima quidem earum rerum indicia noverint. Plura, sed non multò meliora leguntur apud Eutychium, ut disputatio Athanasii cum Eunomio qui ibi ex vitio codicis *Eumenius* appellatur, nimium frequenti errore circa propria nomina quem Interpres tollere sane debuisset, cùm magnæ inde tenebræ lectoribus incommodent. Omnia ferme ex eo transtulit Elmacinus. *Eutych. t. 1. p. 457. & seq.*

Idem Eutychius ad ea tempora, finem scilicet Constantini, refert quòd ut Judæos agnosci facile foret, jusserit carnes suillas circa Ecclesias proponi, adeo ut qui eas gustare detrectasset, tanquam Judæus occideretur; quæ ab eodem sumsit quoque Elmacinus, nullo fulta veterum testimonio. De suilla Judæis proposita.

De Juliano eadem ferme apud alios reperias, nisi quod Eutychius & Elmacinus ea quæ de Basilio Cæsariensi ab eo in carcerem conjecto, & inter utrumque sermonibus habet Severus, non referunt, quæ sane cum judicio ab illis rejecta sunt. Etsi verò uterque scribat, ut etiam Abulfaragius, opinionem quorumdam esse, quod ab equite quodam Persa sagittâ transfixus fuerit, communis tamen Orientalium omnium traditio est cædem illam divinitùs accidisse, per D. Mercurium, etsi rem aliter narrant, nempe imaginem ejus quam ante oculos Basilius habebat ex oculis sublatam, mox restitutam suo loco, ita tamen ut cuspis hastæ cruenta appareret. Ita fermè legitur apud Joannem Damascenum : & cùm inter Martyres celeberrimum in Oriente sit Mercurii nomen, historiæque illius multæ extent, nulla est quæ hoc miraculum non referat : imò extant responsoria quædam, & preces Ecclesiasticæ aliæ, quæ illius memoriam contineant.

Damasc. de Imag. Nov. Ed. t. 1. p. 327.

In Athanasii quoque vita referre solent Inventionem Crucis Christi ab Helena factam, de qua omnes Autores Christiani cujuscunque sectæ, imò Makrizius & alii Muhamedani. Eam pariter historiam fusiùs prosecuti sunt Ebnassalus in Opere suo Theologico, Maris Salomonis filius in Historia Nestorianorum : & Amrou Mathæi filius ex eadem secta, præter alios complures tractatus anonymos.

Ebnass. c. 47.

Cùm verò tam in præcedentibus quàm in hujus Patriarchæ historia, Eutychius, & qui eum ubique sequitur Elmacinus, omnes fermè Epochas, & Canones suos Chronologicos accommodent ad annos Regum Persarum Chosroidarum, nullam illorum mentionem faciendam existimavimus, multis de causis. Prima quidem & certissima nobis visa est, ea quæ ex ipsius Persicæ Chronologiæ obscuritate & confusione ducitur, quam si Persas celebriores sequimur Leb-Tarich, Mogemal Toüarich, Tarich Kozida, Emir-Condum, Cond-Emirum, & Toüarich El Agem, præter multos alios, vix cum calculis Eutychii conciliare possumus. Neque enim certam ullam habent Epocham Orientales, quam cum illa successione conjungant. Nam Elmacinus & quidam alii qui per annos ab orbe condito numerant, Græcos quosdam obscuriores nec accuratos Chronographos secuti, omnia turbant, & fere ubique errorum gravissimorum rei deprehenduntur. Annos Seleucidarum Mesopotameni Syri, &

alii prope omnes usurpant, sed rarò ante Muhamedana tempora. Muhamedani vix illâ Epochâ utuntur, nisi ubi disputant de Muhamedis sui nativitate. Æram Martyrum quæ 284. annis Christiana recentior est, soli Ægyptii usurpant, & qui illos per omnia sequuntur Æthiopes. Aliæ omnes singulares insigniorum urbium, quæ in Chronologiis Græcis occurrunt, Cyclique & Periodi quibus certa annorum ratio colligitur, Arabibus, Persis, Syrisque ignorantur: neque enim ad hæc studia nisi serò & post Almamonem Califam scientiarum apud eos fautorem eximium adjecerunt animum. Imò si accuratiùs rem definire volumus, serius omninò adhuc, nec nisi sub Melik-Schah Seljukidarum Sultanorum tertio, Tabularum Chronologicarum, diligens descriptio facta est. Sed quod satis mirum est, præter Epocham Hegiræ Muhamedanis propriam, non aliam ad Canones suos conficiendos adhibuerunt, quam Isdigerdeam sive Persicam, Alexandri sive Seleucidarum, Cataiorum præterea, satis apud nos inutilem, nec magni quantum apparet apud alios quàm Astronomos usus, & quæ ad Sinicam historiam cum Tabulis quæ ex Sina ante annos aliquot in Europam delatæ sunt comparatæ, possunt illorum historiæ lucem aliquam afferre, etiam prodesse nonnihil in Ginghiscanidarum Tartarorum rebus explicandis. Verùm neque Christianam Epocham à Christo nato vel passo: neque Diocletianæam, neque eam quæ dicitur ab orbe condito, aut Periodum quæ Julianæ respondeat ullam habent. Annos verò reducere ad Cyclos illos Cataiorum sive Sinarum, ut difficile admodùm foret, cùm præter Ulug-Begum vix ullus Autor idoneus de illis scripserit, ita planè inutile futurum esset in comparandis annis Regum Persarum qui Isdegerdem ultimum præcesserunt, cum annis Romanorum Imperatorum, sicut Eutychius & Elmacinus fecerunt. Neque enim Epocham communem ad quam Persicorum Regum anni accommodari possunt, habent Persæ aut Arabes Historici. Quod verò ad illos Reges spectat, quandoquidem nulla fermè inter eorum res & Ægyptiacas communio est, dicemus in Historia Catholicorum Bagdadensium, qui sub eorum potestate vixerunt.

Athanasii mortem anno J. C. 372. assignat Baronius, quem omnes fermè sequuntur: & sanè cùm constet ex omnibus Autoribus sedisse eum annis 46. Sedem verò Alexandrinam obtinuisse altero post Concilium Nicænum anno, cùm sex tantùm

Athanasii mors.

circiter mensibus Alexander supervixerit, ab anno 326° usque ad 372um hic numerus annorum intercipitur. Itaque error est in Canone Chronologico apud Abulbircat, qui ejus obitum assignat anno Martyrum seu Diocletiani 106°: qui quidem error immanis est. Nam ab anno 284° qui primus illius Imperatoris fuit, à quo ducitur Epocha illa usque ad J. C. 372um, numerantur tantùm anni 88. neque sanior est alterius Canonis Chronologici calculus quem edidit Kircherus, qui contra Cyrilli, Ruffini, Socratis, omnium fermè Autorum testimonia, quadraginta duos tantùm annos Pontificatûs, Athanasio tribuit, & ejus successoris initia quadriennio antevertit, cùm eum anno 368. primum sedisse scribit. Sed consentiunt Autores omnes de quadraginta sex annis qui numerantur ex quo ille ordinatus fuit, usque ad ejus mortem, numero illo comprehensis annis pluribus, quibus ter exulare coactus est, ob Arianorum persecutionem. Ita Eutychius, Chronicon, Elmacinus, Makrizius: Severus annos quadraginta septem numerat, obiisseque ait 7^a mensis Pachonis, qui respondet 12. mensis Maii: Festum agitur 2° ejusdem à Latinis & Græcis die ordinationis ejus, ut existimat Baronius. In Chronologico Canone Abulbircat, ejus obitus assignatur 20° mensis Mechir, qui incidit in 14um Februarii; qui dies etiam alius ab eo est, quo Græci alteram Athanasii commemorationem faciunt.

Not. ad Martyr. R.

Scripta Athanasii.

De scriptis Athanasii indiligenter omninò Orientales loquuntur. Multas dicunt eum Orationes scripsisse, Epistolasque Paschales seu Heortasticas, quadraginta septem: qui numerus à Severo conservatus, respondet annis quibus sedem obtinuit; nempè ut 47° anno Episcopatûs labente obierit. Item de Cruce, de Christo Domino, multa quoque alia quæ ad fidei defensionem spectabant: Epistolam ad Virgines, Vitam S. Antonii Eremitæ, & plura alia. Sanè non pauca Athanasii scripta contra Arianos olim in Syriacam linguam esse conversa, deinde in Arabicam, probant multa & satis prolixa testimonia, quæ ex illis referunt Theologi fermè omnes, atque inter eos præcipuè Autor anonymus, sed antiquus Expositionis fidei secundùm Jacobitas qui extat in Bibliotheca Regia, ut alii in Seguieriana: Isa filius Zaraa in Opere Theologico ad ejusdem fidei defensionem. Iahia filius Adæi, Ebnassalus, Abulbircat, Dionysius Barsalibi, omnes tandem qui vel Theologicos Tractatus, vel Commentarios in Scripturam ediderunt. Extant pariter in diversis Codicibus Homiliæ

Homiliæ ejus variæ, sed ut plurimùm ex illarum genere, quæ non genuinis ejus operibus accensentur. Imò quod sæpe monendum est, ne temeraria quorumdam Arabissantium ὀψιμαθεία fraudi sit, vix quidquam illius integrum apud eos extat, quod nativum & legitimum haberi possit. Quæ ergo in Theologorum quos indicavimus, & aliorum scriptis occurrunt ex Athanasio desumta, non tam ex integris ejus operibus in Arabica interpretatione lectis expressa esse censenda sunt, quàm ex locis illis communibus controversiarum, quorum syntagmata habent plurima. Ea autem, quantùm colligere possumus, Græcè primùm facta sunt à Severianis, ut haberent unde adversùs Catholicos & Nestorianos disputarent; dudum enim erat, cùm nulli jam supererant Ariani illis in provinciis, qua ratione factum ut negligerentur aurea illa magni Ecclesiæ Doctoris scripta, quæ tandem in Imperiorum mutatione, quam Græcæ linguæ interitus secutus est, tum ob molem, tum ob sublimitatem, oblivioni tradita fuerunt, adeo ut nihil quidquam ex illis jam apud Syros & Arabes integrum supersit.

Habent Canones Athanasii nomine numero centum & septem, qui extant in amplissima Collectione Coptitarum Jacobitarum in antiquo Codice Bibliothecæ Seguierianæ : & in alio quem Wanslebius dum in Ægypto esset describi curaverat, qui extat in Bibliotheca Oratoriana. Eos autem Canones Coptitis notissimos fuisse argumento est testimonium Ebnassali, Echmimensis, Abulbircat & aliorum qui eos in locos communes digesserunt, aut sicut is quem ultimo loco nominavimus, in compendium redegerunt. Extant quoque alia ex illis testimonia in variis Collectionibus, Quæstionibusque & Responsionibus. Non reperiuntur autem illi in Collectione Melchitarum, cujus habentur antiquissima exemplaria. Inde facilè conjectura duci potest, eam quæ Athanasii nomine extat apud Ægyptios Jacobitas, non tam acceptam esse ex Græcis Codicibus, quàm ex usu Ecclesiarum quotidiano in literas relatam, sumtis hinc atque inde Canonibus, datumque illi Collectioni titulum, quò major illi accederet autoritas. Sunt porro inter illos multi qui ætati Athanasii convenire non possunt, & posterioris temporis disciplinam repræsentant : atque inde conjectura duci potest, Athanasio Canones illos adscribi, quòd Alexandrinæ Ecclesiæ mores & instituta spectarent. Canones Athanasii.

Symbolum Athanasii habent Melchitæ seu Orthodoxi in libris Symbolum Athanasii.

Ecclesiasticis suis à Græcis acceptum, ut pleraque alia, & illud in quotidianis precibus dicere solent. At neque Jacobitæ, neque Nestoriani idem observant, aut in publicis privatisve eorum precibus locum habet, quod certum, nisi vehementer fallimur, argumentum est symboli illius originem non tam in Græca quàm in Latina Ecclesia repetendam: qua de re videnda sunt quæ à Viris doctissimis, Catholicis & Protestantibus scripta sunt. Occurrit quidem ejus editio Arabica in Codice Jacobitarum Ægyptiorum Seguieriano, notavitque librarius translatum esse ex Latino; atque ita sciri potest, symbolum illud quod quibusdam nonnulla continere videtur Monophysitarum doctrinæ consentanea, ipsis etsi probetur, non servari tamen apud eos ex antiqua traditione. Notatur autem verba illa de Spiritu sancto, *qui ex Patre Filioque procedit*, ita à Latinis pronuntiari, cùm symbolum Constantinopolitanum ea non habeat.

Atque hæc fermè sunt quæ ex Autoribus Orientalibus ad Athanasii historiam colligi possunt, quæ etsi fabulis & ἀνιςορησίᾳ maximâ obscurentur, longè tamen meliora sunt, quàm quæ leguntur in Anonymis quibusdam Historiis, quarum minor adhuc quàm Severi autoritas esse debet. Is sanè variis locis agnoscit ignorare se multa quæ ad illam historiam tam vitæ quàm operum pertinerent. Refert in fine eam olim inter suos opinionem fuisse quæ ad sua usque tempora pervenerit, quod cùm Athanasius persecutionis metu sæpe fugere cogeretur, Angelus Dei eum quò volebat deferret, sicut olim Habacuc Prophetam, qui Hierosolymis Babylonem delatus est.

Adjicit tandem fuisse Alexandriæ Idolum nomine *Rafaïl*: cùm verò Athanasii jam ex febre decumbentis quies appropinquaret, dixisse illum: *Si invenio misericordiam apud Christum Dominum meum, procidam coram eo, neque faciem meam levabo donec claudantur fores templi Idoli istius.* Testatos verò esse Sacerdotes Alexandrinos, quòd septem diebus elapsis ab ejus obitu, miserit Jovianus Imperator fidelis mandata secundùm quæ templum illud occlusum est. At Jovianus diem suum obierat diu ante Athanasium, nempe anno J. C. *364.* secundùm Baronii calculos. Et Jovianum quamvis Christianum & à pietate commendatum, culpant tamen non pauci, quòd nullam adversùs Paganorum superstitiones legem ediderit, sed Maximum aliosque Philosophos & Magos Juliano familiares nimiùm coluerit: adeoque laudatur

 ATHANASIUS Patr. XX.

à Themiſtio in Oratione Conſulari, quòd liberum reliquerit, ut in ſua religione quiſque viveret. Unde nulla ipſius Conſtitutio adversùs Gentilium ſacrificia, extat inter alias Imperatorias. Hæc ergo illius tempori aut moribus nequaquam conveniunt. Idolum porro illud quale fuerit, divinare non poſſumus, neque magni intereſt. Verùm hæc & alia quàm plurima, quæ de Idolis & ſuperſtitionibus Ethnicorum paſſim occurrunt apud Arabes, & temerè exſcribi ab Arabibus tam Chriſtianis quàm Muhamedanis ſolent, à Græculis accepta ſunt, quorum Commentarios non ſatis intellexiſſe videntur interpretes. Nam idololatriæ deteſtatio, quæ inter Arabes fuit ſane maxima, fecit ut ne Deorum quidem præcipuorum quos colebat Gentilitas nomina ſatis intelligerent, atque ita facile fuit ut portenta nominum quæ nuſquam fuerunt excogitarent : ea autem Arabicis characteribus expreſſa magis adhuc abſurda quædam pepererunt, quale illud Razaïl, Michaïl de quo in vita Alexandri, & multa alia.

V. Jacob. Gotofredum De ſtatu Paganorum ſub Chriſt. Impp. p. 8.

PETRUS PATRIARCHA XXI.

PETRUS Patr. XXI.

DE illo pauca admodum leguntur apud Severum. Defuncto, inquit, Athanaſio, congregati Chriſtiani ejus loco ordinaverunt ſacerdotem nomine Petrum, qui multas calamitates perpeſſus eſt à Lucio impio, qui falsò ita appellabatur. Hæc fortaſſis accepta ab Autore aliquo, qui ad etymon vocis attendit, vel ſecundùm Græcam, vel ſecundùm Latinam etymologiam. Eam autem perſecutionem ſuſcitatam fuiſſe teſtatur à Dadiano, (Palladium dicere debuerat) qui erat Ægypti Præfectus, ut ex Petri Epiſtola quæ apud Theodoretum extat, intelligi poteſt, abſque Imperatoris juſſu. Poſtea quàm ille intellexiſſet quæ adversùs Petrum geſta erant, miſit qui Lucium & Palladium comprehenſos in exilium ducerent, ubi ad finem uſque vitæ ſuæ permanſerunt. Sedit Petrus annis octo, obiitque 20. menſis Mechir.

Socr. l. c. 21. Ed. Valeſ. Theodor. l. 4. c. 20. Ed. Val. Hiſtor. Patr. Alex. ſ. 253.

Eutychius anno Valentis 8° ſcribit conſtitutum eſſe Petrum Patriarcham Alexandrinum, quem cùm animo ipſum occidendi, Ariani aggreſſi eſſent, ipſe fugâ ſe proripuit. Tum illi Lucium exulem reduxerunt, qui ſedit annis tribus. Irruentibus autem in eum Orthodoxis, ut eum occiderent, fugit Lucius, & ab illis reductus eſt Petrus, & loco ſuo reſtitutus, ſedit annos ſex & mortuus eſt. Hæc ille, quo loco monere oportet hiulcam eſſe Typographorum,

T. 1. p. 489.

ut verisimile est, errore Pocockii versionem, in qua de Lucii per Arianos restitutione nihil legitur.

Elmacinus etsi secutus satis intelligatur Eutychii narrationem, ab ea tamen recedit, dum unum tantummodo annum Petro in sedem restituto tribuit. Sed videtur ea omissio unius vocis esse, quæ aliter punctata *annum*, aliter *sex* significat. Chronicon sex quoque illi annos attribuit, quod ita intelligendum, ut sex annos in pace sederit, reliquos in exilio transegerit.

Aliter adhuc Makrizius. Successit, inquit, Athanasio Petrus, adversùs quem post annos duos Ariani insurrexerunt, qui eos fugiens, se subtraxit. At illi reduxerunt Lucium, qui sedit per triennium. Eum verò inimici ejus aggressi cùm ad fugiendum compulissent, Petrum reduxerunt 20ª mensis Mechir: & sedit annum unum. Ibi sane erratum fuit cùm dies mensis ille sit, quem illius mortis Severus fuisse scribit: tum etiam in unius anni numero. Pergit Makrizius. Tempore Valentis Romanorum Imperatoris Arius (legendum Euzoius) Episcopus Antiochiæ, Alexandriam venit, multosque ex Græcis, sive Romanis, nempe qui ei communicare recusarent, annuente Imperatore ejecit; Petrum Patriarcham in carcerem conjecit, & loco ejus constituit Arium Samosatenum. Petrus è custodia elapsus, Romam confugit, & ab ejus urbis Patriarcha susceptus est. Hæc quæ sola fermè de Petro Athanasii successore reperiuntur, satis ostendunt quàm leviter ejus historiam ut remotiores alias omnes attigerint Scriptores Orientales. Quæ Lucium Sedis Alexandrinæ invasorem nefarium spectant, ea accuratè tractata sunt à Scriptoribus Ecclesiasticis. Extat apud Theodoretum ejus Epistola de invasione Ecclesiarum per Arianos facta. Paschalium Epistolarum & aliorum quorumdam opusculorum meminit Hieronymus. Obitum Petri assignat Baronius cum plerisque aliis, anno J. C. 380. atque ita
An. 380. §. 16. sedisse reperitur annis octo ab ejus electione supputatis. Canon Chronologicus apud Kircherum numerat duodecim.

Memoria Petri secundi, ut appellatur, assignata est in Kalendario Copticarum ad 11am diem mensis Mechir, seu ut Arabes scribunt, Amschiri, qui ex parte Februario respondet. Poeta Æthiops
H ist. Patr. Al. p. 159. 20am habet. Ludolfus nomen ejus in suum Kalendarium transtulit, ex Seldeniano, quod nauci non est, & in quo tamen festus dies assignatur 19ª Baini seu Bunæ, contra meliorum Kalendariorum fidem, nempe ex autoritate Hagiologii, & quia eo die mortuus videtur.

TIMOTHEUS PATRIARCHA XXII.

TIMOTHEUS Patr. XXII.

MORTUO Petro, Episcopi cum Orthodoxa plebe congregati elegerunt sacerdotem nomine Timotheum. Hujus tempore habita est Synodus secunda Oecumenica, adversùs Macedonium Patriarcham Constantinopolitanum & Eunomium hæresiarchas, qui Spiritum sanctum blasphemantes, creatum illum esse dicebant. Habita est autem Synodus Constantinopoli sub Theodosio Imperatore. Sedit Timotheus annos novem, menses sex, in summa Ecclesiæ tranquillitate, obiitque 26ª mensis Epiphi, hoc est 20. Julii. Hæc ex Severo : Eutychius quem sequitur Autor Chronici, fratrem Petri eum fuisse dicit : atque ita Elmacinus. Septem tantùm annos Pontificatûs Eutychius assignat, ut Elmacinus : statuentes eum ordinatum esse anno Valentis 2°, & ejus anno 7° habitum fuisse Constantinopolitanum Concilium. Sed cum anno 385° obiisse ex pari Consulum Arcadii Aug. & Bautonis docet Socrates, atque adeo annos tantùm quinque sedisse agnoscitur. Malè in Tabula Abulbircat, annus obitûs dicitur fuisse 118us SS. Martyrum. De eo plura non habentur. Extant Canones ejus aliquot, seu Canonica Epistola Græcè, at eam ignorant Arabicæ Collectiones, tam Melchitarum quàm Jacobitarum.

Ita Chron. apud Abulbircat. *Eutych. t. 1. p. 490.*

De Concilio secundo Oecumenico multa habentur in Canonum Præfationibus Arabicis, Eutychio, Ebnassalo, Amro Mathæi filio & aliis quæ suo etiam more satis fideliter descripsit Makrizius.

Concilium Constantinopolitanum primum. *Eutych. p. 511.*

Sub his postremis Patriarchis notant floruisse sanctos viros doctrinâ conspicuos, nempe jam sedente Athanasio, Macarium quem vocant Magnum, & alium Alexandrinum, præter quem tertium antiquiorem agnoscunt ; quos magnopere venerantur Ægyptii, adeo ut in Diptychis eorum Liturgiæ, memoria occurrat trium Macariorum. Præterea Basilium Magnum ; & Gregorios quatuor, Thaumaturgum, Armenum, Nyssenum fratrem Basilii, & Theologum Nazianzenæ urbis cognomine designatum, qui ad Sedem Constantinopolitanam translatus est : Mar Isaac Syrum, Ephrem ex eadem regione Edessenum Diaconum, & alios sanctitate doctrinaque celebres.

De Timotheo Patriarcha illud etiam scribit Eutychius, jussisse ut Episcopi & Monachi carne vescerentur saltem diebus Dominicis, ut ea ratione dignosci possent Catholici à Manichæis, quia

Eutychius refellitur de licentia vescendi carni-

inter Ægyptios multi non solùm Monachi, sed etiam Episcopi, Manichæorum hæresi infecti erant. Ita enim sciri poterat, an recta fides eorum esset, cùm Manichæi carnibus perpetuò abstinerent. Ea occasione Eutychius longam παρέκβασιν instituit, quam consulere quisque potest; neque enim tanti visa est ut describi mereretur. Istius modi disciplinæ apud antiquos nemo est qui meminerit: imò Severus aut alii Jacobitæ scriptores de ea silent, quam quidem consuetudinem si obtinuit aliquando, nec ubique per totam Ægyptum, nec diu perstitisse existimandum est, cùm contrariam aliam extitisse multis argumentis deprehendatur. Extant enim de Monasticæ vitæ legibus Collectanea quàm plurima, & in illis ad certa capita revocandis secundæ partis suæ Collectionis, multa capita impendit Ebnassalus, de iis quoque Echmimensis, & alii Canonistæ. Monachos autem semper à carnibus abstinuisse, communis Orientalium omnium disciplina est, quam aliqua lege immutatam fuisse non liquet. Imò & in Episcopatu, ut nunc adhuc Græci faciunt, Monastica illa abstinentia servabatur. Unde de quodam ut inferiùs referetur, inter alia accusationis capita, querebantur sui, quòd in Cella Patriarchali carnes comedisset. Ea autem disciplina non pervenit ad Episcopos, nisi postquam plerique ex Monastico Ordine quasi sanctiori, assumi cœperunt. De Manichæis autem scimus Eutychium multa scribere quæ aliis Scriptoribus, præterquam Elmacino qui eum ubique exscribit, nisi ubi de Jacobitarum rebus agitur, prorsus ignota sunt, quale illud de tot Episcopis & Sacerdotibus Manichæis Ecclesias Ægyptiacas occupantibus, quasi ita soleret Ecclesia cum hæreticis agere, ut eos eduliis probaret, non alio inquirendi modo dignoscere conaretur. Tum & illud plane absurdum discrimen Manichæorum qui pisces ederent, aliorum qui aversarentur, quia pisces Idolis offerri victimarum loco non possent. Notum est enim ex melioris notæ Scriptoribus, Manichæos omnia animalia aliis omnino rationibus profana existimasse, & immunda, atque ab eorum usu abstinuisse. Elmacinus ad solam Paschatis diem hanc licentiam carnium edendarum restrinxit, non magis verè ut existimamus. Eum sequitur Makrizius.

busMonachis concessa die Dominica. P. 515.

Coll. can. c. 10. Mſ. Ar.

Addit Eutychius Timothei Patriarchæ tempore multas Ecclesias Alexandriæ ædificatas esse: *& monumenta non pauca*, ut vertit interpres. Vox Arabica est purè Græca ναὸς, quæ nihil minus significat, sed templa, seu Ecclesias; tandem ex Arianis multos ad

fidem Catholicam rediviſſe : quod Elmacinus quoque ſcribit.

Omnes præter Severum ſcribunt Concilio Conſtantinopolitano præfuiſſe Timotheum Alexandrinum Patriarcham, Eutychius, Elmacinus, Chronicon, Abulbircat, Makrizius & alii, nempe quia Damaſus Patriarcha Romanus aberat, cujus literæ lectæ in Concilio, & tanquam Orthodoxæ approbatæ ſunt. De Ordinatione Sedium Patriarchalium adeo ut Romanus Patriarcha primas teneret, ſecundus eſſet Conſtantinopolitanus, tertius Alexandrinus, quartus Antiochenus : tum ut Hieroſolymitanus Epiſcopus honoris prærogativam, poſt quatuor Patriarchas haberet, fusè ſcribunt Orientales in Canonûm Collectionibus, ubi & Nicænum ſextum primo loco referunt, tum eos qui de reliquarum ſedium prærogativis editi ſunt, & quorum numerus non idem eſt in omnibus codicibus, nec ſemper eſt eadem lectio. Nam ſecundùm diverſas Collectiones, diverſa quoque eſt interpretatio vel potius paraphraſis ejus qui numero 5[us] extat in Græcis Latiniſque Codicibus, quo Conſtantinopolitano Patriarchæ dignitas attribuitur ſecundi loci poſt Romanum. At tam in Collectionibus per locos communes, quàm in aliis, tanquam Conſtantinopolitani Concilii Canon refertur Conſtitutio de ordine primarum Sedium. Ex iis etiam Collectionibus tranſlatus eſt Canon ille inter eos qui Nicæno Concilio attribuuntur, quique vulgò dicuntur Canones Arabici. T. 1. p. 491.

In eo Canone præſcribitur quem honoris gradum habere debeant Catholici Seleuciæ & Cteſiphontis, tum Metropolita Æthiopiæ, quod quidem à Conſtantinopolitano 1° Concilio ſtatutum fuiſſe nemo exſtimabit, cùm non niſi poſt annos multos Catholicorum nova dignitas inſtituta fuerit : Bagdadum quod in pleriſque libris legitur Seleuciæ loco, poſt annos trecentos & octoginta conditum ſit ab Almanſore Califa Abbaſſidarum ſecundo.

TEOPHILUS PATRIARCHA XXIII.

THEOPHILUS Patr. XXIII.

Fabuloſa narratio de ejus primordiis.

HUJUS Patriarchæ qui ex Græca Latinaque antiquitate notiſſimus eſt, res geſtas ita Severus narrare incipit, ut ſtatim atque Timotheus diem ſuum obiit, conveniſſe dicat Epiſcopos cum Laicis, ordinatumque fuiſſe ejus loco Theophilum, qui Athanaſio ab Epiſtolis fuerat. Eutychius verò ut lectoribus ſuis narrationes, quod amat, jucundas objiciat, longam de ejus initiis

fabulam verbosè describit, quæ paucis explicata, ita se habet. Theodosium Imperatorem & Theophilum Constantinopoli simul vixisse antequam ille ad Imperium, hic ad Patriarchatum pervenisset, magnaque inter se amicitiâ conjunctos, cùm in summa egestate forent, quotidie lignatum in sylvam exivisse; ex lignorum quæ vendebant pretio, mediam partem dedisse pauperibus; alteram in usus suos ad vitæ necessaria comparanda reservasse. Quodam die cùm Theophilus ad Theodosium ex more excitandum venisset, audivisse ab eo somnium, quo ipsi quidem Imperatoria dignitas, Theophilo Patriarchalis portendebatur, interprete Theophilo ipso, qui non aliud præmium poposcit, quàm ubi rerum ipse potiretur, sui quoque meminisset. Qui totum somnium ab Eutychio evigilato quidem, sed somniante, scire avebit, adeat ejus historiam. Postea cùm indictus esset conventus in Ecclesiam ut à Deo publicis precibus Imperator postularetur, iverunt & ipsi, sed in turba pone reliquos consistendo, ob vestium squallorem. Finitâ Liturgiâ, avis magna coronam lucidam ore præferens advolavit; & post horas duas, cùm interea populus magna voce *Kyrie eleison* inclamaret, eam coronam capiti Theodosii imposuit; qui statim ad altare ductus, exutis vestibus sordidis, regiisque ornatus, acceptâ coronâ ab Episcopo in Palatium deductus est. Oblitus amici Theodosius, cum ad januam per annum integrum reliquit; tandemque inter orandum vocem audivit de illius oblivione monentem: statimque introductum benignè accepit: significavitque audivisse se vocem quasi dicentis, Sicut te Imperatorem constitui, ita Theophilum Patriarcham constituo: quam pariter audivisse per somnum Theophilus testatus est. Interea advenerunt Alexandriâ, qui Timotheum obiisse nuntiarent, postulantes designari sibi ab Imperatore, qui in ejus locum succederet. Is statim Theophilum designavit & Alexandriam misit. Hæc porro fabula quàm putida sit, satis intelligitur, cùm Theodosius non modò non ignobilis, ita ut ex lignatione victum parare cogeretur, fuerit; sed primæ ex Hispania Nobilitatis, filius Comitis Theodosii qui in Africa adversùs Firmum prosperè pugnaverat: ipse ejus filius ad consortium Imperii fuisset adsumptus, postquam Scythas ingenti strage debellasset. Et Athanasii Syncellum seu Scribam ab Epistolis fuisse Theophilum communis Ægyptiorum traditio est, quam etiam Severus, Elmacinusque eum secutus servaverunt, explosa longa illa fabula,

Eutych. t. 1. p. 499.

Eutych. t. 1. p. 521.

quam, ut existimamus, designat Severus, dum ait historiam Theophili cum Angelo Raphaele, cujus forsan nomine eadem narratio, ut miraculi plus haberet, insignita fuerat, non extare in ejus vita, hoc est in antiquis exemplaribus, quæ ut ipse suum opus conscriberet, præ manibus habuerat.

Cùm Theophilus Alexandrinæ Ecclesiæ administrationem suscepisset, audivit quosdam Idolorum cultores Hierosolyma profectos, ut illic templa eorum aperirent. Tunc misit Anachoretas qui dæmonia ex suis delubris ejicerent; quod cùm perficere non potuissent, seniores alios ex Monasterio S. Pacomii in Sahid seu Thebaide illuc misit, qui facta oratione malignos illos spiritus pepulerunt; & ipsum delubrum mutatum est in Monasterium, quod erat in ipsa Hierosolymorum urbe.

Postea ex voto quod Athanasius habuerat, ut ex eo ipso didicerat, cogitavit qua ratione ædificaret Ecclesiam supra colliculos duos, quos vivens designaverat, ut in ea Reliquias S. Joannis Baptistæ, & Elisæi Prophetæ cum honore collocaret. Dum mundatur locus, reperta est inscriptio quæ tria Θ haberet, quam, inquit Severus, interpretatus est Theophilus. At Eutychius pluribus, significat adjunctum fuisse, ut qui tres illas litteras interpretaretur, quæcunque sub pavimento defossa erant, acciperet. Theophilum tria illa intellexisse, ita ut primo significari dixerit Θεὸν: secundo, Theodosium Imperatorem, tertio seipsum. Effosso igitur loco, repertum aiunt magnum auri pondus, quod ex Imperatoris concessione Theophilus ædificandis Ecclesiis impendit. Severus simpliciter narrat eum, cùm pavimentum effodi jussisset, magnam pecuniæ vim reperisse, quam sacris ædificiis destinavit. Inter alias Ecclesiam erexit in quam translata sunt ab eo deinde corpora S. Joannis Baptistæ, & Elisæi Prophetæ, non sine multis erga infirmos miraculis.

Ecclesiæ ædificatæ.

Eutych. t. 1. p. 527.

Videre solitus fuit virgam lucis, quæ in modum crucis formata apparebat super baptisterium, quoties baptismum celebraret. Quodam anno cùm Orationibus baptismalibus esset intentus, adstante baptisandorum multitudine, lucidam illam crucem non comparere animadvertit: quæ res cùm anxium eum reddidisset, divinitus accepit, ne expectaret solitum miraculum fieri, antequam advenisset Arsenius Diaconus, qui cum eo preces suas conjungeret. Dimisso igitur conventu, misit qui eum perquirerent; eo invento in Regione Aschmoun, & adveniente, statim crux lucida sicut solebat apparuit. Miratus Theophilus Arsenii humilitatem, volebat eum sa-

cerdotem ordinare; at ille preces adhibuit, ut eum in ordine suo relinqueret, & ad cellam suam redire pateretur: quod tandem obtinuit. De Arsenio cujus sanctitas notissima est, plura habet Eutychius, ubi Arsanes ab interprete appellatur: extat quoque ejus vita in collectaneis variis Legendarum; & ejus nomine plura olim extabant in Ægypto Monasteria.

P. 528.

De Cyrillo Alexandrino.

Erat Cyrillus Theophili ex sorore nepos: quem apud se educatum & liberalibus studiis institutum, misit ad Montem Nitriæ, quem Arabes *Natron* vocant, in Eremo S. Macarii, ubi quinque annis in Monasterio mansit, scripturarum lectioni intentus. Ibi quoque sub Serapione Ecclesiasticæ doctrinæ operam dedit: tanto studio, ut sæpe insomnis una nocte quatuor Evangelia, Catholicas Epistolas, & eam ad Romanos legeret; cùmque memoriâ polleret, scripturas omnes fermè didicit. Postea Theophilus Alexandriam illum revocavit, & apud se in Cella Patriarchali habuit, scripturas in Ecclesia legere & interpretari jussit, magna sua laude, tum ob vocis suavitatem, tum ob formæ dignitatem: accedebat magna rerum Theologicarum peritia, quæ omnes in illius amorem & admirationem rapuit. Legerat enim magno studio & profectu scripta Patrum Orthodoxorum, Athanasii & Dionysii Alexandrinorum, Clementis & Eusebii Patriarcharum Romanorum, Basilii Episcopi Armeniæ, & Magni Basilii Episcopi Cappadociæ. Horum, inquit Severus, Orthodoxorum Patrum doctrinam sequebatur: Origenis verò libros ne attigerat quidem, sed nec ullum qui eos legisset, admittebat. Hæc sunt quæ ad commendandum Cyrillum, quo potissimum Magistro Jacobitæ gloriantur, præmittuntur apud Severum. Reliqua ad Theophili historiam spectantia adeo negligenter pertractantur, ut nihil fermè monumentorum veterum ad Christianos Arabicè scribentes pervenisse, vel eo solo manifestum sit. Nam postquam de Cyrillo, autor dicendi finem fecit, subjungit historiam vitæ Theophili multa alia complecti, quæ silentio prætereat; ea sunt quæ ipsi cum Theodosio Imperatore Alexandriæ contigerunt; miracula Raphaelis Angeli: historia mulieris viduæ, cujus duos filios Episcopos creavit: tria Θ quæ inscripta pavimento reperta sunt; pecunia sub eodem reperta, & mirabilia multa quæ Raphaele revelante & adjuvante, in Ecclesia à se ædificata facta sunt; tum quod ipsi concesserit Imperator pecunias omnes repertas in Idolorum templis ab Asûan usque in Syriam, hæc omnia autor designasse contentus non prosequitur; neque quo tempore obierit, aut annos Pontificatûs assignat.

Ut verò paucis quæ ſuperiùs expoſita ſunt attingamus, & ad veritatis hiſtoricæ ſimplicitatem revocemus, abſurdam eſſe totam ſomnii Theodoſio oblati fabulam certiſſimum eſt, cùm is jam in magna apud Imperatores dignitate foret, rebuſque adversùs Scythas, & alios Romani nominis hoſtes præclarè geſtis commendatus, antequam ad Imperii conſortium aſſumeretur. At quod ſpectat ad everſionem templi, notum eſt ex Socrate, Theodorito, Ruffino & aliis Autoribus, imò ex Ethnicis Eunapio & Ammiano everſum fuiſſe Theodoſii principatu famoſum illud templum Serapidis Alexandrinum: ablata ex eo donaria quæ in pios uſus impenſa Chriſtiani docent: Ethnici, tanquam prædæ avarorum Antiſtitum ceſſerint, conqueruntur. Videndus de illa everſione Baronius ad an. 389. ubi hæc fusè perſequitur. Theophili ipſius tanquam primas eo in negotio partes ſuſtinentis meminit Eunapius. *In Ædes.p.77.* Reliqua nullius autoritatis ſunt.

De illius inimicitiis adversùs Chryſoſtomum ne verbum quidem apud Severum extat. Eutychius illarum cauſam fuiſſe dicit, quod Monachi duo quos Theophilus Diaconos ordinaverat, & apud ſe tanquam diſcipulos & ſyncellos aliquandiu retinuerat, cùm licentiam redeundi ad ſolitariam ſuam vitam petiiſſent nec impetraſſent, fugerant: eos à Theophilo excommunicatos, à Chryſoſtomo literas impetraſſe, ad Theophilum commendatitias; quæ cùm fruſtra fuiſſent, Chryſoſtomus eos ad communionem admiſit. Eam fuiſſe contentionis cauſam, quam paucis Jacobitæ explicant, ne Theophili & Cyrilli famam in dubio relinquant. Itaque acta omnia illegitima contra virum ſanctiſſimum, Synodos latrocinales, exiliumque, quorum malorum præcipua cauſa Theophilus extitit, ſilentio involvunt.

De inimicis cum Chryſoſtomo nihil ſcribit Severus.

Hiſt. Patr. Alex. ſ. 267. & ſeq.

De Cyclo Paſchali, quem Autores Græci & Latini Theophilo attribuunt, nihil etiam apud Autores Orientales legitur: neque apud eos extat quidquam eorum quæ Theophilus ſcripſiſſe perhibetur, præter quaſdam Homilias valde interpolatas; aut fragmenta quæ leguntur inter teſtimonia Patrum veterum inter alia collectanea de Incarnatione, & ab Iſa filio Zaraa in Apologia Jacobiticæ ſententiæ, unum refertur ex Homilia de Nativitate.

Gennad. Vir. ill. c. 10.

Ejus tempori adſcribunt evigilationem ſeptem Dormientium, Eutychius, Elmacinus, Chronicon, & alii, de quorum hiſtoria ſuperiùs dictum eſt. *P. 531.*

Theophilus Patr. XXIII.

Sedit Theophilus an. 27. obiitque secundùm Makrizium 18ª mensis Paophi, anno, ut existimat Baronius, J. C. 412. Chronicon apud Abulbircat menses 2. & an. 28. habet : & annum obitûs 147. SS. Martyrum 18. Paophi, qui numerus, ut de aliis ejusmodi suprà diximus, stare nullatenus potest. Obiisse eum anno 412° communis sententia est.

Cyrillus Patr. XXIV.

CYRILLUS PATRIARCHA XXIV.

Cyrilli initia.

DE ejus apud Theophilum avunculum institutione, secessu per annos aliquot in Monasteria Nitriæ, indefessoque sacrarum literarum studio jam superiùs dictum est : in eo autem differunt Autores Græci ab Arabibus, quòd Cyrillum Theophili non ex sorore sed ex fratre nepotem fuisse existimant. Statim atque obiit diem suum Theophilus, triduo nempe elapso, ordinatus est ejus loco Cyrillus ; & Episcopi Evangelia attollentes super caput ejus, oraverunt super eum, ut Deus qui illum elegerat, ipsum confirmaret virtute necessaria ad regendam Ecclesiam, quam summâ prudentiâ statim administrare aggressus est. Cœpit autem secundùm eam qua pollebat sacrarum literarum peritiam, multos ad populum suum habere sermones, plenos spiritu qui in eo loquebatur, tanto Alexandrinorum applausu, ut primores urbis mitterent librarios, qui homilias ex illius ore exciperent, quæ postea in codices transferrentur.

Scripta contra Julianum.

Cùm essent Alexandriæ multi Philosophiæ studiosi, sciretque ab illis avidè legi quæ Julianus Apostata contra Christianam fidem scripserat, *deteriora*, inquit Severus, *illis quæ ab Origene aut à Porphyrio scripta fuerant :* scripsit ad Theodosium Imperatorem, qui ejus rogatu libros Juliani conquisitos cremari jussit, eosque Cyrillus confutavit. Eo loco notanda est stolida & imperita comparatio Origenis, qui adversùs Celsum Epicureum tam strenuè decertavit, cum Porphyrio hoste Christianorum infensissimo. Nempe cùm ignorent Orientales qui Græcè nesciERunt, quæcumque ad Origenis historiam pertinent, in communi illo errore sunt, quòd Origenes, cujus indefessus labor fuit in sacrarum literarum explicatione & illustratione, etsi fortasse humanitus erravit, non alio tamen consilio scripserit, quàm ut Judæorum more, omnes quæ de Christo erant prophetias exploderet, Religionemque Christianam everteret.

Statim Severus transit ad historiam Nestorii, de quo cùm ad Cyrillum fama perlata esset, scripsit ad eum Epistolam, cujus pauca verba ex initio Severus recitat in hunc modum : *Cyrillus Patriarcha Alexandrinus Nestorio Patriarchæ Constantinopolitano, salutem fraternam in Deo vero qui dedit nobis gratiam unam, totumque orbem concordem & unanimem effecit per effusionem sanguinis sui in una fide in filium Dei Jesum Christum.* Reliqua præterit tanquam notissima : attamen neque hanc primam Epistolam, neque alias quæ inter Acta Synodi Ephesinæ reperiuntur, jam facilè quisquam inveniet in Codicibus Arabicis, quia jam à Severi tempore multa interciderunt eorum quæ ad historiam illius temporis spectabant, quorum maxima pars in Arabicam linguam conversa non fuit.

Zelus adversus Nestorium.

Ad has literas nonnisi blasphemias reposuisse Nestorium Severus ait. Quapropter datis Cyrillus ad Episcopos literis, certiores eos fecit de rebus Nestorii. Illi ad eum convenientes dixerunt, se jam auditu accepisse quæ innovasset adversùs antiquam fidem : id verò esse eò majoris difficultatis & periculi, quòd Arius, Paulus Samosatenus, Manes, & alii hæretici, non fuerint Patriarchæ, magnam tamen hominum multitudinem in errorem induxerint ; ille verò in tanta dignitate constitutus, quid non posset. Iterum igitur ad eum Cyrillus scripsit, monens, & quantum minis atque adhortationibus fieri poterat, excitans eum ad retractationem eorum quæ impiè protulerat. Epistolæ initium tale erat. *Fratri & comministro. Non credidi verum esse quod de te dictum est antea ; neque Epistolam quæ ad me tuo nomine perlata est, à te scriptam esse existimavi, cùm in ea sententias falsissimas & blasphemiæ plenas sanctis attributas repererim. Moneo igitur ut à similibus blasphemiis, contentionibusque desistas ; neque enim vires tibi tales sunt, ut possis pugnare adversus Deum qui verè crucifixus est pro nobis, & mortuus est in corpore, vivitque per potentiam divinitatis suæ : ipse est qui sedet ad dexteram Patris, & eum adorant Angeli, Principatus & Potestates : ipseque est rex æternus, cui omnia dedit Pater in manus : ipse est creator omnium, adversus quem exurgere aut eum impugnare non vales. Neque opus est ut tibi in memoriam revocem quæ Judæis ejus hostibus acciderunt, cùm ea tibi satis perspecta sint, aut quæ hæreticis Simoni Mago, Juliano Imperatori & Ario. Ecce Job justus dicit : Videte plagam meam ; timete & laudate Deum.*

Ego autem denuntio tibi quòd Ecclesia passura non sit tuam adversus Deum suum impudentiam: atque illa ipsa Ecclesia est adversus quam portæ inferi prævalere non poterunt. Ipse quoque scis, quantas illa tentationes perpessa sit, ita tamen ut nullus prævaluerit adversus eam, quia fundata est supra petram fidei. Vide ergo quæ facturus sis, & vale. Talis est Epistola quæ extat in Codicibus Arabicis earum loco quæ Græcè & Latinè leguntur in antiquis Codicibus Actorum Ephesinorum. Ad secundam illam respondit Nestorius arroganter, & similes prioribus blasphemias literis suis complexus est. Illas cùm Cyrillus accepisset, rescripsit acriter, in hæc verba: *Nisi esses Episcopus, nemo præter familiares & propinquos tuos te novisset. Jam verò quia sedes super thronum filii Dei, unusquisque te novit, ob Ecclesiæ cui præes dignitatem. Nunc verò Dominum aggrederis per verba blasphemiæ, quæ neque explicare, nec comprobare poteris. Cùm verò scripturas utriusque Testamenti veteris & novi scrutatus fueris, non invenies in illis Christum purum hominem appellari, sicut existimas. Tu porro videris existimare posse te resistere Deo creatori tuo, qui redemit te sanguine suo, qui est Deus filius Dei Patris, ut appellatur in veteri novoque Testamento, & qui in Joannis Evangelio unigenitus filius vocatur, qui est in sinu Patris. Matthæus quoque Evangelista, dicit eum esse Emmanuelen cujus interpretatio est,* Nobiscum Deus, *sicut in Prophetia sua Isaias dixerat.* Subjunguntur diversa alia scripturæ testimonia ad probandam Christi divinitatem. Has literas cùm legisset Nestorius, neque eos qui eas detulerant admisit ad se, quamvis secundùm Cyrilli mandata per mensem integrum expectaverint donec admitterentur; sed neque ad eas respondit; verùm tanquam alter Pharao obduravit cor suum.

Erat Nestorius antiqua familiaritate cum Imperatore Theodosio conjunctus, eò quòd simul olim literis operam dederant: atque ea occasione exprobravit illi Imperator, quòd ea assereret, quæ nulli antiquorum Ecclesiæ doctorum in mentem venerant. Cyrillus, cùm illi quos ad Nestorium miserat reversi essent, absque responso, neque ad illum admissi, scripsit ad omnes Episcopos, qui pariter ad Imperatorem scripserunt, postulantes, ut congregaretur Concilium in quo Nestorii causa tractaretur: hortando simul ut prædecessorum suorum exemplo, daret operam, ne fides Orthodoxa quidquam detrimenti caperet, hominis illius occa-

ſione qui non deteriùs errare videbatur quàm Idololatræ; cùm aſſereret Chriſtum eſſe purum hominem, prophetamque & nihil ampliùs: veniſſe jam multos prophetas in mundum; neque ullum adoratum fuiſſe: qui verò homini adorationem impenderet, verè eſſe idololatram. Indicta eſt ab Imperatore Synodus in urbe Epheſo, ad quam Epiſcopi ducenti convenerunt, unuſquiſque cum Preſbytero & Diacono ſuæ Eccleſiæ.

Synodus Epheſina.

Cùm igitur conveniſſent, Neſtorius per plures dies expectatus adeſſe noluit; & cùm de ea dilatione queſti per literas eſſent apud Imperatorem Epiſcopi, Neſtorius ſignificans, timere ſe eorum multitudinem, vitæque periculum, obtinuit ut Patricius quidam Candidianus, illius opinione imbutus, præſidii causâ cum eo mitteretur. Is ad Synodum profectus, Cyrillum, & qui ei adhærebant, comprehenſos concluſit in quemdam locum qui apotheca farinæ erat: unde omen accipiens Cyrillus, ſuos in bona ſpe patienter hanc calamitatem ferre juſſit, quaſi de victoria adverſus hoſtem fidei ſecuros, qui in domum vitæ, cibariis nempe ad vitam ſuſtentandam neceſſariis refertam, detruſi eſſent. Interea Candidianus videns eos firmiter in propoſito ſuo perſiſtentes, morique paratos prius quàm à fide propugnanda deſiſterent, eos quidem libertati reſtituit, ſed veritus ne ſi res ad Imperatorem referretur, temeritatis ſuæ pœnas daret, cuſtodes in viis ſtatuit, qui omnes literas interciperent. Ita Cyrillus, Epheſinus Epiſcopus & alii, plures dies congregati permanſerunt, orationibus intenti; ſeorſim agente Neſtorio, nec ad illos accedente, etſi tres Epiſcopos ad eum miſiſſent, qui invitarent illum, ut cum illis ad orationem veniret. At militare præſidium, quod ad fores domus illius Candidianus collocaverat, eos ingreſſu prohibuit. Cùm verò mora longior moleſta eſſet omnibus, quos à propriis Eccleſiis tandiu abeſſe magnopere tædebat, coacti ſunt tandem hoſtem Eccleſiæ ab ea pellere. In medio igitur conſeſſu allata ſunt Evangelia, tum producta ſunt Neſtorii ſcripta blaſphemiis plena, quæ Diaconus nomine Petrus, vir doctus qui Cyrillo erat ab Epiſtolis, cùm locos impietatis ſuſpectos probè noſſet, coram Synodo proponebat. His intellectis, agnoverunt omnes impietatem Neſtorii, atque ita illi anathema dixerunt, eumque depoſuerunt, & inſtrumento anathematis, ſententiæque in eum prolatæ ſubſcripſerunt. Ejus deinde exemplar ad Neſtorium miſerunt, qui nec illud ſuſcepit, nec à ſua ſententia impietateque receſſit. Supererat

ut illius anathematis exemplum ad Imperatorem mitteretur; quod fieri non potuit ob custodias quas Candidianus collocaverat. Itaque literas suas cavæ arundini inseruerunt, & in vestimentis latoris occuluerunt, qui ita Constantinopolin pervenit, & eas Imperatori tradidit. Illæ scriptæ erant in hunc sensum. *Synodus Ephesi congregata hæc dicit: Scimus Emmanuelem esse Deum hominem factum, & quia Nestorius non communem in eo nobiscum habet fidem: ipse alienus est à Patre & Filio & Spiritu sancto: alienus etiam ab hereditate Apostolorum, alienus ab una & sancta Ecclesia. Quicunque dixerit Jesum Emmanuelem, non esse Deum hominem factum, anathema sit; & quicunque non dicit, virginem Mariam peperisse Deum Verbum incarnatum, verè anathema sit. Christus creator, Christus victor, Christus salvator omnium, cui sit gloria in æternum. Amen.* Hæc cùm lecta essent ab uno ex Comitibus quem Victorem nominant, cujus tamen inter Acta legitima nomen non occurrit, hortatus est Imperatorem ut Episcopos Constantinopolin evocaret, & ei fausta adprecarentur. Venerunt igitur, magnoque cum honore suscepti sunt. Nestorius exilio damnatus, Echmimam urbem Ægypti quam Panos esse verisimile est, deportatus, ibi ad finem usque vitæ in hæresi sua obstinatissimus funestum vitæ finem sortitus est. Atque ea sunt, paucis admodum prætermissis quæ de Concilio Ephesino & tota illius historia habent Christiani Arabes in suis libris, præsertim Alexandrini, apud quos certior gestorum memoria esse debebat. Etsi verò in præcipuis capitibus conveniat hæc narratio cum Græcis & Latinis Autoribus, eam tamen imperfectissimam esse satis quisque intelligit, præsertim cùm neque de Joanne Antiocheno, & concertatione cum Orientalibus quidquam contineat. Eam porro aliunde supplere, inutile prorsus nobis visum est, in re notissima, & quæ propriè ad Orientales Ecclesias non pertinet, nisi ad Nestorianos qui tunc ab Ecclesia recesserunt, & Nestorio adhæserunt. Verùm quæ sit apud illos traditio de rebus Concilii Ephesini, in qua omnia per vim & fraudem gesta calumniantur, dicetur in dissertatione de Nestorianis, ubi ex Mari Salomonis filio & Amro Mathæi, retulimus quas in eorum libris legimus de Ephesino Concilio ineptissimas narrationes. Qui alios consulere cupiet, legere poterit Eutychium, qui fusiùs hæc accuratiùsque prosequitur, & paucis attingit dissidia quæ inter Joannem Anthiochenum

Eutych. An. t. 2.

tiochenum suosque Orientales, & Cyrillum, intercesserunt. Ita quoque, sed brevius, Elmacinus ex Eutychio; quibus adjungendæ præfationes Arabicæ Canonum, tam ea quæ extat in Codice Melchitarum, quem versione sua Beveregius expressit, quàm aliæ quæ passim reperiuntur in Codd. MSS. His addendus Ebnassalus, qui de eo quoque Concilio agit in *Principiis fidei*, Severus in opere singulari de Synodis, & alii, quorum nemo tamen eam historiam nisi leviter admodum tetigit, tantùm abest, ut ab illis quidquam haberi queat unde ea quæ in Græcis Latinisve obscura sunt, lucem aliquam possint accipere. Neque tamen in longo illo Cyrilli Episcopatu reliquarum rerum ab eo præclarè gestarum ullam attingunt.

Cyrilli scripta.

Hæc autem opera ejus recensent: Epistolam ad Joannem Antiochenum, quæ incipit *Lætentur cæli & exultet terra:* aliam ad Cyrum Melitenum, seu Malatiensem Episcopum: aliam ad Valerianum Episcopum Iconiensem; item ad Sacerdotes, Diaconos, Monachos, post depositionem Nestorii: ad Eulogium Alexandrinum: item ad Anastasium, Alexandrum, Martinianum, Joannem, Paregorium Sacerdotem, & Maximum Diaconum, ad defensionem fidei Orthodoxæ, refutationemque errorum Nestorii, præter eas quas ad Nestorium ante ejus exilium literas scripserat. Plura non memorat Severus, etsi ex aliis Cyrilli operibus non pauca occurrant testimonia in Tractatibus polemicis Jacobitarum, & in Codicibus MSS. Homiliæ variæ: sed integra ejus opera etsi olim apud eos extitisse non dubitamus, jam tamen non reperiuntur, nisi fragmenta pauca, quæ etiam, quantùm judicare potuimus, non ex integris libris Arabicè conversis excerpta sunt, sed vel ex Severi Antiocheni qui multa scripserat, vel ex aliorum Monophysitarum Collectaneis Græcis, quæ antiquitùs in Syriacam & deinde in Arabicam linguam translata sunt. Habent præterea Coptitæ Liturgiam quæ ordine apud eos tertia est, atque Cyrilli nomine prænotatur, ut etiam altera Syriaca reperitur, sed apud solos Jacobitas.

De reliquis rebus ad Cyrilli historiam pertinentibus, præsertim contra Joannis Chrysostomi memoriam, ne litera quidem occurrit: neque enim qui sanctissimum illum Ecclesiæ doctorem eo quem apud omnes Ecclesias obtinet honore prosequuntur, suspicati sunt ullam ipsum à Cyrillo injuriam passum esse, adeo obscura est apud Orientales rerum antiquarum historia.

P

Nestorianos nihil moramur, quos ob zelum Catholicæ fidei in expugnando Nestorio, non æquos fuisse erga Cyrillum, mirari nemo debet. Habuerunt enim antiquitùs Irenæi historiam seu Tragædiam, cujus meminit Hebedjesu, tum alios multos qui probris omnibus eum onerant: imò & in Officio quotidiano seu Horologio Nestorianorum, laudatur Nestorius, *quod bellum gesserit cum Cyrillo maledicto, ejusque contumaciam fregerit.* Verùm hæc omnia cùm ad istius sectæ historiam pertineant, in singulari Dissertatione à nobis aliquando exponentur.

Horolog. Nest. Syr. Ms.

Sedit Cyrillus an. 32. atque adeo cùm ordinatus fuerit an. 412. obitus ejus incidit in an. 444. De numero annorum consentit Elmacinus, ut Abulbircat in Canone Chronologico suo: Chronicon dies adjicit 155. Eutychius annos 33. nempe inchoatum pro integro numerans. Obitûs dies 3. mensis Abib seu Epiphi, quo die memoria ejus assignatur in Kalendario Coptico.

Elmacinus & ex eo Makrizius aiunt eum primum imagines in Ecclesia collocasse, quod neque cum ista historia, neque cum aliis consentit; antiquior enim est Imaginum mentio, ut in vita Petri Martyris, & in vita Athanasii imaginum Christi, & B. Mercurii martyris: neque varii Tractatus Syriaci vel Arabici hanc traditionem confirmant.

Ejus ætate Elmacinus floruisse scribit S. Isaac Syrum, scriptis & sanctitate nobilissimum, discipulum S. Ephræm. Is Antiochiæ vitam egit, cùm Edessâ oriundus esset: scripsit Orationes & Tractatus multos Homiliasque de præcipuis festivitatibus, quæ passim extant in variis Codd. Eodem quoque tempore floruisse aiunt Symeonem Stylitem, cujus extant variæ apud Arabes Christianos historiæ ex Græcis corruptissimis translatæ, novisque fabulis cumulatæ.

DIOSCORUS Patr. XXV.

DIOSCORUS PATRIARCHA XXV.

Ab eo divisio Ecclesiæ in Melchitas & Jacobitas.

JAM ad eam hujus historiæ partem pervenimus, in qua sicut Ecclesiarum divisio initium habuit, ita quoque rerum gestarum narrationes diversissimæ inter Catholicos & Hæreticos esse cœperunt. A Dioscoro quem injustè damnatum Jacobitæ ejus discipuli existimant, successionem Patriarcharum suorum ducunt: alios omnes tanquam intrusos & hæreticos rejiciunt, nec habent pro legitimis Episcopis. Pari ratione Melchitæ seu Orthodoxi, qualis

erat Eutychius, Dioſcori ſucceſſores damnant, nec in Epiſcoporum numero habent. Inde ingens perturbatio ex ſucceſſionis iſtius diverſitate, quam explicare conabimur, quoad fieri poterit : ita tamen ut cùm non tam Eccleſiæ Alexandrinæ quàm ſectæ Jacobiticæ res proſequamur, de hæreticis illis Patriarchis, quorum huc uſque memoria obſcuriſſima fuit, plura omnino quàm de aliis dicamus.

Quæ de eo Severus.

De Dioſcoro hæc habet Severus. Poſt obitum Cyrilli conſtitutus eſt ejus loco Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus. Is multa & aſpera ſuſtinuit certando pro fidei defenſione, à Marciano Imperatore & ab ejus uxore, qui eum ſede ſua expulerunt, ita ſuadente Concilio Calchedonenſi, illis qui ad illud convenerant ad Imperatoris ejuſque uxoris placita, conſentientibus. Eam ob cauſam tam ipſi, quàm qui perverſam eorum fidem ſecuti ſunt, *Melchitæ* ſunt appellati, eò quòd Imperatoris opinionem ſecuti, ei conſenſerunt circa publicam profeſſionem & renovationem hæreſis Neſtorii. Poſtea queſtus, quòd cùm olim Scriptores multi fuerint qui res Judaicas jam ab initio ſcripſerint, quos Eccleſiaſtici Autores complures exceperunt ; & inter eos aliqui res geſtas Cyrilli, & ejus pro fide certamina adverſus Neſtorium : tamen ab eo tempore nemo occurrat qui de Dioſcoro & iis quæ à Concilio Calchedonenſi paſſus eſt, quidquam in literas miſerit, adeo ut jam diviſis Eccleſiis nullæ illorum temporum memoriæ ſuperfuerint. Itaque excuſat ſe quòd de Dioſcoro nihil ipſi amplius dicendum occurrat, niſi eum poſtquam Gangras in exilium deportatus eſt, fidem Orthodoxam, hoc eſt unius naturæ, ad mortem uſque conſtantiſſimè retinuiſſe, & ibidem obiiſſe. Cùm Severus ingenuè faſſus fuerit, non extare in Jacobitarum manibus hiſtorias rerum ſub Dioſcoro geſtarum, mirum eſt poſteriores ex ea ſecta ſcriptores habuiſſe tamen unde longam illarum ſeriem contexerent, qualem Severus ipſe in ſingulari Diſſertatione adverſus Eutychium, Ebnaſſalus in Collectione Principiorum fidei, Elmacinus & ex illis Makrizius Muhamedanus, quorum narrationem compendio referemus.

De Eutyche quid ſentiant Jacobitæ.

At quoniam Eutychis Archimandritæ occaſione qui novam hæreſin commentus eſt, Eccleſiæ ſciſſæ ſunt, ſcire primùm oportet, Jacobitas non modò illius dogmata non probare, verùm illum haberi apud eos tanquam hæreticum, cui anathema dixerint. Si quidem exiſtimant illius propriam opinionem fuiſſe quòd Chriſtus de cœlo corpus habuerit, ſubtile, impaſſibile, noſtriſque

Ebnass. Princip. Fidei. Vansleb. Hist. Eccl. Alex. p. 313.

omnino dissimile; atque Incarnationis mysterium ita perfectum fuisse, ut Dei filius per Mariæ Virginis uterum, tanquam per canalem transiverit, nec ab ea quidquam acceperit: adeo ut Eutyches in Apollinarii errores, paucis immutatis incidisse secundùm illos censeatur. Dioscorum, cùm novitate istarum opinionum perculsus esset, coegisse Synodum Ephesi, quam Ephesinam secundam vocant, in qua Eutyches hæresin suam ejuraverit, & fidei orthodoxæ professionem ediderit, etsi de ejus sinceritate non multùm laborent Jacobitæ. Cùm verò Eusebius Dorylæi Episcopus & Flavianus Constantinopolitanus, eum condemnassent, & fidem quam tenebant exponentes, duas in Christo naturas, unamque personam esse dixissent, Dioscorus existimans illa confessione Nestorianam hæresin renovari, eos excommunicavit. Ut hæc causa tractaretur, convocata est à Marciano Imperatore Calchedonem Synodus Episcoporum sexcentorum & triginta, ad quam convenerunt Patriarchæ, Anatolius Constantinopolitanus, Domnus Antiochenus, Juvenalis Hierosolymitanus, & Legati Leonis Romani, qui Epistolam ejus sive *Tomum* detulerunt. In eo cùm duas naturas, unamque personam Leo exponeret, Dioscorus eam sententiam quam reliqui, sex exceptis, sanam judicabant, approbare noluit, quasi pugnantem cum doctrina Cyrilli prædecessoris sui & Concilii Ephesini, *unam Dei Verbi naturam incarnatam* profitentium. Communi igitur omnium sententia statutum est deponendum & excommunicandum esse Dioscorum: sed priùs Marciano visum est, ut si fieri posset, induceretur ad subscribendum Tomo Leonis, & Synodi definitioni, quæ eumdem probaverat. Accersitum illum Imperator coram Patriciis & Episcopis hortatus est, ut ad aliorum sententiam accederet, nec pertinaciâ suâ occasionem daret Ecclesiarum divisioni. Tum Dioscorus fausta primùm Imperatori adprecatus liberè monuit, ne in rebus ejusmodi subtilibus, & quæ captum illius superarent, judicium suum interponeret: curaret publica negotia, Ecclesiastica verò Episcopos tractare sineret, & de recta fide consultare, cùm ipsi sacras literas nossent: nullam igitur aliam curam haberet, nisi ut quæ ab illis circa fidem constituta forent, accuratè sequeretur. His verbis offensa Pulcheria dixit, fuisse olim virum cerebrosum Joannem, Dioscoro similem, qui excommunicatus, & sede sua pulsus fuisset: at illum respondisse, matrem ipsam Pulcheriæ, quæ exilii causa illi fuerat, magnis divinitùs malis afflictam, non priùs sani-

Dioscorus Patr. XXV.

tatem obtinuisse, quàm ad Joannis sepulcrum orasset, & ab eo veniam postulasset. Ea responsione scribunt incensam Pulcheriam colaphum ipsi impegisse, quo duos illi dentes excusserit, barbam ejus apprehendisse, & evellisse. Statim Imperatorem jussisse ut sententia anathematis in eum proferretur, & Gangras in exilium deportaretur. Addunt Historici aliquot, & Theologus Isa F. Zaraa, eum cùm in Concilio frequenti adesset, noluisse legi *Tomum* Leonis; cùmque exilium ipsi, post anathematis sententiam, Imperator minaretur, nisi subscriberet eidem Tomo, illum in manus quidem accepisse, verùm subscriptionis loco confessionem suæ fidei, & anathema adversus eos qui aliter crederent, scripsisse. Hæc fermè Elmacinus & ex eo Makrizius. De Concilio Calchedonensi cùm notissima historia sit, nihil dicemus, nisi quòd ficta illa narratio quæ paucis verbis exposita est, adeo Jacobitarum omnium occupavit animos, ut non alia huc usque inter eos de illo opinio sit, quanquam ex ipsis temporum locorumque circumstantiis multa falsa in ea observari facilè possint. Eutychius satis accuratè eam historiam explicavit secundùm Orthodoxorum traditionem; quam secutus, Dioscorum accusat quòd Eutychis hæresin comprobaverit, etsi id constanter negatum fuerit, ab antiquis recentioribusque Jacobitis, qui ipsi ut Apollinario anathema dicunt. Unde (contra quod Thomas à Jesu & Autor historiæ Alexii Menesii, & multi alii scribentes, aliis suaserunt licèt falsissimum) Eutychis memoriam nullam agunt in sacris Officiis, sed potius eum numerant in hæreticorum catalogo, Ebnassalus, Abulbircat, Severus, Autores diversorum Tractatuum de hæresibus & alii.

Ebn. Zaraa in opere adversus Melchitas. Severus. Abulb. rcat 1. p. titulo de causa divisionis Ecclesiarum. Ebnassalus &c.

T. 2. 88. & seq.

Gouvea hist. l. 1. c. 6. f. 17. c. 4. Ed. Lusitan.

Æthiopum de Concilio Calchedonensi traditio, cùm ab Ægyptiis Jacobitis accepta sit, eadem omnino est, nec in ea recensenda aut refellenda laborandum. Quæ de dentibus fractis & barba vulsa Dioscoro habent Synaxaria illa Poetica Ludolfo laudata, ex narratione quam paucis complexi sumus, desumta sunt: & ab Autoribus Historiæ Patriarchalis eo quo tales quisquiliæ merebantur, pretio æstimata. Quod porro circa Concilium Calchedonense, & Jacobitarum opinionem in Historia sua Æthiopica & Commentario multa scripsit Ludolfus, ut illos quoad ejus fieri poterat excusaret, non attigerunt. Rectè quidem eos Eutychianos non esse probavit, qui Eutychio anathema denuntient, dum scilicet Apollinarii hæresi eum laborasse pro certo habent. Neque minus rectè

Æthiopum de Concilio Calchedonensi traditio.

Ludolf. Hist. Æth. l. 3. c. 8. Comm. p. 451. §. 278.

quædam testimonia ex eorum Liturgia & Organo protulit, ex quibus eos commistionem, confusionem & alterationem rejecisse manifestum est. Id quippe probant Coptitarum & Jacobitarum libri complures, exponuntque fusè Theologi, quorum ne unum quidem vidit Ludolfus præter Abulfaragium & Eutychium, nec utriusque Theologicos libros, sed historiam tantùm consuluit. Torquet tamen se ut sententiam Jacobiticam ab omni erroris suspicione purget, non sine Concilii Calchedonensis injuria, etsi sancta apud Protestantes illius autoritas semper fuerit. Eo fine *Concilium Ephesinum*, vocat Latrocinium illud, quod Dioscorus congregavit, & pari quodammodo loco haberi vult, cujus Acta interiisse dolet, quamvis maxima eorum pars Calchedonensibus inserta reperiatur. Porro si constat illius pseudo-synodi autoritas, Calchedonensis quæ huc usque legitima ab omnibus habita est, fides non vacillat modò, sed plane corrupta Nestorianismo fuit, quæ vulgaris & vetusta Monophysitarum nænia est. Hæretici itaque fuere Leo Romanus & sexcenti triginta totius orbis Episcopi, qui duas in Christo naturas professi sunt, quamvis præter eosdem hæreticos unius naturæ defensores, nemo non agnoverit Orthodoxam ab illis doctrinam fuisse stabilitam. At eamdem Jacobitæ & ipsi Æthiopes, tanquam Nestorianæ affinem damnant, & anathemata in Leonem Calchedonensesque conjiciunt: rectè, si Ludolfus audiendus est de eorum ὀρθοδοξίᾳ & pseudo-synodo Ephesina: nam illi soli legitimam eam esse agnoscunt. Appellet igitur Ludolfus eorum exemplo Calchedonensem Synodum, *Conventum Apostatarum & fatuorum*, Leonem Nestorianum, Martianum & Pulcheriam Nestorianismi restauratores, habebimus perfectum Jacobitam, sed Confessionis Augustanæ proditorem. Tanti non erat lavare Æthiopes suos, ut Ecclesiæ universæ Nestorianismi labes inureretur. Quod si ut videri vult, Theologos Jacobitas consuluisset, agnovisset procul dubio eos, quamvis Eutychiani propriè loquendo dici non possint, in eodem tamen ac veteres Monophysitas luto jacere, nec excusari ab eo posse, qui Calchedonensem fidem non rejiciat. Verùm hæc alterius operæ sunt; & si quando Dissertatio singularis nostra de Jacobitarum fide prodibit in publicum, demonstrabitur non ex Autoribus aliud agentibus, aut ex misero aliquo carmine Æthiopico, sed ex celeberrimis in Secta Jacobitica Theologis, propugnare illos eam hæresin, quam non modò Calchedonense Concilium, sed Græci posteriores Damas-

Tom 4. Conc. p. 566.

cenus, Anastasius Sinaita, Leontius, tot alii tandem cum tota Ecclesia damnaverunt.

In eo consentiunt Autores omnes quòd ab hujus Concilii tempore originem habuit divisio Ecclesiarum in Melchitas & Jacobitas. *Melek*, licèt variè pronuntiatum, ut Hebraicè, ita Syriacè & Arabicè, *Regem*, & *Imperatorem* significat: inde *Melki regium* sive *Imperatorium*, quo scommate hæretici Orthodoxos infamare conati sunt, quasi non ex amore veritatis, & antiquæ fidei conservandæ studio, sed ex sola adulandi libidine in novam Leonis Romani sententiam cui favebat Martianus, & quam Nestorianorum erroribus redintegrandis opportunam judicabat, in Dioscori damnationem consenserint. Notatur hujus denominationis origo à Nicephoro, & antiquis aliis Græcis Autoribus: neque illius Orthodoxos puduit; imò eam ita amplexi sunt, ut quod sæpe observatur apud Eutychium in historia rerum quæ multis annis Calchedonense Concilium antecesserunt, Melchitarum appellatione Orthodoxos significet; quod & alii Autores fecerunt. De Jacobitarum nomine quo à multis sæculis designantur omnes Monophysitæ, quamvis in diversas sectas olim divisi, quarum decem præcipuas Anastasius Antiochenus commemorat, ipsis Jacobitis non inter se convenit. Plerisque ut Græcis quoque persuasissimum est, placet derivatum esse à Jacobo qui magnam in propaganda illa secta navavit operam; quæ sane origo verisimillima judicatur. Non defuerunt tamen qui mallent à Jacobo Apostolo ἀδελφοθέῳ sumtum videri, ut Patriarcha quidam Jacobita apud Muhamedanos judices dixit, si Nestoriano historico credimus: alii alias origines produnt, quas recenset accuratè Makrizius, mirâ sane in homine Muhamedano diligentia. Ita quoque professus est Chail in lite contra Melchitas, ut in ejus vita dicetur.

Melchitarum appellatio quando cœperit.

Niceph. l. 18. c. 52.

De Christi Dispensatione. *Sirmond. Not. ad Facund.*

Amron in Historia Ms. Ar.

Dioscorus simul conjunctis annis ab ejus electione usque ad ejus obitum Alexandrinam sedem Jacobitis tenuisse dicitur annos quatuordecim, quibus dies 69. seu menses duos & dies aliquot adjicit Autor Chronici Orientalis; 14. tantùm Makrizius & Elmacinus: 16. ut Autor Canonis apud Abulbircat: dies obitus 4. Toth seu 1ª Septembris ex Makrizio, 6ª seu 9ª ejusdem mensis ex Abulbircat. Ita secundùm Jacobitas obitus ejus incidit in an. circiter 458. J. C. Quia verò non priùs vacasse Sedem Alexandrinam censuerunt, quàm ille obiisset, nec Proterium pro legitimo Patriarcha agnoverunt Jacobitæ, idcirco annos Episcopatus ejus

non numerant, sed statim Dioscoro successisse scribunt Timotheum.

Dioscori scripta nulla extant apud Jacobitas, neque Paschales Epistolæ, neque quidquam aliud ejus nomine insignitum, præter Æthiopicam Liturgiam quam ex Codice Pocockiano ante annos aliquot Æthiopicè & Latinè Wanslebius edidit. Syriacam sed plane diversam reperimus in antiquis Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ : utraque Autoris cui tribuitur ætate, multò est recentior.

Memoria ejus inter sanctos Episcopos Ecclesiæ doctores agitur apud Jacobitas in omnibus fermè Liturgiis, præsertim verò in tribus Coptitarum, & aliis Syrorum Jacobitarum. Festum ejus assignatur 6ª die mensis Toth, à quo Ægyptii deducunt anni sui initium : in Calendario festorum apud Abulbircat.

Eo tempore quo sedit Dioscorus, narrat Autor historiæ Chailis Patr. 46ⁱ, vixisse Monachum quemdam Abu Hermanum, qui in Palestina Monasterium ædificavit, cui fratres suos Maximum & Diomedem præfecit, ubi erant Monachi mille. Is cùm ad eum perlatus esset Leonis Tomus, ad sepulcra Patrum profectus, eos quasi viventes terribiliter adjuravit, edicerent num acceptare deberet Leonis fidem, an Nicænam retinere. Aiunt erupisse ex sepulcris vocem in hæc verba : *Maledictus Leo impius, animarum secundùm nominis sui rationem prædator, cum impuro Tomo suo : maledictus Marcianus, cum Pulcheria improba, & Calchedonensi Concilio* DCXXX. *Episcoporum hæreticorum : & quicumque eos suscipit, aut qui in Christo filio Dei duas post unionem naturas agnoscit.* Hunc martyrio pro fide Jacobitica periisse cæsa cervice scribit Autor idem.

Timotheus Patr. XXVI.

TIMOTHEUS PATRIARCHA XXVI.

Orthodoxorum Patriarcharum Jacobitæ non meminerunt.

OMITTITUR à Severo & ab omnibus Jacobitis Proterius ordinatus post electionem ejus factam in Concilio Calchedonensi, loco Dioscori depositi & relegati. Ut verò de Dioscoro nihil fermè habent in suis historiis, ita neque de Timotheo & ejus successoribus Monophysitis. Severus hæc tantùm scribit. Defuncto patre insignique athleta Dioscoro Patriarcha, constituit Christus Dominus Patriarcham ejus loco nomine Timotheum in Sede Alexandrina. Hic mala multa perpessus est, graviter cum perse-

Liberat. Brev. c. 15.

quentibus

quentibus hæreticis : & cum fratre ſuo Anatolio, Gangras deportatus eſt, ubi per ſeptennium in exilio vixit. Deinde per gratiam Dei & mandatum Imperatoris, revocatus eſt Alexandriam. Ordinatio ejus facta eſt ſub Leone Imperatore. Patriarchalem dignitatem obtinuit annis 22. obiitque 7ª menſis Meſori, hoc eſt 31ª Julii.

Elmacini teſtimonium.

Elmacinus, licèt in eadem Jacobitica Secta vixerit, accuratiùs ejus vitam proſequitur, nec diſſimulat ſcelera ſuorum hominum. Ita igitur ille. Cùm de morte Marciani Imperatoris, fama ad Alexandrinos perlata fuiſſet, concurſu facto irruerunt in Proterium Patriarcham, qui Dioſcoro ſubrogatus fuerat; eumque occiderunt, cùm annis ſex cathedram Alexandrinam tenuiſſet. Tum Alexandrinum Patriarcham conſtituerunt Timotheum, qui erat Jacobita, & per triennium ſedem obtinuit. Verùm cùm Præfectus quidam Conſtantinopoli miſſus Alexandriam adveniſſet, Timotheus in exilium pulſus eſt, ordinatuſque in ejus locum *Surus:* ita ipſe & Eutychius vocant Timotheum Solofaciolum, qui Proterio ab Orthodoxis ſuffectus eſt. Quapropter dubitare non poſſumus quin error irrepſerit ex Scriptorum indiligentia in Codices Eutychii, ubi Jacobita fuiſſe dicitur, id enim perſpicuè falſum eſt. Sedit *Surus* ille, ſeu Solofaciolus, annis ſeptem; continetque Hiſtoria Patriarcharum, nempe illa Severi quam ſequimur, rediiſſe Timotheum, alterum ſcilicet Jacobitam Æluri cognomine ab aliis deſignatum, ex quo male punctato fecit Pocockius portentum iſtud *Janurius :* eumque Patriarchatum obtinuiſſe per annos 22. mortuumque eſſe 9ª Meſori, cùm tamen Codex Regius habeat 7ᵃᵐ menſis ejuſdem : ordinatum fuiſſe anno Leonis Imperatoris 2°, multa à Melchitis paſſum : atque ſede ſua pulſum, tandemque poſt annos novem, Imperatoris juſſu eidem fuiſſe reſtitutum. Eadem ferme habet Makrizius, qui tamen addit Proterii corpus, poſtquam tumultu ab Alexandrinis excitato occiſus fuiſſet, deportatum in Hippodromo, & igni traditum. Plura in libris Jacobitarum non reperiuntur, quorum majores, tot ſcelera in legitimos Antiſtites commiſſa quæ excuſari non poterant, ſilentio tegere maluerunt : ut nulla quodammodo rerum in tanta Eccleſiæ calamitate geſtarum memoria ſupereſſet. Accedit etiam quòd uſque ad Muhamedana tempora Hæretici quamvis ſæpe Alexandrinam Eccleſiam invaſerint, nunquam tamen ita integrè eam obtinuerunt, ut Orthodoxi tam Eccleſiaſtici quàm Laici ab ea penitus abeſſent. Verùm

T. 2. p. 103.

per multa & longa intervalla temporum, præſertimque totum illud quod à Juſtini Juſtinianique Imperio effluxit, uſque ad captam Ægyptum, non modò Cathedram Alexandriæ non habuerunt Jacobitæ, ſed nec Eccleſias in quibus ſua ſibi ſacra facerent, habere per Leges Imperatorias illis licuit. Unde coacti ſunt recipere ſe in Thebaidis Monaſteria, ubi ad ſancti Macarii ſedem fixerunt eorum Patriarchæ, uſque ad Benjamini tempora, qui anno demum J. C. 640. ex illis latebris emerſit, & æqualem cum Orthodoxo Patriarcha libertatem dignitatemque obtinuit, quam adhuc ſucceſſores ejus retinent. Cùm igitur rerum omnium quæ Alexandriæ gererentur, ignari eſſent exules illi Patriarchæ, & per longa illa exilia Græcæ linguæ uſus apud eos obſolevisſet, ubi integram à Romanis legibus ſecuritatem nacti ſunt, nihil ferme habuere unde præteritorum temporum hiſtoriam diſcerent. Neque enim quantùm nobis percipere ex multorum librorum inſpectione licuit, quidquam eorum quæ ad Hiſtoriam aut ad Theologiam ſpectant, ſi ſacras Literas, & Officia Eccleſiaſtica excipimus, Ægyptiacè ſcriptum fuit, cùm omnes ferme Græcam linguam familiariſſimam haberent. Unde, quod ex Severo ſatis intelligitur, qui Monaſteriorum Thebaidis Scrinia & Bibliothecas luſtraverat, omnium illorum Patriarcharum à Dioſcoro uſque ad Benjaminum, ſola nomina ſervaverunt, de rebus eorum tempore tranſactis, nihil plane ſciverunt. Quia igitur quæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam attinent, ſatis à noſtris Autoribus explicata ſunt obſcura illa tempora, leviter admodum attingenda exiſtimavimus, ut ad alia feſtinemus.

PETRUS Patr. XXVII.

PETRUS PATRIARCHA XXVII.

Petri initia. TIMOTHEO Patriarchæ qui Ælurus dictus eſt, Jacobitæ ſucceſſorem dederunt Petrum, Moggum cognomine, ejuſdem hæreſis acerrimum defenſorem, de quo pluſcula quædam quàm de aliis Severus ſcribit in hunc modum. Mortuo Timotheo ordinatus eſt in ejus locum Petrus Sacerdos Eccleſiæ Alexandrinæ. Erat tunc Eccleſia Græca, & Romana, (nam vox *Roum* idem hoc loco ſignificat) firmiter conſtans in continua commemoratione Concilii Calchedonenſis : unde mirum in modum agitata & concuſſa eſt, quia non erat fundata ſupra firmam petram, ſcilicet Verbum Dei Jeſum Chriſtum. De qua re ſcripſit poſtea Acacius Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Petrum Ale-

xandrinum, per literas & internuntios petens ut eum ad communionem susciperet, quia Concilium Calchedonense contemtui habebat, eosque qui in eo convenerant hæreticos appellabat: Tomum etiam Leonis plenum blasphemiâ, & Nestorii hæresin damnabat. Petrus ad eum scripsit, ut certò sciret an verè, ut Acacius scribebat, sentiret. Is literas Petri cùm accepisset, valde lætatus eas ostendit omnibus qui eas videre vellent, Orthodoxam, hoc est Jacobiticam, fidem profitentibus. Postea scripsit Synodicam Epistolam ad Petrum; ita autem vocant Arabes Christiani in historiis suis, Epistolas quas novi primarum Sedium Episcopi ad alios scribebant, & in quibus Confessio fidei continebatur. Id cùm Episcopi quidam absentes, cùm illæ inter utrumque Patriarcham literæ commearent, accepissent, magnopere indignati sunt, satana discidii occasionem inde subministrante. Eorum præcipui fuerunt Jacobus Episcopus Sa, & Mennas Episcopus *Moniet Tama*; qui venerunt Alexandriam, dixeruntque Petro Patriarchæ: Quomodo suscepisti Acacium, cùm ex eorum numero sit qui Calchedonensi Concilio interfuerunt? Ille id se fecisse dixit, ut eum à pristina sua opinione ad confessionem Orthodoxæ fidei reduceret, multa addens ad eorum animos demulcendos, simulque literas ejus ostendens, quibus sinceritas confessionis ab eo factæ apud illos constaret, tum etiam affirmans se ad illum misisse Episcopos qui ex illius ore eam exciperent, secundùm Ecclesiæ Canonem. Verùm illi superbiâ inflati, ejus excusationes non receperunt, sed schismate facto separaverunt se à communione Throni Apostolici D. Marci Evangelistæ. Unde cùm renuntiassent obedientiæ Petri Patriarchæ, vocati sunt ab Orthodoxis *Acephali*. Ita Severus, & illorum Acephalorum mentio deinceps occurret in hac Historia sub Marco Patriarcha 49°, qui ordinatus circa an. Heg. 193. J. C. 808. sedit annos viginti: & Episcopos duos, quos eadem secta ad illa usque tempora tanquam unicos Antistites Religionis Christianæ retinebat, ad Ecclesiam Jacobiticam reduxit, simul cum plebe illis subjecta quæ *Bani Chenusa*, seu Barsanuphianorum cognomine designabatur.

V. Liber. c. 18.

Acephali.

In illis verò quæ ex Severo relata sunt inter falsa multa, occurrunt nonnulla quæ veritatis indicia præferant, sed multis modis contaminatæ. Agebatur enim de Zenonis Imperatoris *Henotico*, quod cùm Petrus Moggus suscepisset, ea sola ratio concordiæ fuit inter eum & Acacium Constantinopolitanum, qui eo

nomine non modò male apud Catholicos audiit, sed Romanorum etiam Pontificum communione privatus est; adeo ut Ephremius, ejus post Flavitam hæreticum successor, ea caruerit, quòd ejus nomen ex Diptychis tollere recusasset, quæ multorum inter Occidentalem & Orientalem Ecclesias discidiorum causa fuit.

Quod verò à communione Petri ob susceptum *Henoticon*, & dissimulatam Concilii Calchedonensis damnationem, ex Monophysitis plurimi se subtraxerint, docent accuratè Liberatus, Leontius, & alii Autores Ecclesiastici. Quod illos qui ultra trecentos annos in eo schismate perstiterant, Episcoposque qui Patriarchis Jacobitis non communicarent habebant, *Barsanufianos* vocent Arabes Christiani, erratum videtur: nam eo nomine singularem quamdam illius sectæ partem significari testatur Anastasius qui de Barsanuphio quodam erroris singularis architecto loquitur.

Addit Severus Petrum multa ab hæreticis, hoc est Calchedonensis fidei defensoribus, passum fuisse; sede sua expulsum, in qua collocati fuerunt Timotheus, & quidam alii, sed quorum nomina ita deformata sunt, ut agnosci non possent, nisi aliunde de illis constaret: tandem Sedi suæ restitutus est: seditque annos 8. Obiit 2ª mensis Athyr aut 4ª, ut Elmacinus scribit. Opera ejus servari dicit Severus in Monasterio D. Macarii, ex quibus recenset tantùm Epistolas, quarum una est ad Zenonem Imperatorem cum ejus responsione: Orationes aliquot, & Liturgiam. Operum illorum fragmenta quædam occurrunt in Collectaneis Testimoniorum, de quibus anteà dictum est. Liturgiam habent ejus nomine Syri Jacobitæ, etsi in antiquis Codicibus Petro Principi Apostolorum attribuatur. At in Coptitarum Codicibus, talis occurrit omnino nulla. Obitus ejus in Annalibus Ecclesiasticis anno J. C. 490. assignatur, & Sedem Alexandrinam annis 13. occupasse dicitur. Cave autem ne cum Kirchero existimes Petrum illum Gnapheum esse: is enim Antiochenus fuit, non Alexandrinus, Jacobitarum Episcopus. Chronicon Abulbircat annos 7. menses 2. Kircherianum annos 9. Makrizius annos 8. menses 7. Elmacinus annos 8.

ATHANASIUS PATRIARCHA XXVIII.

ATHANASIUS Pat. XXVIII.

DE isto Patriarcha Petri Moggi successore ejusdemque hæreseos defensore nihil ferme habet Severus. Mortuo, inquit, Petro ordinatus est in ejus locum Athanasius Ecclesiæ cujusdam Alexandriæ præpositus, vir bonus, & plenus Spiritu sancto ; qui munere sibi credito præclarè functus est. Nulla ejus tempore persecutio, turbæ nullæ Ecclesiam agitaverunt : sedit annos 7. obiitque 20ª mensis Toth. Indiculus Kircherianus 20. Pontificatûs annos illi assignat, initiumque anno J. C. 486°, quadriennio ante prædecessoris mortem. Elmacinus annos 7. Catalogus apud Abulbircat annos 2. menses 9. Makrizius 7. quoque annos : tanta est Autorum diversitas.

Ejus meminerunt Autores omnes Ecclesiastici, qui etiam Herniosum cognominatum esse testantur, sed ejus non minus apud Orthodoxos quàm apud Hæreticos obscurissima memoria est. Obitus ejus vulgò assignatur an. J. C. 497°. Memoria ejus celebratur apud Coptitas 9ª Toth, ut patet ex Kalendario apud Abulbircat : nam illius quod à Ludolfo confectum est, quasi recepto apud Æthiopes, nulla autoritas est, cùm ex Seldeniano Arabico & Synaxario conflatum sit : unde de eo cum aliis conciliando non est laborandum. *Hist. Patr. Alex. p. 120.*

JOANNES PATRIARCHA XXIX.

JOANNES Patr. XXIX.

DE eo ita Severus. Postquam obiit Athanasius junior, ordinatus est Patriarcha Joannes Monachus, qui Patrum prædecessorumque suorum secutus est exempla. Illius tempore Ecclesia, plebs urbana, & deserti incolæ, hoc est Anachoretæ, in summa pace vixerunt sub Zenone Imperatore, quem veluti suæ sectæ addictum magnis laudibus Jacobitæ prosequuntur ; adeo ut memoria ejus occurrat in aliquibus Kalendariis.

Aiunt Zenonem suo tempore constituisse, ut ad Monasterium S. Macarii in Valle Habib, quod Canopi vocant Liberatus, & alii, quotannis deferretur quantum farinæ, vini & olei ad sustentandos monachos satis esset. Mortuus est sub eodem Imperatore 4ª mensis Pachon, cùm sedisset annos 8°. Elmacinus qui eadem ex Eutychio refert, cumdemque obitus diem, ait tamen ordi-

natum eum fuisse 6° anno Anastasii, sedisseque annis 9. Abulbircat 5. Kircherus tribus, Joannis nomine appellatis decem annos tribuit, quod stare non potest. Nam duo tantùm hæretici fuerunt; Joannes Talaia ejectus à Petro Moggo, Orthodoxus fuit. Elmacinus an. 9. numerat, vacasseque ait sedem anno uno post ejus mortem.

Joannes is *Mela* cognominatus est, suscepitque Zenonis Henoticon; & anathema dixit Concilio Calchedonensi, Leoni Papæ, & aliis Orthodoxis Episcopis, ut ex Liberato intelligitur. Obitus ejus incidit in an. 16. Anastasii Imperatoris, J. C. 507. cùm sedisset annos novem, ut ex Nicephoro & aliis colligit Baronius. Fallitur autem Severus cùm ejus Pontificatum collocat sub Zeno-
T. 2. p. 133. ne. Sedisse annos 9. testatur quoque Eutychius.

Memoriam ejus celebrari apud Coptitas eodem quo obiit die 4ª Pachon, hoc est 29. Aprilis, testatur Kalendarium eorum.

Joannes Patr. XXX.

JOANNES ALTER COGNOMINE RECLUSUS, PATR. XXX.

ITA vocant eum Arabes seu *Habis*, quæ vox propriè eos Monachos significat quos Græci ἐγκλείστους, nostri Latini *Reclusos* appellant. Neque alia nominis etymologia quærenda est, aut
Hist. Patr. Alex. p. 61. n. 323. ex sententia Ludolphi existimandum verbum Arabicum quod hìc usurpatur, ita intelligendum quasi significet *Semet devovere* vel *Deo dicare*. Significat vox *Habis* Monachos qui in singularibus cellis vitam ducebant, οἱ διὰ Θεὸν ἔγκλειστοι καὶ στενωτάτοις οἰκίσκοις κατείρξαντες ἑαυτοὺς: de quibus Cangius in ea voce Glossar. Græco-Barbaro, & in Latino voce *Inclusi*. Illum Liberatus *Maciotam* vocatum ait, ubi vetera quædam exemplaria legunt *Niciotam*, & rectè; nam Nikious urbs Ægypti, à qua cognomen habuit: Nikiotam quoque appellat eum Theophanes, & ita Kalendarium Copticum. De eo ita Severus.

Postquam decessisset Joannes Patriarcha, ordinatus est ejus loco vir reclusus, nomine quoque Joannes, qui defunctum cognatione attingebat. Scripsit libros & orationes complures. Cùm verò nulla omnino scriptorum hujus Joannis Patriarchæ memoria, quantùm adipisci legendo potuimus, apud Coptitas aut alios Jacobitas occurrat, existimamus alium elici sensum ex Severi ver-

bis posse; nempe ut ejus sententia sit scripta fuisse sub illius Pontificatu permulta ad Jacobiticæ fidei defensionem, & Orthodoxorum Calchedonensis Concilii defensorum impugnationem. Eo enim sane tempore cùm præcipui Monophysitarum Theologi floruerint, Severusque Antiochenus præ reliquis omnibus plura scripserit, quorum adhuc in Catenis aliisque Græcis Collectaneis fragmenta reperiuntur, præter illa quæ apud Græcos cum Autoris sui memoria perierunt, & apud Syros Arabesque conservata sunt, ad ea potius quæ communi totius Ecclesiæ Jacobiticæ nomine prodierunt, quàm ad singulares Joannis Patriarchæ lucubrationes, Severum respexisse verisimile est.

De Severo Antiocheno.

Eo tempore ut Severus prosequitur, mirabilia multa contigerunt, conspirantibus simul ad Ecclesiæ defensionem Imperio & Sacerdotio, Anastasio nempe Imperatore & Severo Antiocheno Patriarcha, qui, inquit, sedens super Thronum magni Ignatii, factus est cornu salutis Ecclesiæ Orthodoxæ: hoc est sectæ Jacobiticæ. Scripsit Severus Literas Synodicas ad Joannem Alexandrinum, de communione fidei, quibus significat consensum cum illo suum circa unam fidem Orthodoxam, quam sancti Patres tenuerant. Eas literas suscepit Joannes cum Episcopis suis, atque illas publicè legi per totam Ægyptum in Ecclesiis curaverunt; gratiasque Deo egerunt, qui divulsa Ecclesiæ membra in locum suum restituisset. Respondit deinde Joannes Severo, per literas Orthodoxâ doctrinâ secundùm sanctorum Patrum regulam plenissimas, quæ cum honore & gaudio susceptæ sunt. Sedit Joannes Nikiota annis 11. obiitque 27ª mensis Pachon. Huc usque Severus. Ex eo vero primum tempore initium habuit consuetudo mutuarum de fide Epistolarum inter Alexandrinos Antiochenosque Patriarchas Jacobitarum, quæ per sæcula subsequentia perseveravit, & nisi fefellerunt nos peregrini ex Oriente de ea re interrogati, etiamnum observatur. Synodicas, ut suprà dictum, est vocant illas Epistolas; atque antiqui moris fuit, ut in ista historia sæpè observabitur, mitti illas per Sacerdotes, & aliquando per Episcopos, qui Patriarcharum suorum nomine communis Jacobiticæ fidei publicam in Ecclesia professionem facerent.

De illo Joanne nihil habet Eutychius, nisi quod alteri Monacho suffectus fuerit, & annos 11. sederit, Jacobitarum fidei professor. Consentit Elmacinus qui præterea ordinationem Severi

Antiocheni refert ad illius tempora, & de mutuis Epiſtolis eadem cum Severo ſcribit. Ita de annorum numero Makrizius. Indiculus Chronicus apud Abulbircat contra alios Autores annos Epiſcopatûs ſex tantùm numerat cum menſibus 11. ordinatumque fuiſſe teſtatur an. Martyrum 234°. obiiſſe ejuſdem Epochæ an. 240°. qui numerus reſpondens an. 524°. Æræ Chriſtianæ ſtare non poteſt. Nam obiiſſe Joannem an. 516°. communis opinio eſt: anni autem Martyrum in libris Chriſtianorum, præſertim verò in iſto Indiculo, ita turbati ſunt, ut revocari ad Canones Chronologicos nequeant, quod ex multis locis comparatis manifeſtum eſt.

Joannem iſtum ſuſcepiſſe Zenonis Henoticon, ſed ſimul anathematiſaſſe Synodum Calchedonenſem & Leonis Tomum teſtantur Liberatus & alii: atque ea de cauſa cum Anaſtaſio Imperatore non plane conſenſiſſe: quod Jacobitæ ſilent. Utriuſque tamen memoria celebratur, Joannis quidem 27ª menſis Pachon, quo die obitus illius contigiſſe ſcribitur: atque ita legitur eo die in Kalendario Coptitarum, Joannis Nikioſitæ Patriarchæ Alexandrini: unde emendari, ut videtur, debet nomen Machiotæ pro quo, ut ſuprà dictum eſt, Niciotæ legitur in aliis Codd. in Kalendario Nikioſitæ. Anaſtaſii Imperatoris memoria fit 13ª menſis Atyr, his verbis *Anaſtaſii Imperatoris*, Φιλοχρίςȣ. Ita vocatur in libello Archimandritarum, in vita S. Sabæ per Cyrillum. *Cotel. t. 3. p. 314.*

Refert Eutychius, & qui eum exſcripſit Elmacinus, teſtimonium ejus adducens, Eliam Patriarcham Hieroſolymitanum ſcripſiſſe Anaſtaſio Imperatori, ut eum ad Catholicam fidem reduceret: miſiſſeque Sabam illuſtrem Archimandritam cum aliis. Hæc fusè & accuratè ſcripta leguntur in ipſius Sabæ vita per Cyrillum Scythopolitanum, quam legiſſe Eutychium & quoſdam alios veriſimile eſt.

Addenda unica obſervatiuncula de nomine Joannis hujus, qui Machiotas dicitur fuiſſe cognominatus. At ut dictum eſt, cùm eſſet Ægyptius, vera lectio videtur eſſe Nikiotas, ut in aliis Codd. ſcribitur: quam lectionem adjuvat id cognomen notatum in Kalendario, Nikiouſi. Ita enim conſtat gentilitium eſſe à patria, nempe *Nicio* ſeu *Nikiou*. Stephanus Νικίȣ κώμη αἰγύπτȣ... ὁ οἰκήτωρ νικιώτης. Νικίως ſcribit Copticum Onomaſticum & Ragotim ſeu Ragdam aliter dictam. Neque eſt cur cum viro doctiſſimo *P. 206. Not. ad Stephan. de Urb.*

Luca

Luca Holstenio dubitemus, an νιου sit pars nominis. Suadere id poterat gignendi casus, nisi obstaret similis Ægyptiacorum locorum appellatio, ut in πανα, Panopolis αντινοου, Antinoopolis, & aliæ: à Νικίου igitur juxta Arabicam analogiam formatur *Nikiousi*, ut ab eodem nomine juxta Stephanum Νικιώτης; quod verum cognomen Joannis hujus à patria fuisse videtur potiùs quàm *Machiota:* nam Arabes legisse Νικίυ indicat forma nominis *Nikiousi*, quæ respondet Græcæ, ita à *Merou* urbe Chorasanæ *Merousi*, & alia ejusmodi.

De Severo Antiocheno multa scribunt Jacobitæ, inter quos post Cyrillum quem frustra erroris sui patronum existimant: postque Dioscorum Alexandrinum præcipuo honore colitur. *Patriam ejus Sozopolin tali cive gloriari* canunt in Horologio suo Syri Jacobitæ: ejus pro fide certamina non modò adversus Justinum & Justinianum Calchedonensesque, hoc est Orthodoxos, commendant: sed etiam quod *somnia phantastica Juliani Halicarnassæi confuderit.* Ejus memoria est in Diptychis Liturgiis Ecclesiæ Alexandrinæ: & singularis solennitas 7ª mensis Toth cum commemoratione Dioscori. Ut eum plurima scripsisse constat ex Græcis Autoribus, fragmentisque variis quæ ex ejus libris excerpta sunt in Catenis manuscriptis & editis, ita multa occurrunt in Jacobitarum Tractatibus Theologicis ejus testimonia. Laudatur præcipuè ejus Epistola ad Anastasium Imperatorem, quam is, inquiunt, acceptam in Thesauro Imperiali seu Bibliotheca deposuit, ut esset in Ecclesia, tanquam fidei lex, quâ contrariæ opiniones destruerentur. Item alia Epistola ad Julianum Halicarnassæum: Sermo in verba Ps. 21. *Deus meus, quare me dereliquisti?* Synodica ad Joannem Patr. Alexandrinum: Responsio ad Theodosii P. Alexandrini Synodicam, & multa alia, quæ πολύγραφον fuisse Severum demonstrant. Sanè longè plura, quàm quæ indicantur ab Arabibus, eum scripsisse solis Seguierianæ Bibliothecæ Codicibus confirmatur: quorum longum indicem confecit vir eruditissimus D. Bernardus de Montfaucon.

Severi memoria & scripta.

Horol. Mss. Syr.

DIOSCORUS JUNIOR PATR. XXXI.

Diosc. Jun. Patr. XXXI.

POSTQUAM Joannes Niciota diem suum obiisset, ejus loco à Jacobitis constitutus est Dioscorus Junior, de quo hæc habet Severus. Joannes à secretis & epistolis habuerat virum omnibus animi dotibus insignem, pium, humilem, Dioscorum nomine, cui inter Ecclesiasticos similis erat nullus; illum igitur Alexandrini or-

Hist. Alex. f. 326.

dinaverunt sibi Patriarcham. Statim atque in sede D. Marci collocatus est, scripsit ad Severum Antiochenum Synodicam de communi fide Epistolam, significans simul de obitu Joannis Patriarchæ, suaque in ejus locum ordinatione. Respondit Severus, consolando eum de obitu decessoris sui, adjungens quæ magis opportuna videbantur ad confirmandum eum in fide Orthodoxa, hoc est Jacobitica: monensque ut in docenda plebe sibi commissa esset assiduus. Sedit Dioscorus an. 3. vel ut habet alia ejus vita, annum unum, menses sex; obiitque 17ª mensis Paophi, seu Babæ. Elmacinus qui nihil habet præterquam ejus nomen & successionem post obitum Joannis, sedisse ait illum annos 2. menses 5. atque ita Makrizius. Chronicon an. 2. dies 146. Abulbircat an. 2. menses 4. obiisseque anno Martyrum 144°, 17ª Paophi: J. C. 528°, qui etiam numerus ut alii propè omnes Chronologici stare non possunt in illa Epocha, quocumque tandem modo initium ejus deducatur. Eutychius constitutum fuisse Patriarcham Dioscorum Juniorem scribit anno Anastasii Imperatoris 26°: atque ita Elmacinus. Hic annus est Christi 516us: atque ita conveniunt Orientales, modò calculos suos rectè instituant cum antiquis Autoribus qui eo anno obitum Joannis Niciotæ prædecessoris ejus assignant. At annus J. C. 516us, si Æræ Diocletiani, ut debet, initium ducatur ab anno J. C. 284°, respondebit anno Martyrum 232°. Si ab anno 276°, ut vult Eutychius, respondebit anno eorumdem 240°: atque ita absque melioribus Codicibus emendari numeri, qui toto hoc Canone Chronico exhibentur, non possunt.

Atque hæc nec plura docent nos Orientales de Juniore Dioscoro, quem Liberatus scribit mortuum fuisse, cùm Severus Antiochiâ pulsus Alexandriam venit: nempe 2° Justini Imperatoris anno, secundùm Baronii sententiam, cùm sedisset annos tres. Dioscorum porrò tanquam acerrimum Calchedonensis fidei hostem repræsentant Autores omnes Ecclesiastici. Cùm autem non modò suscepisset Zenonis Henoticon, sed Synodo etiam Calchedonensi anathema dixisset, gestaque apud Defensorem civitatis coram eo confecta essent, in iis testatus est *in expulsione Synodi se suscipere Edictum*. Verba Liberati sunt, quorum sensus est, Dioscorum Henoticon suscepisse, sicut ejus ad Petrum usque Moggum Monophysitæ antecessores: sed præterea actis publicis apud Defensorem testatum voluisse, se non aliter nec alio sensu Henoticon suscipere, quàm ita ut intelligeretur anathematisare se & rejicere Synodum Calchedo-

Liber. c. 18. 19.

nensem. Unde, ut idem Autor prosequitur, *cùm satisfactum fuisset his qui propter Petrum Moggum, extra illam Ecclesiam communicabant, adjuncti sunt ei. Nam usque ad istum Dioscorum in divisione erat Alexandrina Ecclesia.* Contraria tamen prorsus est Jacobitarum traditio, qui ut superiùs in Petri Moggi vita dictum est, eos qui secessionem ab illo fecerant, eò quòd suscepto Henotico, non satis Synodum Calchedonensem condemnasse videretur, diu adhuc privatos conventus egisse, neque ante Marci XLIX[i] Patriarchæ tempora ad Jacobiticæ Ecclesiæ communionem rediisse testantur. Quamvis ita scribunt Orientales : major tamen omninò videtur Liberati autoritas, quàm Arabum omnium. Unde facilè fieri potuit, ut cùm essent inter ipsos Jacobitas schismata admodum varia, illud quod Marci Patriarchæ curâ compositum est, non tam Acephalos illos veteres spectaret, quàm alios, nempe Barsanuphii sectatores, ut ab ipsis Arabibus *Acephali* illi appellantur.

In Calendario Copticarum, nulla die 17[a] Paophi occurrit ejus memoria.

TIMOTHEUS PATRIARCHA XXXII.

Timotheus Patr. XXXII.

IS est quem Jacobitæ statim post Dioscori Junioris mortem Patriarcham Alexandriæ constituerunt, vivente adhuc Anastasio; etsi jam eum obiisse ex certioribus monumentis constare videatur. De eo hæc Severus.

Patriarcha Alexandriæ Timotheus constitutus est, obiitque Anastasius Imperator fidelis. Ejus loco imperium capessivit vir quidam impius & hæreticus, nomine Justinus, qui statim omnem conatum adhibuit, ut fideles Orthodoxos, hoc est Jacobitas, reduceret ad fidem Concilii Calchedonensis. Primùm igitur jussit Severum Antiochenum comprehendi, deinde privata sua autoritate convocavit Synodum, Constantinopolin. Aderant Patriarcha Romanus : Apollinarius Patriarcha Alexandrinus ab Imperatore creatus, & Eutychius Constantinopolitanus, cum subjectis eorum jurisdictioni Episcopis. Misit quoque ad Severum Antiochenum, invitans eum ut cum Episcopis suis adesset, existimans se blanditiis effecturum, ut cum Orientalibus fidem Calchedonensem approbaret. Severus Constantinopolin libenter profectus est, sperans confirmaturum se fidem contrariam, Imperatoremque ad suam sententiam pertracturum. Ubi Constantinopolin advenit, magno honore susceptus est,

De Justiniano Imperatore Severi infulsa narratio.

frustraque ab Imperatore ad mutandam fidem tentatus, in ea retinenda constantissimus fuit. Cùm verò ad conventum Episcoporum invitaretur, negavit se adfuturum, nisi definitionem Concilii Calchedonensis, Leonisque Tomum condemnarent. Eâ causâ magnam ab Imperatore persecutionem sustinuit: & post annos duos intercedente Theodora Imperatrice fideli, in sedem suam restitutus est. Cùm verò in exilium pulsus foret, venit Alexandriam cum multis Episcopis Orientalibus, sedem obtinente Timotheo. Eodem tempore venerunt Episcopi alii in eamdem urbem, qui sanctimoniales multas ex Monasteriis ejecerunt. Severus interea fugere coactus est ex urbe una in aliam, modò latens, modò prodiens in publicum: monasteriaque diversa pertransiens. Ex fuga tamen & exilio plurimas ad Episcopos suæ sententiæ Epistolas scripsit, quibus eos & ad fidem suam conservandam, & ad ferendas alacriter calamitates hortabatur.

Julianus Halicarnassæus.

Erat inter fugitivos illos Episcopos Julianus quidam, non tamen Episcopus, qui odium Calchedonensis Concilii præ se ferebat, negans se illi communicare, eò quòd Episcopi qui in eo convenerant, unum Jesum Christum divisissent, dum in illo duas post unionem, naturas esse statuerant. Is observata occasione cùm Severus abesset, libellum edidit, in quo renovabat Eutychis, Apollinarii, Manetis, Eudoxiique blasphemias, accedens ad eorum sententiam, qui phantasticam solummodo fuisse existimabant passionem Christi Domini, atque adeo veritatem illius negabant. Eum libellum Julianus ad Monachos & Anachoretas per totam Ægyptum misit, à quibus avidè susceptus est, septem exceptis qui voce divinitus lapsa, de doctrinæ quam continebat impietate moniti, eum rejecerunt. Alii errore infecti, in septem illos impetu facto, duos ex illis occiderunt: ipsi seorsim in cellis suis apud S. Macarium sacra faciebant, quinque reliquis indefessè laborantibus, ut eos ad saniorem mentem reducerent. Severus scriptis ad omnes literis Julianum condemnavit, tanquam draconem pessimum; & eos qui ejus fallaciis decepti fuerant, ab errore revocavit. Magna tamen inde in Ægypto, aliisque provinciis turbatio fuit, quæ nonnisi difficulter composita est.

Eo tempore obiit Timotheus firmus in fide Jacobitica, pro qua multùm decertavit, simul cum Severo Antiocheno. Sedit annos 17. obiitque 13ª mensis Mechir: neque de eo plura Severus: cujus narratio quàm obscura & imperfecta sit, satis quisque intelligit.

Quæ enim sub Justiniano gesta sunt, Justini temporibus assignant errore apud eos satis frequenti, Orientales Historici : nam Justinianum à Justino non distinguunt, nisi quòd illum Juniorem appellant, & utrumque nomen pro eodem habent. Porrò Constantinopoli Concilium convocatum fuisse certum est 1° Justini anno, quo Sevérus cum aliis damnatus est : sed quàm diversa sit narratio Jacobitarum ab ipsis ejusdem Actis quæ inserta sunt Actis Concilii sub Menna an. 536° congregati, satis apparet : integram eorum temporum historiam scribere oporteret, ad illustranda pauca illa quæ Severus retulit, quod in rebus notissimis inutile prorsus foret.

Severi ingressus in Ægyptum.

Severum in Ægyptum venisse non solùm in libris historicis consignatum habent Jacobitæ, sed in Kalendario etiam Ecclesiastico Coptitarum, ubi 2ª mensis Paophi, hoc est 29. Septembris, celebratur commemoratio adventûs ejus in Ægyptum. Juliano Halicarnassæo non Severus modò, sed etiam Officia Syrorum Jacobitarum inter hymnos ad Severi festum recitandos, non ἀφθαρτοδοκιτῶν hæresin quæ propria ejus erat, attribuunt, sed *Phantasiastarum*, quam Apollinaristarum, Eutychis, Manetisque volunt esse similem : atque eo nomine anathemata multa in eum conjiciunt. De aliis hæresibus ex eadem Severiana colluvie propagatis, Agnoetarum, & Tritheitarum pauca scribunt. De studio Theodoræ Augustæ erga Severum & Severianos multa Baronius ad an. 535. at restitutum Sedi Antiochenæ ejus opera Severum non legimus. *Liber. c. 19.*

Obitus Timothei assignatur ab eodem an. J. C. 535°. Justiniani Imperatoris 9°. De numero annorum Pontificatûs, & die obitûs consentit Elmacinus. Abulbircat in Catalogo suo an. 16. menses 6. numerat : annumque assignat 260ᵘᵐ Martyrum, quod nulla ratione cum vera Chronologia conciliari potest.

Timothei Junioris Patriarchæ Alexandrini commemoratio assignatur in Kalendario Coptitarum 13ª Amschiri, seu Mechir.

Jacobus Zanzalus.

Ad hanc historiam referenda sunt quæ de Jacobo Severi discipulo scribunt omnes fermè Historici. Zanzalum eum appellat Nicephorus : *Baradæum* vulgò Orientales, quæ vox ex qua *Baradatus* quam Græci usurpant, originem habet, eum significat qui centonibus consutam vestem haberet, qualis erat Jacobi illius. Ab eo nomen accepisse Jacobitas multorum sententia est, quos tamen Elmacinus hallucinari testatur, etsi ejus testimonium suspectissimum est, nec cum aliorum antiquiorum autoritate comparandum. Illum porrò Jacobum, totam Syriam circumeuntem, venena doctrinæ *L. 18. c. 52. Eutych. t. 2. p. 144.*

Severi, Dioscori & Eutychis, Mesopotamenis, Armenis, viciniſque populis inſpiraſſe teſtatur Eutychius Alexandrinus. Multos ab eo Sacerdotes ordinatos fuiſſe & Diaconos uſque ad octoginta ſcribit Amrus Matthæi filius Neſtorianus. De eo Severus alibi, Iſa filius Zaraa, Elmacinus, & omnes fermè qui de Jacobitarum rebus ſcripſerunt.

Cædes Alexandriæ. *Eutych. t. 2. p. 152.* Ad iſtius Patriarchæ Timothei tempora referunt plerique Hiſtorici, Melchitæ & Jacobitæ, magnam cædem Alexandriæ factam, occaſione illius ordinationis, quæ invito Juſtino ſive Juſtiniano facta fuit. Aiunt ſcilicet miſſum è Patriciis unum Apollinarium nomine, qui eſſet Alexandrinus Patriarcha. Cùm verò à Jacobitis, quorum magna erat autoritas, non ſuſciperetur, adjunctum illi militare præſidium, quo ſtipatus urbem habitu Patricii ingreſſus eſt, & ad Magiſtri militum ædes divertit. Ibi expectata occaſione diei ſolennis, quo populus ad Eccleſiam convenire debebat, præſidium ita diſpoſuit, ut copiarum pars ad fores Eccleſiæ ſtaret, alia lateri ejus circumfuſa eum ſequeretur, tertia variis in locis collocata dato ſigno conveniret. Itaque Apollinarius in publicum procedens, Patricii ornatu venit in Eccleſiam; & cùm ambonem conſcendiſſet, ſolutis fibulis quibus paludamentum militare aſtrictum erat, apparuit indutus veſte Patriarchali. Tum cùm ad populum pauca verba feciſſet, protulit *Tomum* ſeu Definitionem fidei factam in Concilio Calchedonenſi, eumque legere cœpit. Inde ortus eſt tumultus ingens clamantibus Alexandrinis, ſe talem fidei Confeſſionem non ſuſcipere. Apollinario ſignum militibus dante, illi continuò in multitudinem inermem irruentes, tantam in Eccleſia ſtragem fecerunt, ut ſanguis eam inundaverit, adeo ut ad genua uſque pertingeret. Ducenta hominum millia in Ægypto cæſa eſſe juſſu Apollinarii vulgò ſcribunt, eorum qui Fidem Calchedonenſem ſuſcipere recuſabant. Cæteri dilapſi in varias regiones ſe receperunt; quorum plerique, præſertim Eccleſiaſtici, in Monaſteriis latitaverunt, præcipuè in Valle Habib ad S. Macarium; unde *T. 2. p. 156.* Eutychio teſte, Cathedra Patriarchæ Jacobitarum eò tranſlata fuit, uſque ad Muhamedana tempora. Hiſtoriam verò cum diverſis aliquot circumſtantiis recitat, & ſub Juſtiniano refert: cùm è contrario Elmacinus eam ad ultima Juſtini tempora referat: affirmetque Apollinario Tomum Fidei Calchedonenſis acceptare cogenti omnes ferè Jacobitas obtemperaſſe, atque adeo magnam illorum Eccleſiæ vaſtitatem contigiſſe. Attamen hæc omnia ad ſequentis Pa-

triarchæ tempora referenda potiùs videntur esse, cùm turbæ illæ Alexandrinæ majores prorsus sub Theodosio Patriarcha quàm sub Timotheo fuerint : nempe si quæ de Apollinari narrantur vera sunt, nam ille non nisi longè post obitum Timothei Alexandrinam Sedem occupavit, scilicet an. 551°.

Joannes Grammaticus. *Phot. Cod. 55. Abulfarag. Hist. Dynast. p. 114. Joann. Damasc. t. 1. p. 103. Nov. Ed. Leont. de Sect. Act. 5.*

De Joanne Grammatico cognomine Philopono scribit Elmacinus eum sub Timotheo vixisse, deque divinis personis novum errorem publicasse, nempe quod Pater, Filius & Spiritus tres Dii essent, tresque naturæ, quas una substantia comprehenderet. Ita de eo Græci Latinique Scriptores.

Additio Trisagio facta.

Sub Anastasio Imperatore atque adeo circa hujus aut præcedentis Patriarchæ tempora additam fuisse scribunt Jacobitæ à Petro Cnapheo Antiocheno, ultimam Trisagio clausulam *Qui crucifixus es pro nobis*, quam deinde Jacobitæ Coptitæ in sua officia transtulerunt. De ea Severus, Ibn filius Zaraa, Abu Raita Takritensis in singulari opusculo, Ebnassalus & alii : quorum sententiæ cum Græcorum & aliorum Melchitarum doctrina comparatæ, à nobis expositæ sunt in singulari de Trisagio Jacobitico Dissertatione. Videnda etiam excerpta ex Ephræmio Antiocheno apud Photium, & Epistolæ plures quæ extant in Collectione Conciliorum, & editæ primùm fuerunt cum Actis Constantinopolitani sub Menna : de quibus tamen dubitant eruditi.

Phot. Cod. 228.

De Severo Nestorianorum traditio.

Eam porrò novitatem in hymno Ecclesiastico introductam magno Christianorum aliorum scandalo, ab Anastasio Jacobi Severique consilio scribit Maris Nestorianus, & ex eo Amrus Mathæi filius in vita Acacii, quem Catholicorum suorum 22um numerant. Addunt Severum, cùm undique pelleretur, substitisse in quodam Monasterio ab Eutychianis ædificato : atque ad illud baptismatis recipiendi causâ convenire solitos omnes Jacobi, Severique Sectatores, nec alibi suscipere voluisse, quòd existimarent fidem ubique corruptam ob duarum naturarum confessionem, definitam in Concilio Calchedonensi. Severus à sectæ suæ Episcopis adjutus, Antiochenam Sedem invasit : habitoque eorum concilio, anathema pronuntiavit in eos qui duas naturas assererent. Inde ad omnes Christianos, præsertim Persidis, litteras misit, ut eos ad fidem suam amplectendam hortaretur. Jacobus Serugensis qui priùs fidem Orthodoxam, hoc est, ut ipsi existimant Nestorianam, sequebatur ; & in Schola Edessena literis eruditus Barsomam Nisibenum Metropolitam condiscipulum habuerat, cùm vidisset Imperatorem

Anastasium propensum in Severi sententiam, eam amplexus est, multosque tractatus edidit ad illius opinionis confirmationem.

Idem Nestorianus autor docet, magnam à Phirouzo, seu ut Græci vocant Pherose Persarum Rege, Jacobitarum cædem factam, præsertim Takriti, Mausilæ, & in vicinis regionibus, multos pœnarum metu Fidem Christianam abnegasse, & Magicam sive Persicam superstitionem professos fuisse. Eosdem ab Acacio Catholico suo excommunicatos fuisse testatur. De Jacobo Baradæo præter ea quæ superiùs dicta sunt, ab iisdem Nestorianis proditur ipsum, cùm simplex sacerdos esset, Georgium & Sergium socios suos ordinasse Episcopos, à quibus vicissim renuntiatus sit Catholicus: quæ tamen dignitas nondum erat in rerum natura, cùm Jacobus turbare Orientem cœpit, ut alibi dictum est.

Meminerunt Autores iidem Conciliorum adversùs Severianos Jacobitas, Hierosolymitani, triginta Episcoporum sub Joanne Patriarcha: Tyrii Episcoporum quadraginta: Constantinopolitani, Episcoporum quadraginta trium, à quibus damnati Severus, Jacobus, eorumque Sectatores Monophysitæ. De iis Synodis videnda Acta Concilii Constantinopolitani sub Menna & alterius Oecumenici. Cùm Justinianus edicto suo illos hæreticos exilio damnasset, multi in Syriam & Mesopotamiam venerunt: cum quibus aiunt disputasse Mar Abdam celebrem Monasterii Rectorem, & Silam qui Catholicatum obtinuit, & aliquos ad duarum naturarum sententiam reduxisse. Hæc sunt quæ ex Nestorianorum memoriis excerpta ad hanc historiam pertinere visa sunt.

De controversiis de corruptibili & incorruptibili Christi corpore, mirum nihil à Severo aut à reliquis scriptum fuisse: quidquid enim ad illam inter Monophysitas agitatam litem spectat, videntur Arabes scriptores ad Juliani phantasticas ut vocant opiniones retulisse: ea porrò ex Græcis Latinisque Autoribus pleniùs illustratur. *Liber. c. 19. Hist. Patr. f. 337.*

THEODOSIUS Pat. XXXIII.

THEODOSIUS PATRIARCHA XXXIII.

CUM Theodosii istius apud Orientales historia turbatissima sit, adeo ut intelligi vix queat, eam priùs ex Liberato qui vicinus illorum temporum fuit, paucis describemus; ex cujus certissima narratione explicari faciliùs poterunt ea quæ Severus & alii Jacobitæ obscurissimè tractaverunt.

Lib. c. 19. *Defuncto*, inquit Liberatus, *Timotheo Episcopo Alexandrino, Theodosius*

Theodosius ordinatur : qui licèt haberet Cleri Decretum , contradicere volentibus non permisit certamen populi & Monachorum quos non habuit : hi enim pro Gaïano fuerunt , consuetudo quippe est Alexandriæ , illum qui defuncto succedit , excubias supra defuncti corpus agere : manumque dexteram ejus capiti suo imponere , & sepulto manibus suis , accipere collo suo B. Marci pallium , & tunc legitimè sedere. Dum hæc Theodosius pertentat , cognoverunt populi & Monasteria , quod esset factum vesperè in Episcopio , studio Calotychi & Judicum , id est , Aristomachi Ducis & Dioscori Augustalis mox Theodosium persecuti sunt , ne colligeret funus Timothei : inthronisaverunt autem Gaïanum qui fuit Archiepiscopus ex parte assertorum incorruptibilitatis : habens autem consentaneos aliquos ex Clero. Postea scribit pulsum eum esse à Judicibus ; Theodosium, postquam in Sede mansisset annum unum , menses quatuor, non ferentem seditiones & bella quæ contra eum exercebantur à populo , jubente Theodorâ Augustâ missum esse Constantinopolin cum honore, nempè illa Imperatori promittebat posse Theodosium induci ad Calchedonensem Synodum suscipiendam : sed pertinaciter recusantem pulsum in exilium ad sextum ab urbe milliare, adhucque cùm hæc Liberatus scriberet, in vivis fuisse. Jam ad Severi narrationem veniendum est, quæ ab Historici sincerissimi testimonio longè discrepat.

Postquam, inquit, Timotheus Patriarcha diem suum obiit, Deo jubente congregati sunt Episcopi & plebs Orthodoxa, Christoque ita gubernante ordinatus est Pater sanctus Theodosius Patriarcha, qui ab ineunte ætate virginitatem servaverat , & librorum Ecclesiasticorum peritiâ erat commendatissimus. Eum statim atque ordinatus est, Synodicam de communi Jacobitarum fide ad Severum Antiochenum scripsisse, testantur Autores alii; Epistolæque istius pars refertur in Collectione, quæ Fides Patrum inscribitur. Postea Dacianus , vel Accaianus ,(corruptum utrumque nomen pro Gaïano) Archidiaconus Alexandrinæ Ecclesiæ, postquam Theodosius Episcoporum , Clericorum plebisque consensu in Sede D. Marci collocatus esset, agitato cum multis consilio , juvante præsertim Juliano Halicarnassæo, & Theodoro quodam sacerdote pecunioso, Patriarchalem dignitatem invasit. Præfectus & alii qui publicam autoritatem habebant , muneribus corrupti à Theodoro, adversùs Theodosium insurrexerunt ; & eum Alexandriâ ejecerunt in locum dictum *Harismanos*, ubi per sex menses substitit,

S

ignorante omnia Imperatore, quia Præfectus curaverat, ne de alterius Ordinatione ad eum referretur. Dum in hac calamitate & persecutione conflictaretur, eum Severus per literas consolatus est, ostendens Paulum Apostolum similia ab hostibus fidei perpessum, initio vocationis suæ ad Apostolatum. Agebatur tunc annus Diocletiani 242us; cùm interea Severus Justiniani Imperatoris metu, lateret in pago quodam Ægypti, *Saca* appellato: apud Dorotheum pium hominem qui senum Monachorum res procurabat, eorum scilicet qui Juliani errores rejecerant. Is ad præfectum qui Aristomachus dicebatur, profectus, rogavit ut Monachis qui in deserto erant facultatem concederet ædificandi Ecclesias, & cellas earum loco, quas Juliani Sectatores ipsis abstulerant, quod ille concessit. Severus interea cùm multa scripsisset ad eversionem opinionis duarum naturarum, & per triginta annos ex quo Antiochenam Sedem adeptus erat, fortissimè laborasset, magnis persecutionibus afflictus, ex hac vita migravit: accepturus, ut Jacobitarum opinio est, coronam gloriæ cum sanctis Patribus.

Severi mors.

Cùm verò Theodosius continuis seditionibus eorum qui Gaïano adhærebant, vexaretur, Joannesque Alexandriæ præfectus & alii frustrà in illis componendis laborassent, tandem optimum factu existimaverunt, ut secretò navem conscendens, in locum quemdam Melicha dictum se reciperet; ubi per biennium substitit. Sed tumultuantibus adversùs Præfectum Alexandrinis, quòd pastorem suum illis abstulisset, veritus ille ne res ad Imperatorem referretur, Gaïanum urbe pepulit. Interea Theodosii familiares Theodoræ Augustæ, quæ *fidelis*, id est Severianorum hæresi addicta erat, significaverunt omnia quæ per vim adversùs eum Alexandriæ gesta fuerant, quæ ipsa Imperatori renuntiavit, tanquam absque illius mandato temerè facta. Gavisus secretò ille ut Severianis infensus eò quòd fidem Calchedonensem suscipere detrectarent: uxori nihilominus concessit, ut quod ipsa vellet, de Theodosio constitueret. Misit itaque Alexandriam legatos, qui de ordinatione ejus inquirerent, num scilicet secundùm Canones Ecclesiasticos facta fuisset. Illi magnâ diligentiâ adhibitâ, cùm cognovissent qua ratione Acacius, hoc est Gaïanus, per vim ordinatus fuisset; corruptis pecuniâ multis qui ad ejus ordinationem consenserant, quique etiam tunc affirmabant eam priorem fuisse: quod tamen probare non potuerunt: legati interrogatis sacerdotibus, & primariis civibus centum viginti, quorum testimonia subscriptionibus

firmata habuerunt, ordinationem Theodosii, tanquam priùs factam & canonicam pronuntiaverunt. Deinde congregatis in Ecclesia majore Episcopis, Sacerdotibus, Imperatorisque ministerialibus, Ducibus, primoribusque civitatis, allata sunt in medium Evangelia, tum sigillum Imperiale cum Augusti imagine: adfuit quoque Theodosius; & cùm omnes seorsim interrogati fuissent, confessi sunt illum primò ordinatum, accedente Episcoporum, Sacerdotum & populi consensu, secundùm Canones Ecclesiæ: elapsisque duobus mensibus, auditum esse quod Gaïanus ordinatus fuisset. Advenit ipse Gaïanus, & coram frequenti multitudine fassus est rem ita se habere, peccatique veniam postulavit. Alexandrini quoque rogaverunt Theodosium, ut pœnitentiam ejus acceptam haberet, modò confiteretur, manusque suæ subscriptione testaretur, quæ ausus fuerat, facta esse contra Canonicam Ecclesiæ disciplinam. Petierunt etiam ut susceptâ illius pœnitentiâ, ipse gradum Diaconatûs, quem antea habuerat, dignitatemque Archidiaconi retineret, modò Patriarchæ obediret, ad finem usque vitæ. Hæc annuente Theodosio, & Gaïano consentiente, concordia inita est, facto publico instrumento cui omnes subscripserunt: atque ita pax Ecclesiæ Alexandrinæ reddita est, magnâ Jacobitarum lætitiâ, quòd Patriarcham suum reducem viderent, à quo pacificè Ecclesiam gubernatum iri sperabant. Julianus tamen, Theodorus, & alii hæretici à pervicacia sua rebellioneque non recesserunt. Gaïanus in subjectione permansit. Theodosius sedi suæ restitutus, scripsit ad Justinianum & Theodoram literas, gratias agens de restitutione sua: quæ cùm per legatos ad aulam pervenissent, cœpit Imperator queri apud uxorem quòd nimiam autoritatem Theodosio tribuisset, qui fidei quam unicam esse in Imperio oportebat, infensus, maximas Diœceses Ægypti & Africæ obtinens, non modò consilia sua non juvaret, sed ea potiùs irrita redderet, circa unitatem fidei. Scripsit ergo Justinianus ad Theodosium Patriarcham, ad Præfectum Ægypti, & viros primariæ in Provincia dignitatis literas quibus significabat ut Theodosius Tomum Leonis susciperet, seque adjuvaret ut ejus exemplo alii quoque eum susciperent: quod si faceret, duplicem ei potestatem futuram non modò Patriarchalem, sed etiam sæcularem in Ægypti præfectura, adeo ut omnes Episcopi Africæ sub ejus autoritate forent, amplissimamque in omnibus negotiis haberet autoritatem. Quod si obtemperare detrectaret, ut statim Alexandriâ excedens abiret quò vellet: neque

enim passurum Imperatorem, ut qui secum circa fidem non consentiret, ullam vel in Ecclesia vel in Republica dignitatem obtineret. Hæc cùm accepisset Theodosius coram præfecto & legatis dixit, Diabolum, cùm sustulisset Christum Dominum in montem excelsum, ostendisse ei omnia regna mundi & gloriam ejus, dicendo: Hæc omnia tibi dabo, si adoraveris me. Ita porro quodammodo rem nunc se habere, cùm ea omnia quæ sibi Imperatoris nomine pollicerentur, futura essent in animæ suæ perniciem, si alienus esset à Christo rege vero. Mox manum elevans coram præfecto & legatis, ingentique adstantium multitudine, dixit: *Verè anathematiso Tomum Leonis, & Concilium Calchedonense: & quicumque illius confessionem approbat, anathema esto, nunc & usque in æternum.* Postea ad eosdem conversus dixit, Imperatori potestatem esse in corpus suum, non in animam: Jesum Christum verum Imperatorem jus habere in utrumque: Ecclesias jam in eorum manibus esse, facerent quodcumque ipsis videretur: paratum se sequi decessorum suorum exempla, Athanasii, Cyrilli, Dioscori & Timothei, qui tam multa pro fide passi erant. Tandem exivit, hortatus omnes, ut qui Deum amarent, sequerentur se: nudum se egressum ex utero matris, & nudum in terram reversurum; & eum qui perdiderit animam suam propter fidem, salvaturum illam. Ejectus itaque secundùm mandatum Imperatoris, nocte sequenti in custodia habitus est: postero die navem conscendit Aristomacho præfecto viaticum præbente & in Thebaidem pervenit. Illic Monachos qui in variis Monasteriis erant, per literas hortatus est ad retinendam Jacobiticam fidem persecutionemque pro ea constanter sustinendam.

Imperator de iis omnibus certior factus, veritusque ne tali constantiæ exemplo cæteri adversùs fidem Calchedonensem magis obfirmarentur, literas ad Theodosium scripsit benevolentiæ plenas, eumque Constantinopolin ad se venire jussit, quo ille assumtis secum duobus Presbyteris, doctrina & virtute præstantibus, profectus est, & in conspectum Justiniani & Theodoræ statim admissus. Illi ejus modestiam humilitatemque admirati, comitèr exceperunt eum, locumque ipsi & comitibus ejus assignaverunt. Postea accersitum eum sexies, Imperator semper interpellavit, ut auxilio sibi esset ad confirmandam fidem Concilii Calchedonensis. At ille quamvis blanditiis & promissis oppugnaretur, firmiter recusavit, negans iota unum vel apicem immutaturum se, in iis quæ

Patres & decessores sui scripto tradiderant, à Marco Evangelista usque ad Timotheum, à quo ordinatus fuerat Diaconus, & cui postmodum successerat. Cùm vidisset igitur Imperator fieri nullomodo posse ut Theodosius ad suam sententiam pertraheretur, jussit illum in exilium pelli, & ejus loco constituit Patriarcham Alexandrinum, Paulum quemdam Tennisitam, seu ex Tani oriundum, qui à Menna Constantinopolitano ordinatus est. Eum cum militari præsidio Alexandriam deduci præcepit, ubi à nemine receptus est: verùm Alexandrini novum Judam eum esse dicebant. Eo modo per annum integrum Alexandriæ commoratus est, ita ut nullus eum audiret, nullus ab ejus manu communionem acciperet, excepto præfecto, legatoque qui præerat militibus cum eo missis, & qui cum eis consentiebant. Verùm omnes conviciis illum proscindebant: quod cùm Imperatori per literas significasset, eosque illum aversari, & ab eo fugere, sicut oves à lupo fugiunt, Imperator iratus misit alium Patricium cum mandatis quibus jubebat ut Ecclesiæ omnes clauderentur, sigilloque fores obsignarentur, collocatis etiam custodiis, ut nemo ad illas posset accedere. Inde ingens tristitia per totam urbem, cùm Jacobitis ingredi Ecclesias non liceret, adeo ut per annum integrum permanserint absque Eucharistia, neque locum habebant ubi ad orationem convenirent, aut baptismum acciperent. Interea venerunt à Theodosio scriptæ ex loco exilii literæ quibus eos consolabatur, hortabaturque tum ad ferendam persecutionem, tum ad fidem constanter retinendam. Cùm verò tumultus inter eos invalesceret, congregati Sacerdotes, cum Laïcorum præcipuis consilium ceperunt de Ecclesia ædificanda. Igitur novam Ecclesiam struxerunt in latere urbis Occidentali, loco qui *Soüari* dicebatur; alio nomine appellatur *Angelium*. Alii quoque priorum exemplo alteram nomine SS. Cosmæ & Damiani ædificaverunt, ad Orientem Hippodromi, & ad Orientem Phari, quæ absoluta est anno Diocletiani 248°, J. C. *632*°. Mansit Theodosius in exilio annos 28. quorum quatuor transegit in Sahid sive Thebaide. Multas orationes & catecheses aliaque opera scripsit toto Patriarchatus sui tempore quod triginta duorum annorum fuit, fidem Jacobiticam ad obitum usque conservans, qui incidit in 28am mensis Baini. Huc usque ex Severo, cujus prolixiorem narrationem in pauciora verba contractam refert Elmacinus, in omnibus ferme consentiens, nisi quod annum ædificationis Ecclesiarum non assignat, mortem Theodo-

sii Patriarchæ refert ad annum 27um Justiniani Imperatoris, qui est J. C. 553. Porro in illis quæ ex Severo relata sunt satis agnoscitur summa Jacobitarum etiam in rebus suis ignorantia, qui res multis annis transactas, uno spiritu effundunt, tanquam una eademque temporis intercapedine accidissent. Cùm verò plerique Autores Jacobitæ, ipse etiam Eutychius Orthodoxus, Apollinarii adventum referant ante occupatam à Theodosio Sedem Alexandrinam, falluntur proculdubio, seque ipsos satis refellunt, cùm Paulum qui *Tabennesiota* dictus est à celebri Monasterio, ut eum vocat Elmacinus, non *Tennisita*, ordinatum scribunt Theodosii loco. De eo & depositione ejus Liberatus cap. 23°. Missum quoque Constantinopolin Theodosium jubente Justiniano, cùm Calchedonensem Definitionem suscipere detrectaret, in exilium pulsum ubi vitam finierit, scribunt Autores omnes Ecclesiastici. Quod verò in Thebaide exulaverit, ut communis est Jacobitarum traditio, facilè fieri potest, ut vera illa sit, quod ea ratione probari videtur, quia Sahiditæ omnes, præsertim Monachi, eidem sectæ addictissimi fuerunt; atque in ea potissimum Ægypti parte conservata est successio à primis hæreseos Autoribus, usque ad eos qui ex Monasterio S. Macarii & aliis vicinis eruperunt, postquam Muhamedani Ægypto potiti sunt.

Ecclesiarum illarum quæ Theodosii tempore ædificatæ sunt, meminerunt Autores varii rerum Ægyptiacarum, & earum mentio occurret pluribus hujus historiæ locis: Angelii, & istius Ecclesiæ à qua Angelitæ dicti sunt, meminit Timotheus Constantinopolitanus.

De recept. heret. p. 412. Ἀγγελῖται δὲ ἐκλήθησαν, ὑπὸ τῶν ἐναντίων αὐτῶν, ἐκ τοῦ τόπου τοῦ καλουμένου Ἀγγελίου ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, ἐν ᾧ συνάξεις ἔχοντες, οἱ τὰ πρῶτα ἐν αὐτοῖς φέροντες συνάγονται.

Reliqua quæ ad eorum temporum historiam pertinent alibi satis explicata sunt, nec plura habent Jacobitæ. Sunt qui Theodosianos dictos illos fuisse volunt ab isto Patriarcha, quod licèt falsissimum sit, si de tota secta intelligatur, agnoscunt Severus in alio opere de Synodis, Isa filius Zaraa, & quidam alii: hic tamen, ita potius appellatos existimat à Theodosio Imperatore, cujus auspiciis congregata est adversus Nestorium Ephesina Synodus, in cujus fide perseverasse ad hæc usque tempora Jacobitæ sibi videntur. Sed hæc inanissima sunt: neque enim Theodosiani unquam appellati sunt Monophysitæ communi nomine, verùm illi tantummodo qui Theodosio contra Gaianum adhæserunt, aut illi qui dum in exilio Theodosius ageret, seorsim communicabant.

Obitûs dies nempe 28. mensis Baini, seu Bounæ, adhuc celebris est memoriâ Theodosii Patriarchæ, quo etiam die comme-

moratio fit depositionis Nestorii in Coptitarum Kalendario. Abulbircat in Catalogo annos Pontificatûs numerat 22. menses 6. contra aliorum Autorum testimonia : & obitum ejus assignat anno Diocletiani 266°, qui respondet an. J. C. 550° atque adeo triennio abit à calculis Baronii. At eum seriùs obiisse probat Autor novæ historiæ Patriarchalis, nempe an. 567. *Hist. Patr. Alex. p. 344.*

Præter Synodicam ad Severum, citatur ejus Oratio de Trinitate, adversus impios sui temporis, quam pronunciasse dicitur post exilium : item Epistola ad Alexandrinos sibi addictos scripta in exilio.

PETRUS TERTIUS PATRIARCHA XXXIV.

Petrus Pat. XXXIV.

QUÆ ad istius Patriarchæ vitam spectant, ita describit Severus. Cùm in exilium missus fuisset Theodosius, suffectus est in ejus locum Paulus Tabennesiota, Constantinopoli ordinatus. In ea enim Ecclesiæ turbatione Melchitæ hanc consuetudinem habuerunt, ut Alexandriam Episcopos mitterent Constantinopoli à se ordinatos. Cùm verò Paulus infelicem vitæ exitum habuisset, substitutus est ab Imperatore Apollinarius. Ita scripsisse Autorem verisimile est, nam extat illud nomen in aliis libris, & pars ejus in scriptura Arabica quamvis corruptissima agnoscitur. Sed etsi Apollinarium Patriarcham Alexandriæ Orthodoxum fuisse legamus, Theodosii illius hæretici tempore, non sub Timotheo, ut Arabes plerique volunt, tamen Paulo suffectus non est, sed Zoilo qui in ejus depositi & exulantis locum Justiniani mandato ordinatus est.

Hic Apollinarius Ecclesias omnes Alexandriæ occupavit, vetuitque ne ullus Episcopus Jacobitarum in urbe appareret. Erat tunc arctissima conjunctio Antiochenæ illorum Ecclesiæ cum Alexandrina, cùm Theodosius & ejus comites coram Justiniano confessi essent idem se credere ac Severum Antiochenum : suscipereque se omnia quæ Joannes Chrysostomus, & Cyrillus docuissent. Mortuo Theodosio, Apollinarius magnâ lætitiâ affectus est, eaque occasione epulum magnificum sacerdotibus & primariis civibus præbuit, sperans eò faciliùs in ejus sententiam consensuros, quod nullus Episcoporum contrariæ sententiæ Alexandriæ aut Antiochiæ dare se in publicum auderet, ob Imperatoris interdicta. Divinâ porro clementiâ factum aiunt, ut præfectus Alexan-

driæ designaretur homo à secta illorum non alienus, cujus consilio & patrocinio ordinaverunt sibi Patriarcham loco Theodosii defuncti. Accersitis igitur in Monasterium quoddam tribus qui latebant in inferiori Ægypto, Episcopis, ordinatus est Sacerdos quidam, nomine Petrus, ex eodem ascéterio, quod *Zejage* vocant. Is cùm Apollinarii metu in urbem introduci non posset, novem ab ea milliaribus sedem suam constituit. Illuc Jacobitæ quæ Patriarchæ suo ad vitam necessaria erant, deferri curabant. Hæc secreta Petri ordinatio cùm Apollinario renuntiata esset, vehementer iratus, de ea ad Justinianum scripsit: sed priusquam literæ ad Aulam pervenissent, funesta morte extinctus est, qualis, inquiunt, Herodis fuit.

Petrus cùm inter alias animi dotes, magnam scientiæ divinarum rerum existimationem haberet, quæsivit inter Ecclesiasticos hominem Canonum peritum, qui sibi Syncelli & Secretarii loco esset. Indicaverunt ei Damianum, Ascetam in Monasterio Tabor, quem secum habuit, ita tamen ut quia Patriarchæ tutum non erat in publico videri, aut Alexandriam ingredi, maneret in Monasterio, tanquam Episcopus.

Fuisse tunc ait Severus sexcenta Monasteria in Ægypto, tam virorum quàm fœminarum, præter ea quæ in agris erant *Scatina* dicta, quæ vox quid significet ignoramus: quamvis eam à Græca Σκήνη, quæ aliquando Cellam anachoreticam significat, deductam conjicere proclive sit. In omnibus illis erant Orthodoxi, hoc est Jacobitæ, qui sub autoritate Petri Patriarchæ vivebant. Porro cùm Antiocheni ejusdem sectæ audivissent Alexandrinos Patriarcham sibi constituisse, elegerunt quoque in Severi locum Theophanem, quem in Monasterio Ammonii ordinaverunt, ubi sedem collocavit; neque enim Antiochenis Jacobitis major libertas quàm Alexandrinis erat, adeo ut Patriarchæ duo in Monasterio extra urbes proprias sedem haberent. Petrus obiit cùm sedisset annos duos, 25° mensis Baini: quo die notatur ejus commemoratio in Kalendario Coptitarum. Elmacinus, Chronicon, Makrizius, & alii consentiunt de Pontificatûs biennio, & die obitûs. At Canon Chronologicus apud Abulbircat menses tantùm decem ei adscribit, contra aliorum testimonia.

DAMIANUS

DAMIANUS PATRIARCHA XXXV.

Damianus Patr. XXXV.

PETRO mortuo suffectus est à Jacobitis Damianus Diaconus ex Monasterio Tabor, vir potens opere & sermone, qui monasticam vitam in deserto vallis Habib ab ineunte ætate professus, sub disciplina Archimandritarum per annos septemdecim institutus fuerat. Postea à Petro prædecessore suo adsumtus in Syncellum, post ejus mortem ordinatus, in Monasterio Montis Tabor habitu episcopali sumto se continuit, vacans scribendis sermonibus spiritualibus, tum mystagogicis, nempe Catechesibus: præter Eortasticas, seu Paschales, aliasque Ecclesiasticas Epistolas. Venerunt ad eum hæretici, disputandi gratiâ, quos adeo solidè refutavit, ut omnia eorum argumenta, tanquam aranearum telas, facilè dissolverit.

Acephali Sacerdotes Episcopum sibi ordinant.

Anno 8° Patriarchatûs ejus, Acephali ex eorum reliquiis qui à Petro Moggo secessionem fecerant, cùm apud illos quatuor tantùm sacerdotes superessent, diabolo inspirante, habitis inter se consiliis statuerunt ut unum ex se Episcopum crearent, ne perirent prorsus, quandoquidem jam dudum absque Episcopis erant. Habitabant autem in Orientali parte Ægypti; atque ita seniorem quatuor illorum sacerdotum, nomine Aristocham, ordinaverunt tres reliqui. Alii ex eadem secta qui erant in Occidentali parte, indignati quòd se inconsultis Episcopum ordinassent, ab illis secessionem fecerunt; & alium sibi Episcopum ordinaverunt.

Mauricius Jacobitis infensus.

Eo ferme tempore Mauricium Severus refert ad Imperium pervenisse, qui Jacobitis infensissimus fuit. Eorum quoque res turbatæ per intermissionem antiquæ communionis inter eorum Ecclesiam Antiochenam & Alexandrinam; eò quòd Petrus qui Theophilo, inquit Severus, successerat, in Synodica Epistola quam ad Damianum scripsit, nova quædam contra fidem Trinitatis inseruit, quem cùm ad saniorem mentem reducere Damianus non potuisset, magna inter utramque Ecclesiam contentio exarsit, adeo ut demum post annos viginti, hæretici illius morte finita fuerit. Sane post Petrum Fullonem nullum Petrum Patriarcham Antiochenum historia nobis repræsentat. Ut hæc de Petro Apameno accipiantur, non permittit temporum ratio. Itaque hæc in obscuro sunt, ut reliqua illius Patriarchæ historia, cujus tempore ait Severus floruisse multos Episcopos virtute conspicuos, inter

quos numerat, Joannem Borlesitam, hoc est Paraloi Episcopum, Constantinum, Callistum & alios, de quibus nihil occurrit. Damianus orationis assiduitate, jejuniis & laboribus in ætate ingravescente confectus, in paralysin incidit, & obiit 18ª mensis Baini, cùm 36. annis Jacobiticæ Ecclesiæ præfuisset : atque ita ejus obitus incidit in annum J. C. 591um, Mauricii Imperatoris 6um. Verùm hæc & pauca quædam alia quæ ex Jacobitarum traditione ad obscuri illius temporis historiam sciri possunt, adeo ignota & notis certis temporum destituta sunt, ut de illis statui vix quidquam queat.

In Canone Chronologico apud Abulbircat, contra Severum, Elmacinum & Makrizium sedisse tantùm dicitur an. 24. mens. 10. obiisseque an. 309° SS. Martyrum, qui respondet an. J. C. 593° : atque ita numerus qui in illo usurpatur, propius accedit ad Chronologiæ veritatem, cùm in aliorum Patriarcharum annis nulla omnino eum conciliandi via reperiatur.

In Kalendario Coptitarum ad 18. mensis Baini notatur memoria Damiani Patriarchæ Alexandrini, serpentum interfectoris, quæ denominatio fortassis referenda est ad aliquam historiam quæ nobis incomperta est.

Concilium V. Oecumenicum. *Eutych. t. 2. p. 171.*

Sub hoc Patriarcha vel sub ejus prædecessore, nam Autores variant, habitum fuit Concilium quintum Oecumenicum, anno Justiniani 27°, ut scribit Eutychius, nempe an. J. C. 553°, quo ut superiùs observatum secundùm Elmacinum, & Autores quorum calculos sequitur Chronici Autor, Menbigensem & alios, mortuum esse agnôscunt Theodosium Patriarcham. Ratio diversitatis est, quia multipliciter ab illis erratum est in supputatione annorum Æræ Diocletiani. Nam secundùm Canonem Chronologicum quem exhibet Abulbircat, obitus Theodosii incidit in an. ejusdem Æræ 263um, J. C. 547um, qui non est Justiniani 27us, sed 21us. Cùmque Petrus qui ei successit, duos tantùm annos Sedem Alexandrinam tenuerit : imo vix annum integrum, si Canonem Abulbircat sequimur, idcirco secundùm eorum Chronologiam Synodi Constantinopolitanæ initium incidet in Patriarchatum Damiani qui longissimi temporis fuit.

De eo Concilio cujus nulla apud Jacobitas autoritas est, silet Severus, sed nec ab antiquioribus Jacobitis, qui etsi in illo probant damnationem errorum Origenis, & aliorum qui Eutychis & Apollinarii hæresin sequebantur, & phantasticam existi-

mabant fuisse totam Jesu Christi Domini dispensationem, seu ἔνσαρκον οἰκονομίαν, tamen quòd in eodem confirmata fuerit Calchedonensis fides, duarumque naturarum sententia, illud aspernantur, & condemnant. Quocirca nulla illius ut neque Calchedonensis mentio est aut in Diptychis aut in Canonum Collectionibus, etsi quosdam ex illis qui Quinisexti Concilii dicuntur Canones, nam in 5° nulli editi sunt, suos in Codices transtulerint. Attamen Elmacinus, etsi Jacobita, illius meminit, sed ex Eutychio transcriptis quæ ad rerum adversus Hæreticos gestarum memoriam pertinebant. Inficeta sane admodum & turbata narratio est, quam tamen quia omnes Orientalium libros pervasit, nec de ea Synodo præterea quidquam sciunt, ex Eutychio referemus. Fuit, inquit, tempore Justiniani Imperatoris Origenes Episcopus Manbagensis, seu Menbigensis, hoc est Hierapolitanus, qui Metempsychosin asseruit, resurrectionem negans. Fuerat etiam Ibas Episcopus Rohensis, seu Edessenus, Thadæus Episcopus Messissæ: legendum Theodorus, Episcopus scilicet Mopsuestiæ, quam Arabes Messissam appellant, Theodoretusque Episcopus Ancyrensis; sed potius Cyri, qui asseruerunt corpus Christi Domini phantasticum fuisse, seu imaginarium, nihil in se veri habens. Quorum sententiâ auditâ mittens Imperator, ipsos Constantinopolin accersivit, ipsis ac Eutychio Patriarcha convenire jussis: & post pauca subjungit, illos ab ipso excommunicatos fuisse. Jussit etiam Imperator indici Concilium, in quo anathemate ferirentur: scriptis idcirco ad quatuor Patriarchas literis, nempe Apollinarium Patriarcham Alexandrinum, Domnum Patriarcham Antiochenum, Eutychium Hierosolymitanum, & Vigilium Romanum, ut Constantinopolin venirent, & istorum Episcoporum damnationi adessent. Interfuit huic Concilio Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus. Non adfuit quidem Patriarcha Hierosolymitanus, sed qui locum ejus tenerent, misit. Ita nec interfuit Patriarcha Romanus, nec suo nomine Vicarium legavit: cum ipsis tamen consensit, eorumque sententiam amplexus est. Fuit numerus Episcoporum qui in hoc Concilio quinto convenerunt, centum sexaginta quatuor: illi in Episcopos istos & omnes qui idem cum ipsis assererent, anathema dixerunt, scilicet in Origenem Episcopum Manbagensem, Theodorum Mopsuestenum, Ibam Edessenum, & Theodoritum Cyrensem. Definierunt corpus Christi Domini nostri verum fuisse, non phantasticum; esseque ipsum Deum perfectum & homi-

T. 2. p. 171. & seq.

nem perfectum, in naturis duabus, voluntatibus duabus, duorum generum actionibus, vel potius operationibus duabus, & personâ unâ agnitum: confirmarunt etiam sententiam quatuor Conciliorum præcedentium. Ita paucioribus verbis Elmacinus, & nonnullis immutatis Makrizius, sed ita ut Concilium referat ad Theodosii Patriarchæ tempora.

Insulsa narratio de Concilio quinto Oecumenico.

Quàm verò falsa sit hæc Eutychii narratio omnes satis agnoscunt. Origenes enim de cujus doctrina quæsitum est, & in quem anathema pronunciatum à Synodo, non alius fuit à famoso illo Adamantio qui aliquando Hierapoli vixisse potuit, sed nunquam illius urbis fuit Episcopus, aut ultra Presbyterii gradum promotus est. *Menbige* seu *Menba* esse Hierapolin docent nos Geographi, & probavit Jacobus Golius; sed uno simplicique argumento demonstratur, quia famosus ille inter Jacobitas Philoxenus, Xenaias aliter dictus, qui tot turbas in Oriente excitavit, cùm esset Hierapoleos Episcopus, semper ab Arabibus vocatur Episcopus *Menbige*, & à Syris *Mabouge*. Illud æquè ridiculum quòd Origenem, Theodorum Mopsuestenum, Theodoritum, & Ibam, tanquam viventes ad Concilium vocati dicuntur esse, cùm ante multos annos in vivis esse desiissent: neque de metempsychosi, aut veritate resurrectionis ullatenus agebatur, sed de Origenis aut Origeni attributis erroribus: quæ omnia Orientales non satis intellexerunt. Reliqua spectabant famosam de tribus Capitulis quæstionem, in qua etsi judicium quintæ Synodi penitus ignorasse videntur Orientales, præsertim Jacobitæ, illud tamen omnino secuti sunt: Nam circa Origenem, ne dubitari quidem volunt non modò multis illum & quidem gravissimis erroribus contaminasse Orthodoxam fidem; sed, ut in Demetrii vita observatum est, literales ejus in scripturam Commentarios, tum labores immensos in sacris literis ex diversarum Editionum collatione illustrandis, ita acceperunt, ut eum ad Judæos defecisse, & veterem de Propheticarum in Christo consummatione sanctorum Patrum doctrinam corrupisse existimaverint. Atque hæc semper fuit communis omnium, præsertim Alexandrinorum, de Origene opinio. Theodorum Mopsuestenum non modò damnant, sed velut semi-Judæum execrantur, & mira de eo narrant Autores gravissimi, qualis fuit inter Jacobitas Dionysius Barsalibi, in Tractatu adversus Nestorianos. Hi soli eum in pretio habent, & quasdam ex ejus in scripturam commentariis particulas conservant, quarum nonnullæ

Not. ad Alfrag.

in Evangelia extant in Bibliotheca Seguieriana. Memoriam ejus agunt Nestoriani, & eum *Interpretem* per excellentiam vocant. Ibam Edessenum, & Theodoritum Nestorianis Jacobitæ quoque accensent, & ipsi Nestoriani licèt immeritò, eos ultimo excepto inter sectæ suæ Doctores numerant: tantam quippe in antiquarum rerum historia caliginem patiuntur, ut major esse non possit, etsi Melchitæ plura scire potuerint, quàm Jacobitæ aut Nestoriani. *Hebed Jesu. Kal. Nestor. Abu.birtat.*

Autor Melchita Collectionis Canonum quæ extat in Bibliotheca Regia, & in Colbertina, cum titulis Conciliorum Græcis, quod in ejusmodi libris rarissimum est, nihil habet in Græco titulo de Origene illo Hierapolitano, sed tantùm in Præfatione Arabica, ubi nomen illud mirum in modum depravatum est, vocatur enim *Arganalius.* In Græca Synopsi dicitur congregata fuisse Synodus contra sectatores Nestorii, & contra Origenem qui asserebat προύπαρξιν seu præexistentiam animarum: confirmasse sententias præcedentium Conciliorum, circa Nestorii hæresin, definivisse B. Mariam esse matrem Dei, anathemaque Nestorio & Origeni dixisse, quibus addit Arabica Præfatio, Arganalium illum Menbigensem seu Hierapolitanum, Theodorum Mopsuestenum, Theodoretum Cyri, Ibam Edessenum.

Ad eadem quoque tempora referunt Eutychius, Ebnassalus, Elmacinus, Makrizius, & omnes tandem quoscumque vidimus Autores Orientales, initia hæresis Monothelitarum, in quo longe abeunt à communi Græcorum & Latinorum historia. Illi Sergium Constantinopolitanum Episcopum & Cyrum Alexandrinum veluti primos illius architectos agnoscunt: Orientales Maronem quemdam Syrum Monachum qui sub Mauricio Imperatore vixit, & urbium Hamæ, Kennaserin, Awasim, & aliorum vicinorum in Syria locorum incolas ad suam sententiam perduxit: cui sectatores ejus eo mortuo Monasterium extruxerunt, quod vocatur Maronis, & ab eo dicti sunt Maronitæ. Ita Eutychius, Elmacinus, Ebnassalus in Collectione, Autoresque de hæresibus varii, cujuscunque sectæ sint. Adeo verò invaluit apud omnes hæc opinio, ut si recentiores Maronitas exceperis, concordia de hujus hæreseos origine mira sit inter Autores, unde nec aliud nomen habent, quo Monothelitas designent præterquam Maronitarum. Ea ratione dum Cyrum, Pyrrhum, Macarium & alios Monothelitas nominant, Maronitas fuisse dicunt. Imo ne quidquam dubii superfit, aut id ex eorum ignorantia factum esse videatur, obstat lu- Monothelitarum initia. *Eutych. t. 2, p. 191.*

culentum Ebnassali testimonium, qui de Maronitis agens, eosque à Melchitis qui sunt Græci Orthodoxi, & à Francis qui sunt Latini, distinguens, observat eos nuper ad Francorum religionem transivisse. Cùm verò hæc scriberet, habebat in animo eorum ad Catholicam fidem conversionem per Aimericum Antiochenum Patriarcham, de qua Willelmus Tyrius testis omni exceptione major verba faciens, eos à Monothelitica hæresi resipuisse confirmat.

Vuill. Tyr. l. 22. c. 8.

Maronitæ recentiores negant.

Præf. Gram. Syr.

Præf. in Psalt. Syr.

Faust. Naironus Dissert. de Maronitis Romæ 1679.

Attamen adversus tot certa testimonia exclamatur à recentioribus Maronitis, quorum primus, aut saltem inter primos qui suos populares Libaniticos ab omni hæreseos suspicione purgari voluit, Georgius Amira Edeniensis fuit, vir doctus & pius: quem secuti sunt, Joannes Hezronita, & Gabriel Sionita in libello de Moribus Orientalium, Abraham Echellensis passim; tandemque ejus in Cathedra Arabica Collegii Sapientiæ successor Faustus Naironus in Dissertatione de origine, nomine ac religione Maronitarum Romæ edita an. 1679. & in alio cui titulus *Euoplia Fidei Catholicæ Romanæ*, ibidem edito an. 1694. In utroque illo opere argumenta omnia collegit, quæ alii ante ipsum leviter admodum attigerant: cùmque eum premeret Willelmi Tyrii autoritas, curam omnem adhibuit, ut eum non tam proprio quàm Eutychii judicio quem legerat, ea scripsisse quæ Maronitas suspectos Monotheliticæ hæreseos redderent, demonstraret. Adducit in hanc sententiam Autores aliquot, ex quibus probare conatur Maronitas semper Catholicæ fidei fuisse defensores acerrimos, pugnasse contra Jacobitas & Nestorianos sub auspiciis sancti Maronis Abbatis, cujus nomine celebre extabat circa Apamæam Monasterium, quod Archimandritas habuit zelo fidei Orthodoxæ conspicuos. Nomen istud Maronitarum ad omnes deinde Orthodoxos Syros pervenisse. Hæc & alia multa hujus generis Autor ille producit, ita ut caritas in patriam, majoresque suos, bonum civem fuisse non obscurè demonstret; rationes tamen ejus & autoritates non plane rem expediant. Verùm cùm totam originum illarum disquisitionem instituerimus in singulari de Maronitis Dissertatione, ad eam remittimus, pauca tantùm quæ ad hunc locum pertinent designasse contenti. Ea verò sunt quòd Eutychius Alexandrinus Orthodoxus cùm esset, accusandi de hæresi gentem tot laboribus de Ecclesia bene meritam, causam habebat omnino nullam; Jacobitæ contrà, quibuscum Eutychio commune nihil erat,

Muhamedani quibus utraque pars eodem erat loco, eamdem historiam tanquam verissimam secuti sunt : quam tandem Willelmus Tyrius testis oculatus confirmavit : neque enim falli poterat, circa conversionem totius populi Maronitici ex hæresi Monothelitarum, si ea falsa fuisset. Autores verò quorum testimoniis pugnat Naironus, aut ignotissimi sunt, aut recentissimi, præterquam quòd in eorum narrationibus non pauca occurrunt, quæ ad tempora quibus scripsisse perhibentur, pertinere nulla ratione possunt. Verùm de his plura alibi; sufficiat hoc loco traditionem Orientalium de Maronitarum initiis ex eorum sententia significasse.

Damianum hunc, cujus vitam scripsimus, eum esse cujus mentio est apud Timotheum Constantinopolitanum, à quo Damianitæ dicti sint, qui etiam *Angelitæ* ab Angelio ubi Jacobitæ Ecclesiam ædificaverant, verisimile prorsus est. *Mon. Eccl. Gr. t. 3. p. 412.*

De Patriarchis Orthodoxis, cùm Jacobitæ nihil scribant, eos enim ut invasores & hæreticos detestantur ad eorum res illustrandas, nullum est in historicis Orientalibus subsidium : nam Eutychius ipse eorum successor vix nomina eorum fideliter refert. Igitur quæ ad Chronologiæ illorum temporum rationes spectant, peti possunt ex Historia Chronologica à Bollandianis sociis edita, in qua hæc accuratè tractantur. *Hist. Patr. Chron. §. 349. & seq.*

ANASTASIUS PATRIARCHA XXXVI.

ANASTASIUS Pat. XXXVI.

POST Damiani mortem constitutus est à Jacobitis ejus loco Anastasius Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, quem à doctrina scripturarum, zelo fidei Jacobiticæ, animique fortitudine commendat Severus, eo potissimum quòd cùm Melchitæ seu Orthodoxi omnes Ecclesias obtinerent, neque Jacobitas præsertim Episcopos in urbe versari paterentur, ipse tamen nihil veritus in eam ingressus frequentes Sacerdotum imò & Episcoporum ordinationes secundùm Ecclesiasticum Canonem fecerit; multos etiam ad suam fidem cohortationibus & disputationibus adduxerit. Sacerdotes præposuit duabus Ecclesiis Angelii, & Cosmæ & Damiani, quas Jacobitæ ædificaverant, tum etiam Monasteriis Virginum, & multis aliis. Cœpit quoque ad alias Ecclesias construendas animum adjicere, quarum una fuit Michaelis nomine.

Interea magnas turbas perpessus est à Gaïani sectatoribus, qui duos illic Episcopos ab eo ordinatos habebant : quorum nomina *Eulogius Alexandrinus Patr. Orthodoxus.*

Phot. Cod. 230. Eutych. t. 2. p. 195.

Severi Codex MSS. exhibet quidem, sed ita corrupta, ut legi aut divinari non possint. Plura adhuc passus est ab Eulogio Calchedonensi, nempe pio illo & legitimo Antistite Alexandrino, qui, ut scribunt, nihil non egit ut eum perderet.

Id. 208. 211.

Eo tempore Phocas ex Patriciorum ordine præcipuus, adversus Mauricium rebellavit, & eum occidit. Eo regnante, quidam Patricius qui in Ægypto erat, cùm audisset quæ Anastasius egisset, plenas calumniæ & mendacii ad Phocam literas scripsit, inter alia significans quòd cùm à suis ordinatus fuisset in Ecclesia Joannis Baptistæ, statim anathema in Imperatorem & Synodum Calchedonensem pronunciasset. His auditis, Phocas Præfecto Provinciæ mandavit, ut Ecclesiam Cosmæ & Damiani, omniaque ad eam spectantia Anastasio ablata, Eulogio traderet.

Synodica Epistola ad Antiochenos.

Cùm vehementer optaret ut scissio jam à tempore Petri Antiocheni Episcopi, illius quem superiùs diximus, qui errorum circa Trinitatis mysteria gravissimorum ab eis accusatur, quæ Alexandrinæ Ecclesiæ cum Antiochena communionem sustulerat coalesceret, statim atque audivit, sedisse illius loco Athanasium virum doctum & sincerum, cujus inter alia extabat oratio de Severi Antiocheni laudibus, ut ejus benevolentiam colligeret, primus ad eum scripsit Synodicam de fide Epistolam. Eam Athanasius cum gaudio suscepit, convocatisque Episcopis suis eam ipsis exhibuit, præfatus de antiqua utriusque Ecclesiæ concordia, à tempore Severi & Theodosii, & antiquissimæ inter Petrum Apostolum fundatorem Ecclesiæ Antiochenæ, & Marcum primum Alexandrinæ Episcopum, familiaritatis. His auditis, consenserunt Episcopi ut Synodica susciperetur, arctiorque inter utramque Ecclesiam societas contraheretur. Athanasius Patriarcha assumtis secum Episcopis quinque, Alexandriam navigavit, ut Anastasium inviseret, qui tunc erat in Monasteriis, unde ad suscipiendum Anastasium, qui eò profectus erat, pedes egressus, occurrit ei cum Hymnis & Canticis. Mox in Monasterium quod erat ad litus maris Orientale diverterunt: in quod Anastasius Sacerdotes Alexandrinos convocavit, ut simul sacra celebrarent, sacrisque mysteriis communicarent. In eo Episcoporum Sacerdotumque concilio verba fecit Athanasius, multis extollens consensum duarum Ecclesiarum, in unam fidem. Mansit deinde cum Anastasio per mensem, & postea in urbem suam reversus est. Ab eo tempore summa inter Antiochenos & Alexandrinos Jacobitas concordia servata est, imò ad hanc usque

usque diem. Inde etiam quasi lege, stabilita est consuetudo religiosè in utraque Antiochena & Alexandrina Jacobitarum Ecclesia dudum servata, ut novi Patriarchæ alter ad alterum scriberent, statim postquam ordinati erant, literisque illis quæ non tam privatim, quàm publicè scribebantur, fidei professio continebatur. Illæ legebantur in Episcoporum præsentium ad Ordinationem Synodo; atque ea ratione Synodicæ appellabantur, magnamque habebant inter Jacobitas autoritatem. Inde factum ut servatæ sint in Ecclesiarum tabulariis, & ex illis varia testimonia à Theologis proferri solent, præsertim in libro cui titulus *Fides Patrum*. De illis sæpe dicetur inferiùs.

Anastasius toto Pontificatu suo pacem habens, totus fuit in scribendis, Sermonibus, Catechesibus Mystagogicis, Epistolisque Paschalibus, & aliis ejusmodi. Obiit cùm sedisset annos 12. 22ª mensis Cohiac, anno 330° Diocletiani; quod legitur etiam apud Makrizium: & Elmacinum, qui omnia ex Severo transcripsit; neque enim qui de rebus illius sæculi scripserit præter illum, alius reperitur. Cùm autem sub Eulogio Alexandriæ Orthodoxo Episcopo res Ecclesiæ florentissimæ forent, neque ullam hæretici haberent in urbe autoritatem aut libertatem, quæcumque ab isto Pseudopatriarcha Anastasio gesta sunt clanculùm, vel cum Athanasio Jacobita Antiochenæ Sedis invasore transacta, apud antiquiores Autores vix reperiuntur. Quod porro à Gaïanistis turbas sustinuerit, ut fatetur Severus, argumento est Jacobiticam Ecclesiam, non ut ipse & alii suadere conantur, in pace fuisse, cùm multis inter unius naturæ defensores, hostesque fidei Calchedonensis schismatibus turbata fuerit, de quibus præter Liberatum, Leontium Scholasticum & alios fusè loquitur Timotheus Presbyter Constantinopolitanus in libro de Receptione hæreticorum, quem edidit Cotelerius. *Eccles. Græc. Monum. t. 3.*

Anastasii Patriarchæ Alexandrini commemoratio assignatur 22ª mensis Cohiac in Kalendario Coptitarum, qui dies respondet 18ª Decembris in Canone Chronologico Abulbircat: sedisse dicitur ann. 11. mens. 6. ordinatus fuisse mense Abib, seu Epipi, qui incipit à 25. Julii, an. Martyrum 309. obiisse 22. Kohiac, an. ejusdem Æræ 320°. qui calculus decennio differt ab eo Severi, Elmacini & Makrizii. Annus 320us Martyrum respondet anno J. C. 604°: annus 330us J. C. est 614us. At Severi numerus potior est, cùm ut ex eodem mox dicetur, Persæ Ægyptum ingressi fuerint sub An-

dronico ejus successore, quæ clades ad an. J. C. 615um, Heraclii 6um pertinet, quo Cosroes Ægyptum & Africam populatus est.

ANDRONICUS P. XXXVII.

ANDRONICUS PATRIARCHA XXXVII.

POST Anastasii mortem à Jacobitis in Sede Patriarchali collocatus est Andronicus Diaconus Ecclesiæ Angelii, vir doctus, pius, dives, & erga pauperes beneficus. Cùm verò ex præcipua Alexandrinorum nobilitate originem duceret, adeo ut quidam ejus affines magistratum obtinerent, inter alios frater ejus patruelis ob ejus dignitatem & autoritatem, non potuerunt Orthodoxi obtinere, ut Andronicus urbe pelleretur, & in Monasteria se reciperet, quod decessores ejus fecerant: & in cella ad Ecclesiam Angelii habitavit, toto Patriarchatus sui tempore.

Persæ Ægyptum vastant.

Verùm ingens calamitas non modò Ægyptum, sed Syriam, Palestinam & Africæ magnam partem oppressit, Persarum Rege Cosroe, quem *Perwiz* ad aliorum discrimen appellant, eas provincias invadente, magnamque ubique Christianorum stragem faciente. Sexcenta erant circa Alexandriam aut in vicinis locis Monasteria quæ vastata sunt, adeo ut deinde restituta pauca admodum fuerint. Octoginta Alexandrinorum millia cæsa fuisse scribit Severus: Monachos præterea septingentos. In tanta tamque gravi calamitate Andronicus, cùm sex annis Jacobiticam Ecclesiam gubernasset, obiit 8^{a} mensis Tybi, anno Martyrum 325°, si Canoni Chronologico credendum est: sed qui proculdubio erratis plenus est: nam si eo anno qui est Christi 609us obiit Andronicus, cladem Ægypto à Persis illatam non vidit: quod tamen Severus, Elmacinus, & alii testantur.

Cedr. p. 408.


De illa Persarum expeditione scripserunt Theophanes, Cedrenus & multi alii, eamque contigisse anno Heraclii sexto vulgaris Græcorum opinio est, sub Cosroe rege qui Perwiz cognominatur: Eutychius omnia turbat. De Persarum Regibus fuisset fortasse dicendi locus, cùm eorum historia nonnihil juvari ex Orientalibus libris queat, & Eutychius multas passim ejus lacinias operi inseruerit suo, quibus tamen meliora sunt ea quæ ex Emir-Condo, & Cond-Emiro, tum aliis Persicis Autoribus conquiri possunt, præsertim, cùm in propriis nominibus peccata multa sint à Librariis, quæ doctissimus Interpres neglexit. Sed cùm ea vix ad Alexandrinæ Ecclesiæ res pertineant, omittere visum est, cùm

Eutych. t. 2. p. 219.

in Epitome Historiæ Nestorianorum, quorum majores sub illis Regibus vixerunt, eorum seriem accuratam daturi simus.

De Andronico plura non suppetunt: nam quod in Synaxario illo Æthiopico ex quo Ludolphus multa viro eruditissimo Danieli Papebrochio transmisit, Ecclesias ædificasse Christianis, & Idolorum templa destruxisse dicitur, primum valde dubium est, cùm Severus & alii nihil simile scripserint; nec videtur id tulisse turbatissima rerum conditio. Unde suspicari possumus, ad Andronicum retulisse Poetas illos quæ ad ejus decessorem Anastasium pertinerent. Alterum, quòd Idolorum templa everterit, quæ dudum in Ægypto nulla erant, absurdissimum est; præsertim cùm talem potestatem, homo hæreticus, Præfecti patrocinio destitutus, & per leges Imperiales proscriptus, habere non potuerit; cùm satis illi foret, affinium beneficio, in urbe manere. Sed nulla, ut alibi diximus, Synaxarii illius autoritas est, nisi quando cum Historia Ægyptiaca consentit. Unde multa quæ ex eodem referuntur, consultò prætermisimus, tum ob eorum futilitatem, tum quòd ex ipsa versione (illam quippe cum Manuscriptis conferre tanti non erat) multa deprehendimus, in quibus hallucinatum esse interpretem certissimum est. Neque potior censeri debet Kalendarii Æthiopici autoritas, quod à Ludolpho compositum potius quàm ex veteri, & bonæ notæ exemplari transcriptum fuit: ita nempe ut ex Synaxario nomina sanctorum colligeret, & in latercula digereret, adjuncto Kalendario Seldeniano, hiulco multis in locis & imperfectissimo, ut ex comparatione constat quam cum aliis accuratè scriptis fecimus. Quod si ingenuè fassus, historiam Alexandrinæ Ecclesiæ frustra quæri apud Æthiopes, qui neque ipsam suam satis compertam habent, collectaneis inficetis viros doctissimos lactare noluisset, consultiùs, opinor, fecisset. Id porro ex sequenti parte historiæ fiet manifestum.

Hist. Patr. Alex. f. 365.





HISTORIÆ
PATRIARCHARUM ALEXANDRIÆ JACOBITARUM
PARS SECUNDA.
A Muhamedanorum Imperio ad postrema tempora.

BENJAMIN PATRIARCHA XXXVIII.

Status Ecclesiæ Jacobiticæ sub Muhamedanis.



NOVUS jam nobis rerum ordo nascitur, cùm sub isto Patriarcha dominos Ægyptus mutaverit, avulsaque à Romano Imperio, Arabibus, non feritate modò & crudelitate, sed nova eaque teterrima omnium superstitione detestandis, servire coacta est: quam servitutem jam ab annis plusquam mille non modò Jacobitæ qui eam blasphemiis suis, & Ecclesiarum divisione accersiverunt, sed omnes Christiani serviunt. Ab illa tristissima Epocha, omnium Ecclesiasticarum rerum immutatio facta est: hæreses per Imperatorias leges coercitæ, sed ita ut dum in urbibus extinguerentur, in Monasteriis Thebaidis scintillæ hujus incendii revivíscerent, jam caput erigere cœperunt, & communi libertatis jure quam Muhamedani omnium religionum contemtores, Christianis cujuscumque sectæ concedebant, Jacobitæ

eo jam loco esse cœperunt, ut æqualem imò & statim majorem Orthodoxis haberent autoritatem. Inde cœpit Alexandria duos habere Patriarchas, Orthodoxum qui vulgò Melchitarum appellatur; & hæreticum, Jacobitarum, quæ unius Cathedræ divisio ad ultima ista tempora perseverat. Nam Joanni ἐλεήμονι, qui paulò ante Muhamedanorum Imperium floruit, successerunt Græci Antistites, qui post annum millesimum & centesimum Constantinopolitano Patriarchæ, non minus quàm omnes alii Græci Episcopi, ita paruerunt, ut plerosque ritus antiquos Alexandrinæ Ecclesiæ proprios, Constantinopolitanis mutaverint. A Benjamino, cujus mox historiam dabimus, successionem ducunt Coptitæ omnes Patriarchæ, qui quantùm adipisci potuimus, jam ab illo sæculo omissis Græcis ritibus, Copticis uti cœperunt: atque ita præter fidei diversitatem, novum adhuc inter duas illas Ecclesias linguæ discrimen inductum est, cùm alii Græcè, alii Copticè sacra faciant.

Orta est sub Heraclio Imperatore ingens illa Orbis Christiani calamitas, quæ ab anno quo Muhamed Pseudopropheta Mecca Medinam fugit, initium ducit. Is annus est 1us Muhamedanorum Imperii, nempe Hegiræ, ut vulgò dicunt, seu fugæ Muhamedis, qui incipit à 15ª Julii, anno Æræ Christianæ 622°, qui erat annus Alexandri 934us juxta accuratissimas Joannis Grævii Tabulas, 933° secundùm Eutychium: Diocletiani seu Martyrum secundùm eumdem 338°, qui numerus exactè convenit cum illius Epochæ initio, quod ut superiùs observatum, ab an. 284° J. C. seu 1° anno Diocletiani ducendum est, non à primo persecutionis, ut volebat Ignatius Antiochenus Patriarcha, cujus literarum fragmentum Josephus Scaliger edidit, & quem temerè magno operis sui detrimento secutus est.

Muhamedanorum initia.

Emendat. Temp.

Quæ ad Muhamedis primordia pertinent, quantùm ad hujus nostræ historiæ intelligentiam necesse est, paucis exponemus. Natus est Muhamed inter Arabes Scenitas illos, quorum vita pastoricia fuit: quique nec literis, nec religione exculti in summa libertate vivebant, pascuis, negociationibus, latrociniis, mutuisque sæpe inter se bellis occupati. Longam ab Ismaele genealogiam ejus Historici exhibent, ex qua nobilem inter Meccanos fuisse apparet, eum mulieris opulentæ matrimonio adauctis divitiis animum ad mercaturam adjecisse, & usque ad annum 40um ætatis, nihil minus quàm Prophetam fuisse. Postea tandem cùm Medi-

nam fugere coactus esset, ob venditatam prophetiam viris stolidis, ferocibus, & ad omne nefas paratis facilè persuasit, divinitus se inspiratum, ut ab Idololatria superstitiosoque syderum cultu, quibus Arabes addictissimi erant, eos ad unius veri Dei cognitionem adduceret: præsertim cùm suos hortaretur, ut sive Judæos, sive Christianos, aut Gentiles, contumaces adversus propositam à se novam religionem reperirent, eos armis aggrederentur & internecione delerent. Ita paucis admodum annis, lacerato undique Romano Imperio, pestis illa totum ferme Orientem invasit.

Eorum religio. Doctrinam Muhamedis satis multi explicaverunt apud nos, atque inter alios præcipuè qui est in omnium manibus, Eduardus Pocockius, in specimine Historiæ Arabum, quod opusculum omnium loco esse potest erga illos, qui Autores ipsos Arabicè scribentes consulere non possunt. (*Specim. Hist. Arab.*) Quod verò Alcorani putidissimo libro pleraque fidei eorum dogmata contineantur, ita intelligendum est, ut sicut ex sacra Scriptura sectæ omnes, opiniones suas probare satagunt, ita quoque Muhamedani inter quos sectæ olim diversissimæ fuerunt, ex illo libro deducant omnes fidei suæ, jurisque regulas. Hunc, quæ est prurigo nostri sæculi, ab omnibus olim explosum multotiesque confutatum, cùm errores turpissimos circa veteris novique Testamenti historiam contineat, & infinitam rerum ridicularum copiam: sunt tamen qui mirari nos velint, quia scilicet audiverunt, stupori fuisse Arabibus naturalem quamdam facundiam, quæ non sine miraculo eos ad credendum compulerit. Possunt qui Arabicè nesciunt Versionem Gallicam Andreæ du Ryer, quæ omnium præstantissima inter vernaculas fuit, consulere; ita tamen ut Maraccii Latina, Patavii cum commentariis edita, eam longe superare censenda sit, & apud se sic habere, præter verba nihil esse in quo oratio Arabica ab alia quavis differat. Neque quisquam, opinor, existimabit, illud quod per se ineptissimum est, posse orationis nitore ita expoliri, ut sapientissimum & à Deo inspiratum appareat. Aliter sane Prophetæ, non Isaias modò aut Hieremias, aut David, sed Amos pastor loquuntur, aliter impostor Muhamedes; qui perpetua redundantiâ fastidiosâque eorumdem verborum repetitione lectores obtundit: nullam methodum, nullam sublimitatem, imò nec in gravissima sua barbarie simplicitatem habet; adeo ut liber ille, nisi gladii cervicibus Arabum impendissent, ne ullum quidem apud eos proselytum fecisset, præsertim qui literas sciret, quas ignorabat

nebulo, ut ipse sæpè testatur admodum inutiliter, cùm satis qui ejus quisquiliis intentus est, ubique Camelarium potius Agasonem, quàm Prophetam audire se intelligat. Vestiuntur hæc inania portenta longissimis Commentariis; & Deo pœnales cæcitates spargente super illicitas cupiditates, quibus tartarea illa hæresis nimiùm indulsit, factum est ut quæ ineptissima sunt, miraculis plena appareant, præsertim inter eos qui nullâ scripturarum, nullâ Theologiæ scientiâ imbuti, flagitioso impostori fidem dederunt. Verùm ornatus ille in quo interpretum millia multa tantopere laboraverunt, fucum nemini facere potest, qui in commentarios illos altiùs penetraverit; semidoctis sæpe illudunt, qui peregrinas illas literas quò minus intelligunt, eò magis mirantur, & in pretio esse volunt. Ea præpostera eruditio etsi satis per se ridicula ita videatur, ut moneri lectores ne se decipi patiantur, necesse non sit: ea tamen nostri sæculi licentia est, ut non desint qui ejusmodi ineptiis delectentur, & Muhamedanæ religionis aliquam existimationem haberi velint, quia tantam Christianorum multitudinem tam paucis annis corrupit. Contremiscant illi ad tremenda Dei judicia, nec quærant in funesta illa peste, prudentiæ humanæ, multo minus veræ sapientiæ quidquam, neque suspicentur homines qui cædibus, latrociniisque grassati sunt, ut novam suam sectam propagarent, vel umbram doctrinæ aut pietatis habuisse. Itaque nullum illa nisi in acinacibus suis præsidium invenit: neque ullus unquam Muhamedanus quacumque doctrina polleret, potuit eam argumentis ullis confirmare, quæ non uno verbo diffari queant. Unde semper cavitum apud eos est ne de fide disputaretur, verùm ut crederentur omnia, etiam absurdissima quæ in Alcorano continerentur: nempe fabulæ ex ridiculis legendis excerptæ; anachronismi immanes, corruptio manifesta & stupida sacræ Scripturæ quam vix ex librorum numero noverunt; tum inanes superstitiones Judaicis deteriores, peccandi libertas, pœnitentia præter lotiones, & precum immurmurationes nulla; omnia tandem quæ si vis abfuisset, ne auditorem quidem ullum habuissent. Hæc sunt religionis illius miracula, quam peccatis Christianorum irritatus Deus tanquam flagellum Orbis ex Tartaro prodire permisit, quæ tamen Christianam fidem non ita delevit, quin inter calamitates innumeras, maxima usque ad hanc diem Christianorum in Oriente multitudo perseveraverit, quorum si omissa sectarum trium in quas dividuntur differentia, numerus

ineatur, superabit ille longo intervallo Muhamedanorum multitudinem. Jam igitur ab istius Patriarchæ historia narrare incipiemus, quæ fuerit Christianorum conditio sub infidelibus dominis; nam illa magnopere discrepat ab eo statu, in quo Ecclesia sub Christianis Imperatoribus florebat: imò ab continua illa conflictatione quam sub Ethnicis patiebatur. Etenim sub istis, etiam qui Christianos tolerabant, pax Ecclesiarum ita plena nunquam fuit, ut liberæ plane essent: in persecutionibus quotidie moriendum pro Christo erat, amittenda bona, exilia, carceres, tormenta acerbissima Christianis impendebant: sub Muhamedanis summa libertas, ut quam quisque sectam profiteretur, in ea liberè viveret, modò tributum solveret: nulla vulgò ad ejurandam fidem coactio, pœnæ nullæ: verùm cùm infidelium Magistratus, summam in Ecclesias & Ecclesiasticos autoritatem haberent, Arabesque inter alia vitia, præcipuum perpetuumque à natura traxerint avaritiæ malum; nullo unquam flagello tam miserè Ecclesiæ vexatæ sunt, quàm exactionibus pecuniarum, tum ab Episcopis, ut dignitatem suam retinerent; tum ab aliis, ut contra Canones vel absolutionem à criminibus, vel dignitates in Ecclesia consequerentur. Hinc imminuta autoritas Episcopalis: hinc eversio disciplinæ; simoniæque labes gravissima quæ totum Orientem corrupit: quæ omnia fusiùs intelligentur ex iis quæ scripturi deinde sumus.

Benjamini initia.

Benjamin parentibus divitibus ortus, illis relictis venit ad Monasterium vocatum *Dir Kyrios*, quod ex multis solùm fermè supererat post reliquorum vastationem à Persis factam, quia erat ad Orientalem partem oræ maritimæ. Ibi à sene quodam Monacho Theona habitum monasticum suscepit; tantumque in virtute & doctrina profecit, ut brevi tempore Magistros suos longo intervallo superaret. Cùm in oratione frequentissimè pernoctaret, facta aliquando ad eum in Ecclesia vox dicitur, qua significaretur futurum eum Pastorem gregis Christi, hoc est Patriarcham. Quod cùm ad Theonam retulisset, monuit ille ut caveret ab insidiis Satanæ, neque enim sibi qui à quinquaginta annis in Monasterio vivebat, simile quidquam accidisse, aut de aliis audivisse. Ejus tamen consilio rem Andronico Patriarchæ ut referrent in urbem venerunt: qui gratiâ quæ in Benjamino apparebat, hominisque humilitate & modestia commotus, Theonæ quidem redeundi licentiam dedit, Benjaminum retinuit, quasi electum à Deo ad Ecclesiæ

Ecclesiæ ministerium & eum Sacerdotem ordinavit, maximamque negotiorum Ecclesiasticorum partem ejus curæ commisit. Tandem cùm exitus vitæ instaret, illum successorem designavit. Unde post ejus obitum Patriarcha à suis constitutus est.

Factus Patriarcha fugit.

Postquam Heraclius Persas sex annorum continuo bello profligasset, in Provincias ab illis recuperatas novos Præfectos misit, atque inter alios Cyrum, qui Præfecturam simul & Patriarchatum obtineret, Alexandriam proficisci jussit. Erat, ut ex variis Autoribus collegit Baronius, annus J.C. 630[us], Heraclii 21[us]; cùm Cyrus post Gregorii mortem Patriarcha Alexandrinus renuntiatus est. Cùm advenisset, monitum aiunt Benjaminum ab Angelo, ut ex urbe profugeret atque alia in loca se cum suis reciperet; imminere enim persecutiones gravissimas, quæ post decennium finem acciperent. Scripsit ergo ad Episcopos ut laterent, donec transiret ira Domini; simulque per literas eos hortatus est ad retinendam constantissimè fidem Jacobiticam: mox ordinatis, quoad fieri poterat, rebus Ecclesiæ, ipse per viam Mareotidis, pedes, comitantibus discipulis duodecim, venit ad Moni, inde ad Vallem Habib; ubi pauci Monachi supererant à tempore Damiani Patriarchæ; neque enim per Barbaros licebat augeri eorum numerum. Postea ulteriùs abiit in Sahid, sive superiorem Thebaidem, ibique annos integros decem delituit in exiguo Monasterio, non longè à Kus, urbe satis celebri, ut docet Abuselah Armenus, qui adhuc suo tempore superfuisse ejus memoriam testatur. Toto illo intervallo quamdiu Heraclius Ægyptum obtinuit, & ejus Vicarius quem Arabes Mocaucasum vocant, Jacobitæ magnas calamitates sustinuerunt, adeo ut ingens eorum multitudo ad fidem Calchedonensem transiverit, dum alii malis victi, alii præmiis & pollicitationibus deliniti, vinci se passi sunt. Inter eos memorantur Episcopi duo, Petrus Episcopus Nikiousi, & Victor Fiumensis. Alii, inter quos Mennas Benjamini frater, post multa tormenta in mare demersi sunt. Persecutionis ea occasione adversus Jacobitas cœptæ meminerunt Æthiopes in suis Synaxariis, aiuntque Maxirianum quemdam Præfectum misisse in desertum ducentos milites ad investigandos Episcopos, & cogendos Monachos ad suscipiendam Calchedonensis Concilii fidem: Abbatem Samuelem cæterorum nomine respondisse: *Non recipimus chartam impuram, neque obtemperamus Concilio Calchedonensi, neque admittimus alium Patriarcham quàm Abba Benjaminum, Doctorem & Pastorem nostrum.* Et

paulò pòst: *Et dixit, Anathema sit libro Imperatoris Romani hæretici, & anathema sit Calchedonensi fidei, & omnibus qui credunt in eam; & sic dilaceravit illum librum, & projecit eum ante januam Ecclesiæ.* Heraclius præterea Episcopos constituit in singulis Ægypti urbibus usque ad Ansna, omnique calamitatum genere gregem *Theodosianorum*, nam eo loco ita suos majores Jacobitæ vocant, dissipavit. Monitus ille fuerat per somnium, ut caveret à gente circumcisa, quæ adversus eum insurrectura esset, magnamque terræ partem occupatura. Id vaticinium ille cùm existimaret ad Judæos pertinere, eos ubique locorum occidi jussit, etiam Samaritanos. Verùm frustrà, nam significabantur Arabes, qui eo tempore duce Muhamede cùm Idololatras ex ea regione multos ad unius Dei cultum convertissent, arma in Syriam Palæstinamque transtulerunt, easque provincias occupaverunt. Heraclius cùm sæpè adversus eos exercitus ingentes in aciem eduxisset, semper victus est, in pœnam, ut existimant, eorum quæ adversus Jacobitas fecerat, ad stabiliendam fidem Calchedonensem.

Ludolf. Comment. ad Hist. Æthiop. p. 463.

Eutych. t. 2. p. 244. &c.

Arabum expeditio Ægyptiaca.

Elm. in Abubecro, p. 17. 23. &c.

Ahmed. F. Ayaz. Makriz. &c.

Palæstina in potestatem Saracenorum venit anno Hegiræ 13° J. C. 634°, jam mortuo Muhamede, sub Califatu Abubecri ejus successoris: an. 14° expugnata est Damascus: an. 15° Hemesa & aliæ urbes: an. 16° Amrus filius Alasi, Hierosolymam cepit, reliquamque Palæstinam subegit. Anno 18° qui erat J. C. 639us, idem Amrus ducto in Ægyptum exercitu, Misram seu Memphin obsedit, eamque cepit eodem anno, vel sequenti secundùm alios Historicos; posteaque pax cum Mocaucaso sancita, adeo ut quicunque ex Romanis, sive nativis Ægyptiis manere vellet, aurei solidi tributum capitatim pendere cogeretur. Anno demum 20°, qui incipiens à 20° Decembris respondet an. J. C. 640° & 641°, Alexandria capta est, cùm per quatuordecim menses obsidionem tolerasset: ab Amro filio Alassi, qui quidem annus 641us accuratè convenit cum anno Diocletiani 357°, quo eumdem scribit Severus inquisivisse de Benjamine Patriarcha, plenamque ei securitatem dedisse, de qua mox dicetur. Venisse Arabes in Ægyptum cum potentissimo exercitu idem notat, die 12ª mensis Baïni: atque contra Misram, seu Memphin castra posuisse: Romanos fugisse & in castrum quoddam inter Sahid & Elrif se recepisse, quod *Babylon & Fostat* vocabatur, servato usque ad Severi tempora nomine. Romani cùm ter adversus Muslemanos acie decertassent & in fugam acti essent, primores civitatis Amro se dediderunt, concessa lege

ſecuritatis, ex præſcripto Muhamedis, ut modò tributum ſolverent ſecuri eſſent, neque ulli injuriæ eſſent obnoxii: rebellantes aut obſequium detrectantes perderent, & ſpoliarent: Romanos, hoc eſt Græcos, præſertim Patricium eorum, internecione delerent. Ea lege tanquam à Muhamede promulgata, jus victores Arabes victis Ægyptiis dixerunt. Tertio anno poſtquam Amrus Ægyptum ingreſſus eſſet, capta eſt Alexandria an. 360° Martyrum, J. C. 644°. Urbe capta muros everterunt Muſlemani, plurimaſque Eccleſias incenderunt, inter quas fuit antiqua divi Marci, in qua corpus ejus repoſitum erat, eo loco ubi Petrus Martyr, antequam martyrium compleret, benedictionis gratiâ, preces ultimas fuderat. Tunc factum fuiſſe miraculum, ait Severus circa reliquias D. Marci, nempe quòd conflagrante Eccleſia, cùm navium præfecti in eam intraſſent, pallia quæ ſuper arcam ejus erant poſita ſuſtulerunt, cùm in ea nihil inveniſſent, poſtea verò caput D. Marci inter pallia repertum eſt.

Securitas Benjamino conceſſa.

Statim Amrus cùm audiiſſet quàm multa à Græcis paſſus fuiſſet Benjamin Patriarcha, jamque alter qui ab Heraclio miſſus patriarchalem ſimul dignitatem & præfecturam obtinuerat, veneno ſumto vitam finiviſſet, miſit per omnes Ægypti Provincias, literas ſecuritatis ad eum in hæc verba, ut Severus refert: *Omnis locus in quo erit Benjamin Patriarcha Chriſtianorum Coptitarum, plenam habeat ſecuritatem, pacem & fidem à Deo: veniat ipſe ſecurè & tutò, reſque Eccleſiæ ſuæ, & populi ſui liberè adminiſtret.* Referunt eumdem ſecuritatis libellum Abuſelah Armenus, Elmacinus, & alii; ſed ita ut quædam, quod in Orientalibus libris frequentiſſimum eſt, diſcrepantia lectionis reperiatur. Meminit etiam illius Makrizius: qui dum rationem exponit qua Arabes Ægyptum occupaverunt, quædam habet notatu digniſſima & veriſimilia, quæ alibi vix reperiuntur.

Jacobitæ Muhamedaniſſe dedunt. *Deſcript. Æg. l. 2.*

Ait eo tempore Ægypti incolas in duas quodammodo factiones diviſos fuiſſe: Romanorum ſeu Græcorum Conſtantinopoli miſſorum, qui non modò præcipuas militiæ forique & tribunalium dignitates obtinebant, verùm etiam magna pars militum & miniſterialium, Græci erant aut Græcæ originis: nempe illud erat quod docet nos Iſidorus Peluſiota, legem fuiſſe quæ Ægyptios à gerendis magiſtratibus repellebat. Græci omnes iſti, quorum numerus trecentorum & amplius millium erat, Melchitarum religionem ſequebantur. Alia pars nativorum Ægyptiorum erat, qui

Coptitæ dicebantur, communi nomine, quamvis diversæ essent originis; nam alii erant Ægyptii, alii Nubii, alii Habessini seu Æthiopes, imò nonnulli à Judæis prognati, qui omnes Jacobiticam sectam profitebantur. Erant ex illis scriptores, & ministeriales, agricolæ, artifices, mercatores; & quod majus erat, plerique Episcopi & Sacerdotes. Inimicitiæ inter utrosque continuæ erant, tamque acerbæ, ut nulla haberent inter se per matrimonium commercia: sæpè mutuis cædibus inter se commissis eas exasperabant, & Coptitæ erant longè superiores numero. Cùm verò Amrus in Ægyptum venisset, opposuerunt se Græci cum ingenti exercitu, sed sæpè victi sunt. Coptitæ cùm pacis conditiones ab Amro accepissent sub tributi pactione, Muslemanis ad Græcos debellandos auxilium præbuerunt, eosque ex provincia pepulerunt. Id etiam significare videtur Severus, dum Sanutium quemdam fidelem, hoc est Jacobitam, memorat, qui inter Amrum & Benjaminum sequester pacis fuisse dicitur.

Benjamin Alexandriam venit.

Reversus Benjamin Alexandriam post annos tredecim quam inde fugerat, Amrum salutavit à quo benignè susceptus est; aiebat enim Amrus in tot provinciis quas Muslemani armis subegerant, neminem se vidisse cujus augustior & homine Dei dignior species foret. Illum igitur Ecclesias suas habere, & subjectæ sibi plebis curam agere jussit: mandavitque ut dum ipse in Africam interiorem, Pentapolinque proficisceretur, oraret, ut quemadmodum Ægyptus, ita & illæ Provinciæ in Arabum potestatem venirent, ipseque salvus inde remearet. Statim atque Benjamin Alexandriam rediit, multi qui sub Heraclio à Jacobitica fide recesserant, ad eam reversi sunt: alii qui persecutionis metu in Pentapolin & Africam fugerant, in urbem rediere, quorum plures atque inter alios Episcopi & Sacerdotes, cum lacrymis & dolore pristinam conversionem deprecati sunt: alii humano pudore victi, in fide Calchedonensi quam antea professi fuerant, permanserunt.

Fusè narrat hoc loco Severus oblatam Benjamino per somnium speciem eo ornatu quo Discipuli Christi repræsentantur, monuisseque ut pararet sibi locum. Degebat tunc in quodam Monasterio dicto Matara, *sive Stephanio*, quod solum ex omnibus superarat à tempore Heraclii, ab hæreticis, hoc est Calchedonensibus, non contaminatum; neque enim Ægyptii qui illud incolebant, adduci ullo modo potuerant, ut à sua religione deficerent, extraneumque neminem receperant. Postea cùm is qui flagrante Ecclesia D.

Marci, caput ejus abstulerat, navim conscendisset, ea nunquam in altum deduci potuit, quo miraculo stupens, illud Patriarchæ tradidit, qui cum honore susceptum in arca ex ebeno collocavit. Ut verò opportuno tempore nova illi Ecclesia ædificaretur, magnam pecuniæ vim contulit Sanutius ille, de quo superiùs. Animum quoque adjecit Benjamin ad colligenda membra Ecclesiæ suæ, Monasteria tam virorum quàm mulierum restituenda, moresque plebis suæ in melius reformandos.

Reversus paulò pòst Amrus successorem accepit in Ægypti Præfectura, Abdallam filium Sahid qui primus Divanum exstruxit, ubi tributa colligerentur; & Ægyptios magnopere vexavit.

Facta est sub eo fames valida per totam Ægyptum: & Arabia cùm eadem annonæ raritate premeretur, magna ex Ægypto frumenti copia deportata est, effosso alveo qui in Arabicum sinum pertingeret, quem vocant *Alveum Imperatoris fidelium*. Ingens post famem tota Ægypto mortalitas. *Elmac.*

Habuit secum Benjamin Sacerdotem Agathonem, qui successor ejus fuit: is verò tempore Heraclii sæculari veste indutus, ne agnosceretur, domos Jacobitarum circuibat, eos consolabatur, ipsisque Eucharistiam deferebat, instrumenta fabri lignarii circumferens, ut Melchitas falleret. Cùm per decennium huic operi intentus fuisset, eum Benjamin apud se retinuit, præcipuaque Ecclesiæ negocia ejus fidei commisit. Ipse Benjamin biennio vitæ suæ ultimo, cùm senio gravis, munia sua obire non posset, rogaverunt Deum sui ut eum ex infelici hoc sæculo educeret in quietis locum. Morienti adfuisse scribunt Athanasium, Severum & Theodosium, qui ejus animam in cœlos deferrent. Obiit 8ª Tybi, cùm sedisset annos 39. quo die commemoratio ejus assignatur in Kalendario Coptitarum. Agathonis historia.

Huic Severi narrationi subjicitur alia satis prolixa & verbosissima Agathonis successoris Benjamini, ejusque dum viveret discipuli, multa in laudem ejus continens, res novas admodum paucas. Inter alias memorat eum dedicasse novam Ecclesiam S. Macarii in montis radice ædificatam, eò quòd Monachi multi senectute debiles, qui cellas à Monasterio satis remotas habebant, vix poterant in cacumen montis evadere. Eo consilio cùm in desertum profectus fuisset, occurrisse illi magnam Monachorum turbam, juvenum cum ramis palmarum, senum cum thuribulis, Sacerdotesque simul advenisse, & cum illis Basilium Episcopum Nikiousi, Consecratio Ecclesiæ sancti Macarii.

doctorem celebrem. Cùm dedicatio Ecclesiæ perageretur, apparuit senex venerandus, quem S. Macarium esse intellexerunt : tum mira alia ejusmodi multa narrantur, quæ ut apud hæreticos fieri non possunt, ita non dubitamus ex eorum genere esse quibus ignara plebs ab Episcopis suis in errore detineri solet. Omnia verò spectant ad commendandam novæ istius Ecclesiæ à Benjamino consecratæ dignitatem ; cujus etiam conservandæ causâ, Canones aliquot ad ritus Ecclesiasticos spectantes ibidem promulgavit. Illi præcipui sunt : Ne Sacerdos ullus ad sanctuarium illius Ecclesiæ, seu βῆμα, accedat, nisi pallio seu stola sacerdotali ornatus, antequam incensum adolendum inferat : ne quis Sacerdos aut Diaconus in eodem sanctuario communionem accipiat, nisi amictus Omophorio sive pallio : nullus sub hoc sancto tecto loquatur : nullus in eo sedeat etiam ad sacros libros legendos : nullus Sacerdos aut Monachus illud sanctuarium ingrediatur, nisi ordinatus ad illius ministerium : quæ omnia ut quædam alia, statuta ab eo sunt sub æterni anathematis pœna ; quod etiam denuntiatur adversus eos qui vel temerè, vel gloriæ causâ Sacerdotes, aut Monachos peregrinos eum in locum inducerent, aut partem ejus occuparent. Illæ verò comminationes non videntur ætati Benjamini convenire. Verùm hæc omnia à Coptitis recentioribus inventa esse non dubitamus, ut novo suo Monasterio D. Macarii dignitatem conciliarent : ad illud enim ex tota Ægypto, & toto etiam Oriente, magnus est peregrinorum concursus ; antiquum verò magis neglectum est. Nihil porro in longa illa sub Agathonis nomine fabula dignum observatione legitur, nisi quòd Ecclesiæ illius novæ consecratio facta est, Episcoporum & ipsius Patriarchæ ministerio, Chrismatis tam ad altare quàm ad parietes consignationibus, precibus tandem quæ continentur eo in libro qui Arabicè *Takriz* appellatur, quique omnia ad Ecclesiarum consecrationem spectantia, ritus scilicet orationesque, complectitur. Id enim etiam in ridicula narratione certissimum esse debet, quod verum an falsum sit, Coptitarum non interest. At talis est consecrandæ Ecclesiæ ritus, qui ipsis cum aliis omnibus Christianis communis est, nulla nisi cæremoniarum & orationum innoxia differentia ; quod tamen probat non adeo recentem aut à Romanis Pontificibus excogitatam hanc esse cæremoniam, quæ à juratis Romanæ fidei hostibus, tam religiosè servetur. Hujus consecrationis Ecclesiæ S. Macarii commemoratio fit in Kalendario Coptico 8ª Tybi, quo die

Canones promulgati.

Ecclesiarum consecratio.

fit etiam Benjamini memoria, quæ pariter consignata reperitur in Kalendario Æthiopico.

Ludolf. Comment. p. 404.

Observari etiam debet ex Agathonis narratione dies istius consecrationis, quæ dicitur facta fuisse 8ª mensis Tybi : atque paulò ante obitum Benjamini. Confirmatur quippe traditio hæc, testimonio Coptici Kalendarii, in quo ad eamdem diem, quæ respondet 13ª Januarii, notatur : *Commemoratio Benjamini Patriarchæ Alexandrini : & consecratio Ecclesiæ S. Macarii in Chiha Scetis :* ita enim vocari desertum quod vulgò S. Macarii, & vallem Habib, seu Natron, quæ est Nitria veterum, docet nos Makrizius in Ægypti descriptione ; ex Chanechi alio Muhamedano, qui de Monasteriis scripsit, ut Abuselah Armenus & alii. Atque ea sunt quæ de Benjamino leguntur, tam in isto fragmento sub Agathonis nomine, quàm in ejus vita.

Obiisse eum scribit Makrizius Alexandriæ an. Hegiræ 39°, qui est J. C. 659ᵘˢ, cùm sedisset annos 39. Canon Chronologicus Abulbircat an. 38. menses 10. Pontificatûs numerat, annumque Martyrum 364ᵘᵐ supremum illi fuisse : ordinationem factam an. 325° asserit, qui quidem numerus consistere non potest, nam ita mors ejus incideret in an. J. C. 648ᵘᵐ, toto decennio citiùs quàm Elmacinus, & alii eamdem assignant. Tanta est autem apud Autores nostros Græcos & Latinos earum rerum quæ sub Muhamedanis principibus gesta sunt ignorantia, ut ne nomina quidem eorum qui Muhamedi successerunt, sana legantur in libris fere omnibus. Cùm porrò res Ecclesiasticas non Politicas prosequamur, brevem tantummodo notitiam dabimus successionis Principum, ut sub quibus quæque contigerint, possit intelligi : tum ne ex illarum rerum obscuritate confusio in historia oriri possit, quæ magna fit necesse est cùm supremi Imperatores qui Califæ appellati sunt, pro Præfectis accipiuntur, ut sæpè in Græca Latinaque historia observari potest, nec dignitatum ratio satis intelligitur : quæ omnia paucis explicare conabimur.

Successio Muhamedanorum principum.

Ut ergo superiùs diximus & ipse annorum calculus manifestum facit, cepit Benjamin Jacobitarum Alexandrinam Sedem obtinere anno Hegiræ 1°, J. C. 622° : & cùm annos 39. fermè integros sederit, obitus ejus incidit in an. 659ᵘᵐ aut 660ᵘᵐ J. C. Eo intervallo quatuor Muhamedanorum Principes sibi invicem successerunt.

Muhamed obiit anno fugæ suæ sive Hegiræ 11°, J. C. 632°.

Abubeker ejus successor obiit anno 13°, J. C. 634°.

Omar Califatum obtinuit per annos decem, occisusque est an. 23°, qui incurrit in an. J. C. 643um & 644um. Othman 4us periit an. 34°, J. C. 654°.

Hali gener Muhamedis, Fatimæ ejus filiæ maritus, Califa renunciatus est an. Heg. 34°, J. C. 654°; multisque bellis civilibus impetitus, tam ab Aischa Muhamedis vidua, quàm à Muavia & aliis Ommiæ filiis, à sicario Abdelrahmano occisus est sub finem anni 39ⁱ, J. C. 660ⁱ: atque eo tempore Amrus filius Alassi qui Ægyptum nomine Saracenorum primus occupaverat, primusque Provinciæ præfectus fuerat, secundam præfecturam obtinuit, qui character est anni quo obiit Benjamin. Ita sub illius Patriarchatu præter eversionem Romani in Ægypto Imperii, quinque Muhamedanos principes, numerato Pseudopropheta, viderunt Ægyptii.

De Califarum & Præfectorum Ægypti autoritate.

Cùm porrò Califa supremam tam in rebus religionis, quàm in Republica haberet autoritatem, mos primorum illorum sæculorum fuit, ut provincias per Præfectos suos regerent, quod ad Fatimidarum usque regnum qui adversus Califas rebellaverunt, constantissimè servatum est. Erat talium Præfectorum magna, nec ullis fermè legibus adstricta autoritas: cùm omnia Califarum nomine gererentur, qui procul aberant, & quos donis pecuniisque placabant, si qui rem publicam malè administrassent. Erant tum ingentes opes Ægypti, licèt diuturnis bellis exhaustæ viderentur; nam quando ea provincia primùm in Muhamedanorum potestatem venit, denariorum aureorum tricies centena millia ex tributis omnibus conficiebantur, ut Autores varii scriptum reliquerunt. Hinc perpetuæ Præfectorum mutationes, dum quisque nummorum plenam provinciam sibi decerni conatur. Hinc pariter exactiones tributorum omnis generis quotidianæ, omnia apud avaros Magistratus venalia; quæ calamitas non modò fertilissimam provinciam civibus divitiisque exhausit, sed omnem funditùs disciplinam Ecclesiasticam abolevit. Nam sicut exulabat sub Heraclio & ejus prædecessoribus Patriarcha Jacobitarum, ita sub Muhamedanis primas ille obtinuit, adeo ut annis prope centum Melchitæ seu Orthodoxi Græci sine Antistite fuerint; & quando in illud jus antiquum postliminio reversi sunt, quod nonnisi favore Principum, largitionibusque obtinuerunt, non minora ab Hæreticis quàm à Muhamedanis passi fuerunt.

Obtinuerunt

Obtinuerunt quidem Christiani securitatem ab ipso Muhamede, qui deleri illos vetuit, ut ostendunt diversa ejus apophtegmata in Traditionum libris conservata, quæ inter ejus sectatores sacræ cujusdam legis vim habent, quorum aliqua occurrunt apud Elmacinum in ejus vita: plurima in Alcorano passim. Extat præterea lex quædam plenariæ securitatis, vulgò Testamentum Muhamedis dictum; meliùs *Præceptum*, quod ab Gabriele Sionita olim Lutetiæ editum est utrâque linguâ; & quod extat passim in variis Codd. MSS. de cujus veritate, cùm ne quidem ipsi Muhamedani dubitent, mirum est doctos aliquot viros, sed in Arabica litteratura mediocriter versatos, non ambigere modò, sed tanquam suppositium scriptum arguere. Et tamen secundùm hujus legis dispositionem res Christianorum ordinatas, tum à Califis, tum ab eorum Præfectis ubique fuisse, extra controversiam est. Verùm cùm non displicerent Infidelibus Christianorum inter se dissidia, neque ea componere satagerent, aliam ex primariæ hujus legis interpretatione induxerunt circa Christianos, ut omissis inter sectas quæ tunc temporis Ecclesiam dividebant controversiis, omnes indifferenter foverent: Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum possessio confirmaretur, modò quicumque Episcopus, Archimandrita, aut Laïci probare possent, se eam ante sublatum Romanorum Imperium habuisse. Probationes autem nullo negotio fiebant, numeratâ pecuniâ. Ita Jacobitæ cùm probassent nemine reclamante, quia Græci fermè omnes aufugerant, se esse legitimos Cyrilli successores, & per injuriam spoliatos Ecclesiis suis ab Orthodoxis fuisse; non modò eas quæ ab ipsis Imperatorum mandato ablatæ erant, sed multas alias invaserunt. Tandem cùm Melchitæ antiquitatem possessionis suæ probassent, & jure & gravissimis impensis restitutionem earum consecuti sunt. In Perside, Mesopotamiaque, ubi magnus erat Nestorianorum numerus, cùm eorum Primas, quem Catholicum appellant, in omnes fere Christianos supremam obtineret autoritatem, eam quoque illis in Provinciis Muhamedanorum beneficio conservavit, cùm alibi nullas fermè Ecclesias haberent. Hæc primorum illorum sub Muhamedana tyrannide temporum conditio fuit, non planè misera, cùm nondum edicta plura adversus Christianos promulgata essent, quos deinceps multa pati necesse fuit, quæ suis locis referemus.

Status Christianorum.

V. *Elmacin. p.* 11.

Lutet. 1630.

Ad istæc tempora referri oportet historiam de Joanne Grammatico, vulgò Philopono, quæ apud Abulfaragium & multos alios

De Joanne Philopono.

Abu'farag. p. 114.

legitur : nempe petivisse illum ab Amro Præfecto, ut librorum qui in Bibliotheca Regum Ægypti repositi erant copia sibi fieret, quandoquidem inutiles Muslemanis futuri erant. Consultum Omarem Califam respondisse ; illis in libris ea contineri quæ Alcorano contraria essent, vel quæ in eodem legerentur, aut essent similia : atque ita aut impios esse, aut inutiles, & idcirco abolendos ; quod factum est, distributis illis per balnea publica, atque combustis. De illa veteri Bibliotheca Alexandrina notissimum, eam Alexandrino primo bello periisse, ab igne navibus injecto, & navalia, mox urbem pervadente consumtam : restitutam fuisse à Cleopatra, translatâ Pergamenâ, & in Serapeo collocatam, Autores antiqui tradunt. An ex ea quidquam superfuerit post destructum sub Theophilo Patriarcha Serapeum, non plane liquet : nec Eunapius qui de ea re plurimùm questus est, librorum meminit. Fuisse præterea Alexandrinæ Ecclesiæ Bibliothecam, in qua multi fuerint eximii Codices, præsertim Versionum sacræ Scripturæ, Commentariorum, Hexaplorum, & aliarum ejusmodi lucubrationum, dubitari non potest. An de iis historia intelligenda sit non multùm interest : nam habet aliquid ἄπιστον, ut Arabibus familiare est. Eam alibi huc usque non reperimus.

In Ædesio.

Benjamini memoria.

Benjamini quoque celebris apud Æthiopes memoria est, cujus ut superiùs observavimus, commemoratio agitur ad 8am mensis Ter, qui Tybi Ægyptiorum respondet, initiumque habet à 27a Decembris : altera item 13a Nahase, qui est Ægyptiorum Mesori, nempe ut is sit dies depositionis ; alter, ut diximus, consecrationis altaris in Monasterio S. Macarii. Itaque unus est atque idem Benjaminus, quod dubium Ludolfus superfuisse sibi, agnovit. Ejus autem memoria præcipuè celebratur multis de causis, tum quia Patriarcha Alexandrinus fuit ex Jacobitarum secta, quorum insigniores solent Æthiopes ex Diptychis antiquis translatos Kalendario inserere, & annuis festis celebrare eorum laudes. Secunda ratio fuit, quòd Jacobiticæ sectæ in Alexandrina Ecclesia instaurator habitus, quia eam sedem ex qua Imperatorum Græcorum edictis Jacobitæ pulsi fuerant, favore Muhamedanorum recuperavit : tertia, quòd Metropolitam Cyrillum nomine in Æthiopiam miserit. Docuerunt nos id Patres Societatis Jesu ex libris Axumensibus, cùm nec Severus, nec poetæ illi Æthiopes Martyrologiorum & encomiorum metricorum Autores, quidquam de illa missione memoriæ mandaverint ; tantaque sit obscuritas historiæ

Comment. p. 430

Tellez hist. de Ethiop.

Æthiopicæ, ut Metropolitarum suorum catalogum non habeant. Quarta etiam causa est honoris eximii quo Benjaminum Æthiopes prosequuntur, quòd Teklahaimanot qui apud eos pater existimatur Vitæ monasticæ, à Benjamino missus ad eos fuerit, atque ea ratione Lusitani meliùs quàm huc usque factum fuerat, de illius ætate judicaverunt : nam antea ignorabatur quando vixisset, constansque sanctitatis fama quam ipsi omnes tribuunt, multos fefellerat, adeo ut facilè crederetur fuisse ex antiquorum Monachorum numero, qui ante Ecclesiæ Æthiopicæ corruptionem floruerant. Unde Æthiopes qui Romæ decimo sexto sæculo Novum Testamentum & Liturgias suâ linguâ ediderunt, professi sunt in variis epigraphis, filios se esse Teklahaimanot, ne levem quidem de ejus ὀρθοδοξίᾳ aut sanctitate suspicionem habentes. In ipsius vita, qualis legebatur in libris Axumensibus, Arabicaque ejus versio extat in Bibliotheca Regia, dicitur eum anno ætatis 15° à parentibus ductum ad Abba Cyrillum qui Metropolita Æthiopiæ fuit, quando Benjamin Alexandrinæ Ecclesiæ præsidebat. Tellez l. 1. c. 33. p. 84.

In Concilio VI° inserta reperitur Actis, Epistola S. Sophronii, quam etiam refert Baronius ad an. 633um, sed non integram, in qua anathema pronuntiatur adversus hæreticos multos, Monophysitas præsertim & Monotheletas ; inter quos recensetur Benjamin Alexandrinus.

De eodem quædam observavit Jobus Ludolfus annotationibus ad Kalendarium Æthiopicum ex Autore vitæ Samuelis cujusdam MSS. Æthiopica : ex quo hæc refert. *Postea facta est magna persecutio jussu Imperatoris Romani propter Orthodoxam fidem. Et expulerunt sede sua Abba Benjaminum Patriarcham Alexandrinum : quem occidere volebat homo quidam missus ab Imperatore Romano. Et attulerunt librum Calchedonensem, & jusserunt ut omnes Presbyteri subscriberent fidei Calchedonensi : & constitutus est alius in locum Abba Benjamini. Sequitur deinde*, inquit Ludolfus, *persecutio Benjamini ejusque asseclarum manu militari per sylvas & saltus, per invia & avia usque in desertum.* Tum refert Elmacini testimonium, de quo superiùs. Com. p. 429.

Longam & accuratam disquisitionem de Epocha Muhamedanorum inseruerunt suæ Patriarcharum Alexandrinorum historiæ doctissimi Continuatores operis Bollandiani ; eò spectantem præsertim, ut annus expeditionis Ægyptiacæ, & captæ per Infideles Alexandriæ certò constitueretur. Multa præclarè observata, errorésque

Chronologorum multiplices confutati : & rectè, ut quæ ad susceptæ historiæ seriem pertinebant, ex Elmacino potius, quem solum Autorem Arabem habuerunt præ oculis, quàm ex Græcis aut Latinis, temporum ratio stabiliretur, constituerunt. Sed qui Elmacinum sequuntur si Arabicè nesciant, non ipsum, sed interpretem Thomam Erpenium sequi deprehenduntur, qui ut in multis sæpè falsus est, ita circa annorum Arabicorum cum Romanis comparationem sæpissimè.

Hist. Sarac. p. 4. Gravius Ulugbeg. Gol. in Alfrag. p. 55. In Can. annorum Abulfaraj.

Statim enim ad annum primum Hegiræ offendit. Incidit, inquit, Hegira seu fuga Muhamedis, in 16^am Julii anni Æræ Christianæ 622^i. At certissimum est caput illius Epochæ constituendum an. 622°, 15ª Julii, feria v^a, ut accuratissimis tabulis suis expressit Joannes Gravius : quamvis in eumdem cum Erpenio errorem impegerit Eduardus Pocockius. Itaque in hujus operis decursu annos Hegiræ secundùm Gravianas tabulas ad Romanos comparabimus. Cùm enim Autor non modò Arabicæ Persicæque linguarum peritissimus foret, sed etiam insignis Mathematicus, accuratiùs omnino illos in tabulis digessit, quàm quisquam alius. Neque si aliquando calculi illius cum Autoribus Orientalibus non consentient, ab eo recedemus, cùm infinitis exemplis constet hallucinari sæpissimè Elmacinum, & eo præstantiores historicos, cùm annos Hegiræ comparant annis Martyrum aut Alexandri, licèt rarior illius æræ sit apud eos usus, qui vulgaris est apud Antiochenos & Syros reliquos.

Laudantur à Jacobitis Epistolæ Heortasticæ seu Paschales aliquot Benjamini illius sui Patriarchæ, & ab Autore tractatus *Fidei Patrum* refertur testimonium ex VI^a adversus eos hæreticos, qui asserebant divinitatem verbi Dei esse mortuam.

AGATHO Pat. XXXIX.

AGATHO PATRIARCHA XXXIX.

Agathonis initia, persecutio.

POSTQUAM Benjamin ex vita migravit, elegerunt Jacobitæ ejus loco Agathonem sacerdotem ejus discipulum, qui cum eo per multos annos constanter laboraverat, eumque Patriarcham constituerunt. Magnam ille in colligendis ovibus dissipati gregis sui curam adhibuit, cùm multi à Jacobitica fide defecissent, Heraclii & aliorum Imperatorum qui Calchedonensibus favebant, metu. Supererant præterea sectarii ex Gaianistis & Barsanuphianis complures, in quibus reducendis, aut compescendis,

fuit ipsi magnopere laborandum. Accessit gravior difficultas ex autoritate quam vir inter Calchedonenses primarius, nomine Theodosius, à Muhamedanorum principe Yezid Muaviæ filio obtinuit, in omnes Christianos Alexandriæ, Mareotidis, vicinæque regionis, ita ut Præfecto Ægypti, jus nullum in eum foret. Is Theodosius statim Agathonem aggressus est, & ab eo tributi nomine annuos aureos denarios triginta sex exegit, pro se suisque discipulis : nec iis contentus exigebat prætereà expensarum in Nautas Classiariosque nomine, & sub aliis ejusmodi causis, plurima : adeo ut præter tributa ordinaria septem denariorum millia ab eo expresserit. Ita coactus est Agatho, intra cellam, seu domum Patriarchalem, continere se, veritus Theodosii injurias, præsertim cùm is significasset ut quicumque Agathonem diu vel noctu exeuntem reperiret, lapidibus eum obrueret, & occideret, se pro eo responsurum. Tot injuriis nihil aliud quàm summam patientiam opposuit Patriarcha.

Ejus tempore ædificata est Ecclesia nomine S. Macarii ; cùmque numerus fratrum, hoc est Monachorum Jacobitarum, magis ac magis augeretur, cellas ædificaverunt variis in locis, earum loco quæ in Persica strage eversæ fuerant.

Narrat deinde Severus longam historiam Joannis Semnudæi Sacerdotis & Archimandritæ, cujus ex diuturna & gravi ægritudine sanationem per miraculum factam refert, oblatâ per somnium visione. Eumdem postea, divina quoque revelatione cognitum, ad se Agatho accersivit, scriptis ad Minam Episcopum Fiumensem literis, quia Monasterium erat in ipsius Diœcesi. Ut advenit, Ecclesiasticorum negotiorum maximam ei partem commisit, sciens ex facta priùs revelatione, fore ut sibi in Patriarchatu Alexandrino succederet. Ea propter cùm instarent multi ut eum Episcopum ordinaret, vel in superiori Thebaide, vel in alia quacumque Ecclesia vacante, noluit, ne ita aditum illi ad supremam dignitatem præcluderet. Ea verba notanda sunt, ut intelligatur summa olim religione & dudum post Muhamedanorum imperium, ab Alexandrinis observatam fuisse sanctissimam de non transferendis Episcopis disciplinam : quæ quidem apud Jacobitas diutissimè permansit ; apud Nestorianos, quantùm ex illorum historia colligere potuimus, prorsus neglecta est. De Joanne Semnudæo.

Magnam diligentiam adhibuit in ordinandis Sacerdotibus & Episcopis, qui vitæ merito, sacerdotio digni essent. Orta est eo-

dem tempore hæresis impura Iconomachorum, ita enim interpretanda videtur vox quæ hoc loco occurrit, ad eosque referenda nova illa hæresis: sed nondum ortam illam fuisse constat ex certioribus monumentis.

Obiit Agatho post longam ægritudinem, cùm sedisset secundùm Severum annis 19. Paophi 16ª, qua die memoria ejus assignatur in Kalendario Coptitarum. Elmacinus obitum ejus assignat an. Hegiræ 58°, J. C. 677°. Makrizius an. 56° Hegiræ, sexdecimque annos Pontificatûs ipsi attribuit, nec plura de eo occurrunt.

Eo temporis intervallo quo ille Sedem Alexandrinam obtinuit, obiit Hali filius Abutaleb an. Hegiræ 40°, J. C. 66°, occisus à sicario, post continua bella cum Ommiæ filiis, unde nata est controversia de Pontificatu quæ adhuc viget, cùm Haliadæ Ommiadas, quasi Califatus invasores detestentur, & Pontificatum in ejus familia permansisse existiment, qui sæpè à diversis repetitus sit: tandemque, ut stolida hodiernorum Persarum opinio est, in Mehedio ultimo quem superesse credunt, reviviscet.

Hacen Halis ex Fatima filia Muhamedis, filius, post mortem patris Califa renuntiatus, anno sequenti abdicavit imperium.

Muavia primus ex Ommiæ filiis Califa eodem an. 41°, J. C. 661°, Imperium iniit, quod ad mortem usque retinuit, quæ contigit an. Heg. 60°, J. C. 679°; atque adeo Agathoni supervixit. Successere Yezid Muavia secundus, Abdalla victus à Meruano.

Nulla sub illis Califis mutatio rerum quoad res Ægyptiacas, quæ per Præfectos administratæ sunt, sicut ab initio Imperii factum fuerat.

Joannes Semnudæus. Patr. XL.

JOANNES SEMNUDÆUS PATRIARCHA XL.

Joannis initia.

MORTUO Agathone, Theodorus quem eumdem esse non dubitamus qui superiùs Theodosius appellatus est, cùm Calchedonensis fidei tenacissimus foret, ut Jacobitis molestiam crearet, omnibus quæ in Patriarchio erant sigillum publicum apposuit, adeo ut ipso mortis die, ne panem quidem quo vescerentur haberent domestici Patriarchæ. Hanc injuriam aiunt à Deo statim vindicatam, à quo percussus sit morbo insanabili, dolore viscerum, & fame sitique inexplebili, adeo ut duodecim panis rotulos seu libras Ægyptiacas, viginti quatuor carnis, duos ficuum

JOANNES SEMNUDÆUS. Pat. XL.

cartallos comederet : ebiberetque utrem vini Mareotici, nec satiaretur, unde paulò pòst horrenda morte extinctum eum esse scribunt. Joannes Semnudæus in Agathonis locum suffectus est. Theodoro successit filius ejus, sed diversæ fidei, nam erat Jacobita, qui Joannem Patriarcham magnopere diligens, eum tanquam filius patrem observabat. Cùm verò totus Oriens bello continuo inter Græcos & Muslemanos arderet, Meruan Califa provinciarum præfecturam filiis suis dedit, & Abdel-Azizo Ægyptum regendam commisit : duos ille scribas seu secretarios assumsit, quorum unus Athanasius vocabatur, Syrus Edessenus : alter Isaac ex Sebraini, uterque Jacobita. Statim atque Abdel-Azizus Ægyptum ingressus est, scripsit Joannes ad Secretarios de obsignatione omnium bonorum Patriarchii : illi verò rescripserunt, ut ablatis sigillis, quæcumque ad Ecclesiam pertinebant Patriarchæ Joanni restituerentur.

Persecutio, exactio pecuniæ, liberatio.

Venientem Abdel-Azizum cùm Joannes non salutasset quia ejus adventum ignoraverat, ea occasio calumniandi oblata Theophani cuidam Melchitæ, qui Theodori sororem habebat in matrimonio. Is enim eum apud principem detulit, quasi per superbiam obsequium detrectasset, tum quòd opes ingentes accumulasset. Unde accersito & graviter increpato, mandavit Abdel-Azizus, ut centum aureorum millia fisco repræsentaret : donec mulctæ satisfecisset, in custodia servaretur à Ministeriali quodam duro & barbaro, qui statim jussit pedes ejus ignitis carbonibus admoveri, ut supplicio illo ad pecuniam quæ imperata erat solvendam cogeretur, cùm professus fuisset Joannes, ne centum quidem drachmas habere se. Ea nocte uxor Principis magnis doloribus vexata, misit ad Ministerialem illum, vetans ne quid mali Joannes pateretur. Postero die Princeps jussit, ut quod blanditiis ab eo extorquere posset, illud acciperet. Ille minatus se eum veste Judæi indutum, vultuque cinere inspersso per urbem ignominiosè circumductum ; cùm nihil proficeret, Joanne paupertatem excusante, quinquaginta millia denariorum aureorum petiit, moxque decem millibus contentum se fore dixit. Eam pecuniam Christiani Jacobitæ, qui in officiis Divani erant, collaturos se polliciti sunt, ne majus Ecclesia detrimentum caperet. Postea Joannes ad Principem ductus est, à quo benignè exceptus, reliquæ pecuniæ remissionem accepit. Ex palatio à suis cum honore deductus, statim in Ecclesiam venit ; & quia eo die Feria 5ª hebdo-

madæ ſanctæ celebrabatur, ſtatim ille lavit pedes ſuorum ex Ecclesiaſtica conſuetudine; tum Liturgiam celebravit, ſacraque myſteria circumtulit: & Euchariſtiâ populo diſtributâ, in Patriarchium reverſus eſt. Paulò pòſt Theophanes ille Præfectus Mareotidis, accuſatus & in carcerem conjectus, poſt dira tormenta, juſſu Abdel-Azizi interfectus eſt, in pœnam, ut exiſtimant, eorum quæ contra Joannem perpetraverat. Mandatum quoque eſt, publicato Edicto, ut nemo Patriarcham verbo vel injuriâ læderet, ut liberè in urbem venire, & ex ea egredi ipſi liceret, omnes ei honorem deferrent. His ita tranſactis, primores Chriſtianorum, & qui in aulicis officiis erant, pecuniam quam polliciti fuerant, Principi detulerunt. Nec minus liberales fuerunt in conferendis quæ ad Eccleſiæ D. Marci quam moliebatur reſtitutionem erant neceſſaria. Eam ædificationem triennio abſolvit, vaſa & ornamenta ad divinum cultum, quantum opus erat, comparavit. Domos etiam & poſſeſſiones, tam Miſræ, quàm in Mareotide, & Alexandriæ acquiſivit, & Eccleſiæ donavit, molendinum, furnum, torcular olearium. Ingruente autem fame, quæ per triennium totam Ægyptum vehementer afflixit, ex eadem Eccleſia panis & drachma bis per hebdomadem egenis diſtribuebantur ſummâ liberalitate, ſine qua maxima hominum pars periiſſet.

Eccleſia S. Marci ædificata.

Eo tempore recepti ſunt ad communionem Eccleſiæ Jacobiticæ populi Ahzoua & Scitos, qui priùs Calchedonenſem fidem ſequebantur: qui verò his corruptis nominibus deſignentur ignoramus. Cùm autem in tanta calamitate Orthodoxi Epiſcopos non haberent, facile fuit eos ad hæreſin transferri, quæ omnes paulò pòſt Coptitas infecit.

Cùm audiſſet eſſe in Monaſterio D. Macarii Monachum doctrina & pietate inſignem Iſaacum, petiit à Zacharia Epiſcopo ut eum ad ſe mitteret. Ubi Alexandriam venit, eum in præcipuis negotiis Eccleſiaſticis adjutorem & conſiliarium adhibuit, jamque de eo ſibi ſucceſſore deſignando cogitavit.

Ejus mors.

Abdel-Azizi ſalutandi gratiâ Miſram profectus cùm eſſet, pleuritide afflictus, navique Alexandriam reductus, in febrim incidit: quod ubi notum fuit Epiſcopis, venerunt ad eum Gregorius Epiſcopus Kis, Joannes Nikiouſi, Jacob Aroüat, Joannes Saca, Theodorus Melituſæ, & ex populo multi. Ab illis in Eccleſiam D. Marci quam ædificaverat delatus, & ad altare collocatus, Liturgiam inchoavit; ſed vix perfecta Oratione *Gratiarum actionis*, deliquium

iquium passus est : & translatus in proximum conclave, expiravit 1ª mensis Cohiac, 27ª Novemb. cùm sedisset annos novem; sepultusque est in Ecclesia D. Marci quam ædificaverat : Elmacinus octo annos, Abulbircat novem numerat : & is obitum ejus assignat anno 392° Martyrum, J. C. 676°, sed perperam : obiisse debuit an. Heg. 67°, J. C. 686°.

ISAAC PATRIARCHA XLI.

Isaac Patr. XLI.

Electio ab Emiro rejecta.

VACANTE Alexandrinâ Jacobitarum Sede per obitum Joannis Semnudæi, convenerunt Episcopi, quorum præcipui fuerunt Gregorius Episcopus Kis, Jacob Episcopus Arowat, Joannes Nikiusi, cum aliis Episcopis, & Laicorum primoribus; habitoque cum Sacerdotibus Alexandrinis consilio, simulque adhibito Scribâ rationum regiarum Præfecto, consenserunt in ordinationem Georgii Diaconi Ecclesiæ Saca, urbis Episcopalis, quæ aliter Ξιος ab Ægyptiis appellatur : absque consensu prævio Abdel-Azizi Emiri seu Principis. Ita enim apud se constituerant, ut si illa electio Principi displiceret, excusarent se, quòd Joannes ante mortem eos sacramento obstrinxerat, ut Georgium sibi successorem eligerent. Illum igitur sacerdotem ordinaverunt, & schemate seu habitu monastico induerunt, publicatâ in sequentem diem ejus in Alexandrinum Patriarcham ordinatione. Jamque illum veste patriarchali indutum in Ecclesiam introducere parabant, cùm obstitit Marcus Archidiaconus, vir prudens, qui negavit moris esse aut ecclesiasticæ disciplinæ, Episcopalem ordinationem alio die quàm Dominico fieri. Unde graviter errasse certum est Elmacinum, qui ab Isaaco statutum fuisse dicit, *ut Patriarcha nonnisi die Dominico ordinaretur* : vetus hæc enim disciplina est & ipsius Ecclesiæ Alexandrinæ libris & canonibus confirmata, ut eo tantùm die & festis solemnibus ordinationes celebrentur. Nec omittendum peccatum interpretis, qui *instituere* Patriarcham vertit, quod *ordinare* significat. Venerunt interea mandata ab Abdel-Azizo jubente Georgium & eos qui eum elegerant, Misram ire, rationem eorum quæ designaverant, apud eum reddituros. Cùm in conspectum ejus venissent, non literis modò, sed testimoniis diversis probatum est, Georgium, eum non esse quem Joannes successorem designaverat, sed Isaacum, quem statim Princeps Patriarcham ordinari jussit, irritamque Georgii electionem pronuntiavit. Du-

Elm. p. 68.

ctus ergo Isaac Alexandriam, omniumque consensu probatâ electione, ab Episcopis ordinatus est.

Ecclesia D. Marci restituta.

Magnum opus aggressus est, dum Ecclesiam majorem D. Marci Kamscia dictam, vetustate penè collapsam, & Episcopium ex integro restauravit: atque ita Liturgiarum celebratio, quæ ob ruinam locorum intermissa diu fuerat, renovata est. Ædificavit quoque Ecclesiam Holüanæ, ubi Abdel-Azizum Emirum convenerat: erat is locus in inferiori Ægypto, *Fostata*, sive *Cahira*, distans parasangis duabus, ex alto Nilum prospiciens. Geographus noster Persa duas stationes inter utrumque locum esse scribit, quæ major omnino distantia est: nam *parasanga* tria *mil*, sive milliaria continet, statio triginta milliaria, atque adeo decem parasangas. Hortatus est etiam Sahidis & aliarum regionum Christianos, ut domos sibi Holüanæ construerent.

Gol. Notis ad Alfragan. p. 224.

Scribit ad Reges Nubiæ & Æthiopiæ.

Scripserat ad Regem Nubiæ & ad Regem Æthiopiæ literas, quibus eos ad concordiam hortabatur: quâ tamen occasione magnum apud Abdel-Azizum periculum adiit, cùm à quibusdam eo nomine accusatus fuisset, atque iratus Princeps eum accersitum jam capitis condemnasset: at amici Patriarchæ missis qui literas Legatis ejus datas reciperent, aliasque nihil nisi officia continentes substituerent, eum immunem fecerunt. Nubiam olim Christianam fuisse passim apud Orientales fermè omnes Autores legitur; & antiquiorem adhuc apud Æthiopas Habessinos fuisse Christianæ fidei professionem certissimum est: at quando Christiani illi Jacobitarum errores acceperunt, incertum planè est: neque occurrit in hac historia quidquam de Nubiorum erga Alexandrinos Jacobitarum Patriarchas subjectione, hoc exemplo vetustius: sed de illis Ecclesiis erit uberior & opportunior dicendi locus. Verisimile porro omnino videtur, in tanta Ecclesiarum vastitate cùm nullus Alexandriæ esset Episcopus Orthodoxus, Jacobitas, à quibus Æthiopes Metropolitas suos semper acceperunt, simul cum hæreticis Antistitibus hæresin quoque accepisse, quod Nubiis quoque ut accideret facile omnino fuit; idque confirmat Abulfaragius.

Emirus Christianos vexat.

Abdel-Azizus contra prædecessorum suorum exempla Christianos vexare cœpit, jubens confringi cruces omnes in tota Ægypto, etiam aureas & argenteas, quarum usus erat in sacris Officiis. Jussit etiam Ecclesiarum ostiis adfigi inscriptiones blasphemas, in quibus *Muhamed* prædicabatur tanquam *magnus Apostolus Dei; Jesus Christus Apostolus Dei:* tum solennis illa & toties repetita

in Alcorano nænia, *Deus non gignit neque gignitur*: quibus vehementer afflicti sunt Christiani.

Obiit tandem Isaac, cùm sedisset annos 2. menses 9. 2ª mensis Athir: secundùm alia exemplaria sedisse dicitur annis tribus. Makrizius habet an. 2. mens. 11. Elmacinus obiisse eum affirmat an. Heg. 69°, J. C. 688°.

Regnum seu Califatum obtinuit eo tempore Abdelmelicus, Meruanis filius, undecimus Califa, quintus Ommiadarum, ab an. Heg. 65°, J. C. 684°, usque ad 89um, J. C. 707um, quo fermè tempore Abdel-Azizus Præfecturam Ægypti gessit; nempe ab anno 20° usque ad obitum suum qui contigit an. Heg. 86°, J. C. 705°. Illi successor datus est in Præfectura eadem ab Abdelmelico fratre, Walid ipsius Abdelmelici filius, qui eo mortuo Califatum obtinuit usque ad an. Heg. 96um, J. C. 714um, quo vitâ functus est. *Elmac. p. 65. Makrizius.*

SIMON PATRIARCHA XLII.

Simon Patr. XLII.

POSTQUAM Isaac diem suum obiit, agique cœpit de successore ipsi deligendo, magna inter sacerdotes Ecclesiæ D. Marci & Clerum Ecclesiæ Angelii de qua superiùs dictum est, contentio exorta est, aliis Joannem Abbatem Monasterii dicti *Elzejage*, Græcè montis *Natron* sive Nitriæ, ut vocari solet in Vitis Patrum; aliis Victorem Archimandritam alterius Monasterii: nec ad concordiam facilè adduci poterant, cùm in utroque æqualis propemodum virtus & dignitas reperiretur; primus etiam, patrinus foret scribæ publici, qui Præfecto ab actis & epistolis erat. Ejus igitur autoritate, & consensu sacerdotum Ecclesiæ Angelii qui tunc erant centum quadraginta, cùm omnes ad aliorum sententiam accessissent, deductus est Joannes ad Abdel-Azizum Præfectum, ut ejus electio confirmaretur.

Erat inter Monachos ejusdem Asceterii, cujus Abbas Joannes à Clero & Laicis ad Patriarchatum postulabatur, vir quidam pius, & doctrinâ omnes ætatis suæ superans, Simon nomine, Syrus origine. Eum, cùm admodum puer esset, parentes ejus Alexandriam deduxerant, & Ecclesiæ obtulerant velut alterum Samuel, eâ præsertim ratione quòd in eo Monasterio corpus Severi Antiocheni in loculo quiescebat, ad quod magnus erat Syrorum Jacobitarum concursus, qui vota & oblationes eo loci facie- *Abuselah Armenus.*

bant. Theodorus vir inter Alexandrinos primarius, de quo superiùs dictum est, Simonem, cùm adhuc esset Diaconus, ad Joannem Archimandritam deduxerat, ut apud eum in sacris literis erudiretur; quo in studio tantùm diligentiæ adhibuit, ut totum Novum Testamentum & magnam Veteris partem memoriâ teneret. Cùm verò Agathoni Patriarchæ non doctrinâ modò, sed præclaris moribus placuisset, eum sacerdotem ordinavit, secundumque ipsi locum in Monasterio post Joannem assignavit. Ubi electio Joannis facta fuit, jussusque est ad Emirum proficisci, Simon, quem filii spiritualis loco habebat, in ejus comitatu fuit, simul cum sacerdotibus, Theodoro & reliquis Jacobitarum primoribus: cùmque Joannes, quem in conspectum suum admisit, eum salutasset, delectatus Princeps ejus modestiâ & oris venustate, quæ magnam dignitatem habebat, postulavit ab illa Jacobitarum multitudine, an eum Patriarcham optarent. Responderunt omnes se illum petere; jamque acclamatione publicâ sententiam suam significaverant, cùm inconsultis aliis, Episcopus quidam clamavit hunc non fore illorum Patriarcham. Omnibus stupentibus & silentibus, Princeps Episcopum dicere jussit, quisnam tali ministerio dignus sibi videretur: Episcopus Simonem nominavit. Princeps eo advocato, quæsivit cujas esset: responderunt eum esse Orientalem Syrum. Quæsivit an Patriarcham eligere aliquem ex indigenis non possent: dixerunt eum quem elegerant, adesse coram eo, ab ipsis adductum; quod supererat, rem à divina voluntate & Principis nutu pendere. Simon interea dixit Principi, neminem in Ægypto & Oriente reperiri, qui Joanne dignior ad Patriarchale munus sustinendum foret, qui pater ipsius spiritualis fuerat, vitamque angelicam ducebat. Hæc Simonis modesta oratio multitudinem Christianorum in admirationem ejus rapuit, adeo ut statim una voce Patriarcham illum dari sibi poposcerint, quod Princeps concessit; atque ita à Clero & Primoribus Alexandriam deductus & ordinatus est in Ecclesia Angelii magnâ Jacobitarum lætitiâ. Statim Joannem, sub cujus obedientia in Monasterio vixerat, designavit adjutorem sibi in præcipuis Ecclesiæ rebus administrandis; & humiliter adeo erga illum se gessit, ut in suprema dignitate constitutus ipsi adhuc obediret, patremque, ut priùs, appellaret.

Synodicæ literæ ad Antiochenos. Scripsit post ordinationem suam ad Julianum Patriarcham Jacobitarum Antiochenum Synodicas de Fidei communione literas

doctrinâ Scripturarum & sanctorum Patrum refertas, quas per Episcopos misit. Literæ publicè lectæ Antiochiæ, magna cum Simonis laude, cujus nomen, ad significandam communionem utriusque Ecclesiæ, inter Diptycha pronuntiatum est: respondit-que Julianus, & literas per eosdem Episcopos misit, qui honoribus cumulati in Ægyptum redierunt.

Vixit Joannes apud eum annis tribus, quibus elapsis cùm obiisset, Simon, qui per dies quadraginta decumbenti semper adfuerat, oculos mortui composuit, sepulcrum ipsi extruxit, jussitque ut prope eum, cùm mortuus foret, sepeliretur.

In dignitate positus, nihil ex asperitate vitæ monasticæ remisit; præter panem salque cum cymino contritum, nihil comedebat; atque ita cum Episcopis & aliis ex plebe Jacobitica rarò conveniebat, ut majus otium haberet, quod orationibus impenderet. Ea austeritas multorum offendit animos, tandemque tale Alexandrinorum odium adversùs eum excitavit, ut quidam veneno eum tollere aggressi sint, immisso in vas ex quo bibebat: verùm cùm bibisset, postquam Eucharistiam sumsisset, nihil mali passus est, etiamsi iterum & tertiò infusum illi eodem modo venenum fuisset. Itaque ficus infectas ei porrexerunt quodam die, cùm Eucharistiam non percepisset; quas cùm sacerdotes quatuor conjurati obtulissent & gustare coegissent, magnis doloribus cruciatus per dies quadraginta in summo vitæ discrimine fuit, tandèmque miraculo quodam sanitati restitutus est. Ita rem Severus narrat: Elmacinus aliter; scribit enim ter ei venenum præbitum post sumtionem Eucharistiæ nihil nocuisse, quartò cùm absque sumta Eucharistia accepisset, obiisse. Neque aut Elmacinus aut alius quidquam habent, unde suspicari liceat, mortem fuisse pœnam violati ritus communicaturis præscripti, ut jejuni ad sacra mysteria accedant, de qua disciplina cautum est multis Coptitarum Ecclesiasticis legibus. Hæc porrò discrepantia inter Autores duos, quorum primus antiquitate commendatior est, parum aut nihil refert, cùm de miraculo per Eucharistiam facto conveniant, qualia tamen non extare apud Orientales, communis est Protestantium hallucinatio: nempe quia temerè id affirmatum est à viro magni inter eos nominis, qui in reconditioribus literis, præcipuè in Orientalibus, planè hospes erat. Nec interest vera an falsa Severi & Elmacini narratio sit; facilè enim concedimus dubitari cum ratione posse de miraculis inter hæreticos factis. Sufficit

Vita aspera Simonis in Pontificatu.

Miraculum per Eucharistiam.

P. 68.

Hist. Patr. f. 403.

eam verissimam existimari ab illis apud quos scripta est, & à quibus legitur, ut inde constet certissimè eos de Eucharistiæ Sacramento, eadem quæ nos Catholici, credere, nempe veram & realem transmutationem elementorum in corpus & sanguinem Christi; quæ nisi credatur, impossibile prorsus est venire hominibus in mentem, quidquam de sanctitate & efficacia elementorum, multò minus ejusmodi miracula quæ naturæ vires adeo superent, ut divinæ tantùm in ipsis Sacramentis præsentiæ adscribi queant. Neque est causa suspicionis ulla, quasi temerè id à nobis asseratur ex præjudicatis opinionibus, quas in Ecclesiæ sinu ab incunabulis accepimus: cùm Orientales in eadem ac nos elementorum consecratorum veneratione, sacrilegiorum, aut negligentiarum vindicatione, aliis tandem omnibus doctrinæ de reali corporis Christi præsentia appendicibus, potiorem disciplinæ suæ Eucharisticæ partem constituant, ut alibi fusè probavimus.

Princeps, cùm Patriarcha ad eum salutandum venisset, & in vultu ejus agnovisset eum à vehementi morbo recèns convaluisse, causam sciscitatus, eâ perspectâ Sacerdotes quatuor qui venenum præbuerant, & Magum quemdam veneficum qui illud paraverat, vivos comburi præcepit propè Pharum. Cùm ad supplicium ducerentur, Simon prostratus cum lacrymis ab Emiro petiit, ut illis pœna capitalis remitteretur, alioqui futurum se depositione dignum, si sui causâ necarentur. Id cùm ab eo obtinuisset, Magus solus pœnas dedit: Sacerdotes in exilium pulsi sunt.

Episcopi depositio. Joannem Episcopum Nikiousi præfecit Monasteriis ob summam canonum disciplinæque Ecclesiasticæ peritiam: & magna tunc erat multitudo Monachorum, ita ut Cellæ quotidie ædificarentur: primores sæcularium quæ ad vitam necessaria erant ipsis subministrabant. Accidit tamen ut quidam Monachi ex valle Habib secretò fœminam abducerent; quod cùm palam factum fuit, magnæ inter eos turbæ secutæ sunt. Joannes Episcopus autorem facinoris comprehensum, tam vehementer verberari jussit, ut decimo die mortuus fuerit. Episcopi, cùm res innotuisset, congregati apud Patriarcham petierunt, ut Joannes deponeretur; negabant enim licere secundùm Ecclesiæ disciplinam ut ad altare accederet, sed sufficere ut ad Monasticam communionem admitteretur; quod ille impatienter tulit, imprecatus ut sicut eum à Sede sua expellebant, ita quoque à sedibus

ſuis expellerentur. Alium tamen Minam ſeu Mennam ex Monaſterio D. Macarii ejus loco ordinaverunt.

Sectarii. Eo tempore prodierunt ſectarii quidam turpiſſimi, qui Chriſtianorum nomen præferebant, etſi legitimas uxores dimitterent, & alias acciperent. Illos Epiſcopi à communione prohibuerunt, illi verò ad Emirum profecti conqueſti ſunt ſe ab Epiſcopis ejectos, qui eos nubere vetarent, fornicari permitterent. Ille Epiſcopos ex ſedibus omnibus Alexandriam convocavit, ubi adfuerunt ſexaginta quatuor, quibus ignotum prorſus erat quam ob cauſam acceſiti fuiſſent. Congregati itaque ſunt eum in modum per dies multos, ſingulisque hebdomadibus ſextâ feriâ Principi ſalutationis obſequium deferebant. Cùm verò convenire juſſiſſet omnes Epiſcopos, aderant non modò Jacobitæ, ſed etiam ex aliis ſectis, Melchitæ nempe ſeu Calchedonenſes, quos etiam Theophyletianos, ſi nomen rectè habet, vocat Severus, à Theophylacto ſuo Epiſcopo, cujus non meminit Eutychius, qui in eadem Cathedra ſedens, ſucceſſionem ſuorum prædeceſſorum ignorare vix poterat. Aderant etiam ex Monophyſitis, Gaianitæ quidam: Theodorus Barſanufianorum & alii Pſeudoepiſcopi. Epiſcoporum 64. Synodus.

Interea allatum eſt de rebellione Græcorum exercituum adverſus Juſtinianum, Rhinotmetum ſcilicet, quem Leontius Imperio ſpoliaverat: quibus tumultibus cùm res Romanæ turbatiſſimæ forent, convocavit Chriſtianorum primarios Præfectus Ægypti, Muſlemanoſque, ut illis ſignificaret ruinam Græcorum, qui mutuis ſe conjurationibus conciderent, depoſitis Imperatoribus, aliiſque ſubſtitutis. Hinc ſuperbus adverſus Chriſtianos, vetuit ne officia divina celebrarentur, increpans etiam eos quòd errarent graviſſimè, Deo filium attribuentes, tum quòd in varias ſectas diviſi, de propria religione ſua inter ſe diſcordes eſſent. Mox interrogavit Epiſcopum Gaianitarum, quis ex illis Epiſcopis propior rectæ doctrinæ eſſe videretur, quemve aliis præferret. Reſpondit ille, Simonem. Deinde cùm à Theophylacto Melchitarum Epiſcopo idem quæſiviſſet: præferre ille ſe religionem Simonis teſtatus eſt: ita quoque Georgius Barſanufianorum Epiſcopus, ſuam, deinde Simonis religionem reliquis prætulit. Tandem Simon ſententiam de aliis Epiſcopis eorumque religione dicere juſſus, alta voce negavit ullam probare ſe: verùm omnes æqualiter vocè & ſcripto, anathemate condemnare.

Episcopi ab Indis postulati. *Elmac. p. 68.*

Venit paulò pòst sacerdos quidam ex India ad Simonem Patriarcham rogans ut Episcopum Indis ordinaret, qui non erant tunc sub Mahamedanorum potestate. Respondit Simon facere se id non posse absque Principis licentia: cum igitur adiret, &, si permitteret, facturum se quod postulabatur. Adjunxerunt se Legato quidam Gaianitæ, à quibus deductus est ad Theodorum Antistitem sectæ Phantasiastarum, qui nihil moratus, hominem quemdam ex Mareotide Episcopum Indis ordinavit, adjunctis duobus sacerdotibus, qui simul in Indiam profecti sunt. Post viginti dies ab itinerum custodibus Muslemanis, missi sunt ad Abdelmelicum supremum Emirum, nempe qui Califatum obtinebat. Sacerdos Indus fugâ se proripuit, tres alii vincti ducti sunt, quorum Abdelmelicus jussit amputari manus & pedes, mittique in Ægyptum, scribens ad Abdel-Azizum: Cùm homines isti comprehensi sint ex Ægypto proficiscentes in externas regiones, satis intelligi, nescire Præfectum quid in provincia sua gereretur; nempe quod Alexandrinus Patriarcha in Indiam usque nuncios mitteret, qui de rebus Ægypti referrent: jubere igitur ut statim atque istæ literæ ad eum pervenissent, Patriarcha ducentas plagas acciperet; & centum aureorum millia fisco inferre cogeretur. Jussus adesse Patriarcha, rem ut gesta erat narravit; cùmque fidem non inveniret, obtentâ tridui morâ, eo intervallo repertus est Sacerdos Indus ille niger, qui primò ad eum venerat, & postea ad Gaianitarum Episcopum Theodorum veniens, Episcopi & duorum Sacerdotum ordinationem obtinuerat: qui Sacerdos ad Emirum ductus & veritatem confessus, Simonem suspicione suppliciique periculo liberavit. Sacerdotem Indum Emirus in carcerem trudi imperavit; Theodorum Pseudoepiscopum cruci affigi: quæ omnia Abdelmelico Califæ fratri suo per literas significavit, in quibus Simonis Patriarchæ innocentiam testatus est, simulque insigne de ejus probitate & modestia testimonium dedit.

Erat Abdel-Azizus publicis operibus occupatus, multaque ædificia tam Holüanæ quàm Misræ & Alexandriæ moliri cœperat, fora, hospitia, balnea, muros, aquæductus quibus illas urbes exornari, & iuvari satagebat. Jussit porrò Episcopis quos per triennium ad aulam vocatos retinuit, ut duas Holüanæ Ecclesias ædificarent, ad quod opus contulerunt quidquid pecuniarum habebant; Episcopo Kis Gregorio, ædificationis curam suscipiente. Illis tamen operibus Ægyptus mirè gravata est, cùm Emirus non minus

minus quàm alter Pharao populos durissimis laboribus impensisque vexaret. Tamen Simon, ne quæ novi adversùs Christianos scandali esset occasio, omnem curam adhibuit ut ædificia ipsis imperata absolverentur quàm citissimè.

Narrat postea Severus miraculum, quod paucis verbis & dubitanter attingit Elmacinus, de Sacerdote quodam Simonis precibus suscitato. Vocabatur Minas, eratque œconomus Ecclesiæ Alexandrinæ, cui etiam Diaconiam, seu custodiam supellectilis sacræ commiserat. Is subita morte extinctus, jam in feretro collocatus erat, ornatus sacerdotali veste, sicut, inquit, mos est Alexandrinis, sacerdotes sepelire. Cùm verò jam sacerdotes & alii ad ultima pietatis christianæ officia persolvenda congregati essent, advenit Simonis discipulus, qui cùm ad eum osculandum procubuisset, revixit mortuus: vitamque sibi Patriarchæ precibus restitutam testatus est. Adjecit se, statim atque animam efflasset, ductum esse ante tribunal Christi, à quo interrogatus, cur Ecclesiæ bona apud se retinuisset, ea propter damnatum esse ad tenebras exteriores. Statim Patriarchas qui circumstabant pro eo intervenisse, ut vitæ restitueretur, ne Simon eorum filius ob fraudatam bonis suis Ecclesiam, calumniam aut damnum pateretur: tandem Christum eorum precibus vitam illi concessisse, modò ablata restitueret, & pœnitentiam ageret. Hæc cùm dixisset Minas, surrexit è feretro sanus, ablata restituit, & veniam deprecatus est. Istius miraculi meminit quoque Chronicon, cujus non major quàm Severi & Elmacini est in hoc genere autoritas.

Mortuus suscitatus.

Ordinavit Simon Episcopos qui doctrinâ sacrarum literarum maximè conspicui essent; Zachariam Episcopum Saca, & Ptolemæum Menuf superioris, & alios multos istis similes.

Tandem ipso Pentecostes die cùm in morbum incidisset, sentiens finem vitæ suæ proximum, misit discipulum ad Monasteria Vallis Habib, ut benedictionem Monachorum postularet, significans se eos ampliùs non visurum, postquam ad eos ultimam profectionem instituisset; quod fecit, statim atque Holüana reversus fuit, postquam Episcopos in sedes suas remisisset. Ibi susceptâ Monachorum benedictione Alexandriam rediit, & obiit 24° mensis Abib seu Epipi, anno secundùm Severum 416° Diocletiani, cùm sedisset annos septem, menses sex. Sepultus est in Monasterio Elzegiage, seu Nitriæ, ubi Joannem prædecessorem suum deposuerat. De numero annorum Patriarchatus consentiunt

Aa

Abulbircat, & Makrizius, qui eumdem annum Diocletiani 416um illius vitæ ſupremum fuiſſe ſcribunt. Is annus incidit in an. J. C. 700um, Hegiræ 81um. Cùm igitur prædeceſſor ejus obierit ſecundùm Elmacinum an. Heg. 69°, ſederitque annos 7. menſes 6. obitus ejus incidit in an. Hegiræ 76um aut 77um, qui annus non convenit anno Diocletiani ſuperiùs deſignato; multò minùs anno 402°, quo mortuus eſſe ſcribitur in Canone Chronologico apud Abulbircat: tanta eſt Orientalium in ejuſmodi calculis inconſtantia: pejus adhuc erratum in eo quem edidit Athanaſius Kircherus, ubi dicitur obiiſſe an. Diocletiani 426°, qui eſt J. C. 710us. Obiit enim ſub Abdelmelico, imò ſub Abdel-Azizi Præfectura, qui vixit uſque ad an. 86um Heg. J. C. 705um: atque adeo non potuit uſque ad an. 710um pervenire.

Memoriam Simonis celebrant Coptitæ in ſuo Kalendario 24. menſis Abib, quo die vita functus eſt, ut Æthiopes in ſuo Synaxario.

In hac porro hiſtoria jam animadvertere licet formam etſi non plane abſolutam, imperii circa res Eccleſiaſticas, quod Muhamedani ſumſere ſibi in Chriſtianos, adeo ut Patriarcha is demum eligeretur, qui principi placuiſſet, non qui aptior ad Eccleſiam adminiſtrandam: quæ everſio diſciplinæ omnium deinde malorum cauſa fuit. Tunc etiam à Muhamedanis cœptum eſt fiſcale illud adverſus Chriſtianos bellum, quod huc uſque exercent, dum quacumque occaſione gens avariſſima pecunias illis imperare ſolet.

Monachi Epiſcopis ſubditi.

Notanda quoque diſciplina quæ nuſquam interrupta eſt ſubjectionis Monachorum erga Epiſcopos; privilegia enim quibus à communi lege Monaſteria ſolverentur, etſi quædam in Eccleſia Græca fuerint, reliquæ Orientales ut plurimùm ignoraverunt.

Renovata communio cum Jacobitis Antiochenis.

Nec omittenda eſt Epocha renovatæ per literas Synodicas communionis inter Jacobitas Alexandrinos & Antiochenos, cujus non pauca deinde occurrent exempla: quæ quidem inter Patriarchas illos duos ita conſervata eſt, ut unuſquiſque propriam dignitatem retineret, neuter alteri ſubeſſet: adeo ut quamvis Romani Pontificis ſupremam autoritatem non agnoſcerent, quod ob Calchedonenſis Concilii fidem quam Neſtorianiſmi condemnant, eum extra Eccleſiam eſſe crederent, illius tamen Sedis prærogativam in ſuis Canonum Collectionibus teſtatam fecerint. Id ex Ebnaſſalo, Echmimenſi, Abulfaragio & aliis certiſſimum eſt, ne-

moque supremam illam autoritatem ad se traxit, Constantinopolitanorum Episcoporum exemplo, qui Sedes Patriarchales suæ communionis reliquas sibi subjecerunt, adeo ut non modò leges ipsis dixerint, tanquam Oecumenici Patriarchæ, sed omnes tandem consuetudines, ritus Ecclesiasticos, disciplinamque immutaverint, ut nulla alia superesset, quàm quæ erat Constantinopolitanæ Ecclesiæ propria. Ea ambitione factum, ut apud Alexandrinos, & Antiochenos Orthodoxos, veteres Ritus, Liturgiæ, sacramentalesque libri penitus interierint, substitutis aliis qui Constantinopolitanis similes forent, imò & apud Ægyptios usus omnis veteris linguæ, tam in Sacramentis quàm in Psalmodia interciderit; qui in Jacobiticis Ecclesiis huc usque servatur. Prope par Nestorianorum Patriarcharum qui Catholici appellantur, ambitio fuit, etsi casu potius quàm certo consilio. Neque enim primarias Sedes post damnatum Nestorium hæresis illa infecerat, cùm Jacobitæ in duabus Alexandrina & Antiochena, Episcopum suæ sectæ semper habuissent. Verùm cùm Nestoriani Modainæ seu Seleuciæ Parthorum Ecclesiam occupassent, ad quam veluti religionis suæ præcipuam confluebant Syri ferme omnes Mesopotameni, ab Orthodoxis & Jacobitis æquè excommunicati, adeo ut Syriacos ritus, Syrorumque linguam in Synaxibus usurparent: brevi tempore factum est ut alia non usurparetur in omnibus sacris officiis: tandemque ubicumque hæresis illa recepta est, Syriaci ritus & Syriaca lingua obtinuerunt.

Balsam. Resp. ad Quæsita Marci Alexandrini.

De miraculo circa Eucharistiam.

Miraculum erga Simonem factum de præbito ei veneno, quod per Eucharistiæ sumtionem vires suas amisit, præter Severum & Elmacinum, Chronicique Orientalis Autorem, quidam alii commemorant; cui non absimile narrant Maris Salomonis filius, & Amrus filius Mathæi Nestoriani in ejus Epitome de Hananjechüa Catholico Nestorianorum, qui sub Califa Abdelmelico vixit, quo regnante, Simon Alexandrinam cathedram obtinebat. Differunt autem, quòd isti præbitum fuisse venenum dicunt in ipsa Eucharistia, à quo tamen nihil mali passus fuerit. De altero isto miraculo eadem quæ de priori dicere possumus: nempe quòd etiamsi dubitare possimus & debeamus de ejusmodi signis apud hæreticos factis, certam tamen probationem contineant illorum de Eucharistia fidei apud quos scribuntur & leguntur. Neque enim de veritate transmutationis elementorum in Corpus & Sanguinem Christi dubitaverunt, qui ea scribebant, & qui cum admiratione legunt.

Hæretici Manichæi.

De Hæreticis illis qui nuptias contaminabant, quales fuerint dicere non possumus: Manichæorum fortassis reliquias fuisse conjectari licet; cùm in tanta Ecclesiarum calamitate, facile omnino fuerit Christianos pastoribus destitutos, & inter Orthodoxorum, & Jacobitarum dissidia fluctuantes, sub sævissima Muhamedanorum tyrannide, amisisse rectæ fidei depositum, & variis erroribus infectos fuisse.

Indis Episcopus postulatus & quibus.

Indi qui à Simone Patriarcha ordinari sibi petierunt Episcopum, quales fuerint scire admodum difficile est, cùm aliunde vix quidquam occurrat ex quo conjectura capi possit, an Sacerdos ille ex India propriè dicta venerit, an ex Æthiopia, an verò ex vicinis Insulis quæ ad Indias propriè pertinent, aut in Mari Erythræo sitæ sunt. Omnes quippe præsertim à nostris Autoribus Græcis & Latinis Indorum nomine appellantur: qua ratione, ut multorum virorum doctissimorum sententia est, Nilus Virgilio dicitur, *Usque coloratis amnis devexus ab Indis:* quem ex Æthiopia originem ducere ut scimus, ita principem Latinæ poeseos scivisse non immeritò judicamus. Usus tamen illius vocis in lingua Arabica nullus, opinor est, præsertim apud Ægyptios Christianos, quibus res Æthiopiæ notiores fuerunt. Itaque non ex Æthiopia venisse hunc Sacerdotem, eò faciliùs credendum est, quòd non Episcopum, sed Metropolitam qui Alexandriæ ordinari solebat antiquitùs, Æthiopes postulassent. Accedit altera ex hac historia ratio, quòd Sacerdos ille cum illis quos Gaianitarum Episcopus ordinaverat, non in via quæ ducebat ad Æthiopiæ regionem, sed in Abdelmelici ditione captus est, nempe in Syria vel Mesopotamia, per quas iter erat secundùm Euphratem & Tigrin ad Indiam propriè dictam. In vastissimis sanè illis provinciis Christum olim annuntiatum fuisse multis antiquorum testimoniis docemur, sed tamen Christianæ Fidei vestigia nulla reperta sunt, ex quibus non agnosceretur, hæresin simul illic ita viguisse, ut coæva quodammodo primæ fidei prædicationi censeri debeat. Nam Malabares jam ante nongentos annos, Nestorianam hæresin professos fuisse dubitari vix potest: imò eamdem ad Sinas sub hoc ipso de quo mox loquebamur Hananjechua, aut alio ejusdem nominis Nestorianorum Catholico penetrasse, ex Inscriptione Syro-Sinica aliisque monumentis demonstratur. Nihil igitur nobis verosimilius occurrit, quàm quod in publica totius Asiæ calamitate quæ Muhamedanorum Imperium consecuta est, pauci qui in India erant Christiani,

Kircher. Chin. illustr.

aut Malabarenses, aut Taprobanenses, de quibus Cosmas Monachus in Indopleuste testatur eos integram Liturgiam habuisse, jam sub Justino Imperatore, cùm defecissent apud eos Episcopi, misisse in Ægyptum, quò pervenire faciliùs poterant, atque eosdem cùm à vicinioribus Nestorianis tandem Episcopos accepissent, Nestorianos factos fuisse.

Eutychius Alexandrinus quædam aliis autoribus prætermissa refert, quæ ad res Christianorum illius temporis pertinent. Ait quippe Abdel-Azizo cubicularios duos fuisse Melchitas, quibus petentibus ut sibi exstruendæ Ecclesiæ copiam faceret, concessit. Illos igitur ædificasse Holüanæ parvam Ecclesiam nomine S. Joannis, quæ ab illis, *duorum cubiculariorum* nomen retinuit. Habuisse præterea scribam, seu ab epistolis, Athanasium quemdam Jacobitam, qui licentiâ sibi ab eo factâ in *Casserelchema*, seu *Arce candelæ*, intra Cahiram duas alias Ecclesias construxit; alteram nomine S. Georgii, alteram dictam Abukir. De illis Ecclesiis mentio est apud Autores rerum Ægyptiacarum. Tunc autem Alexandrinum Patriarcham orthodoxum nullum extitisse argumento est, quòd nullius nomen legatur apud eumdem Eutychium, cui prædecessorum suorum successio ignota esse vix potuit. *T. 2. p. 369.* *Makriz. t. 2.*

ALEXANDER PATRIARCHA XLIII. ALEXANDER Patr. XLIII.

SEVERUS, Elmacinus, & alii scribunt, post obitum Simonis Syri vacasse Sedem Alexandrinam per triennium: & eo temporis intervallo Athanasium scribam qui Divano præfectus ab Abdel-Azizo fuerat, impetrasse ut usque dum Patriarcha in defuncti locum substitueretur, res Ecclesiæ, quæ tributi nomine multa Sultano debebat, fidelis alicujus dispensatoris curæ committerentur. Missus est igitur Alexandriam Gregorius Episcopus Kis, Ecclesiæ vacantis bona administraturus, sub principis autoritate, qui literis sigillo suo munitis, illud ei munus commisit. Cùm tandem Jacobitæ præsentibus Episcopis, Sacerdotibus, & Divani Ministerialibus Alexandriam convenissent, elegerunt Alexandrum Monachum ex Monasterio *Elzegiage*, sive Montis Nitriæ, castitate quam à pueritia coluerat, cæterisque præclaris dotibus commendabilem, qui ordinatus est anno Diocletiani 420°, ipso die festo S. Marci. Annus Diocletiani convenit an. J. C. 704°: Annus Hegiræ 81us, quo eum ordinatum fuisse scribit Elmacinus, est Vacatio Sedis.

J. C. 700us. Annus obitûs est secundùm eumdem, Hegiræ 108um, J. C. 726us: sedit autem annis 24. aut 25. quos si ab an. 700 J.C. numeramus, reperiemus duntaxat annum 724um vel sequentem. Itaque fatendum est, ut in aliis, ita hoc in loco turbatissimam esse Jacobitarum Chronologiam; nec modò in assignandis initio & fine istius Patriarchatus, sed etiam in intervallo Sedis vacantis, quod annorum trium fuisse scribunt, cùm quinquennii ferme fuerit. Illud verò calamitosum maximè fuit, cùm Ecclesia pastore viduata maximis turbis agitata fuerit, quas excepit dura à Muslemanis persecutio.

Persecutio ab Ægypti Præfecto.

Erat Abdel-Azizo Præfecto Ægypti filius natu maximus Asaba, cui omnem negotiorum publicorum curam commiserat, quique successor ipsius futurus esse videbatur, atque eâ ratione omnibus terrori erat, præsertim cùm esset crudelis, rapax, & immani odio Christianos prosequeretur. Admiserat inter familiares suos Diaconum quemdam Benjaminum, qui in ejus amicitiam intimam receptus, mysteria Religionis Christianæ ei aperiebat; adeo ut ipsi Evangelium Arabicè explicaret, libros quoque de religione diversos, Patriarchalesque Epistolas, non alio fine quàm ut blasphemandi occasionem quæreret; tum dispiceret an quidquam, præsertim in illis Epistolis, contineretur quod ad Muhamedanorum contumeliam pertineret. Audiebat etiam Ignicolarum, hæreticorumque adversùs Monachos calumnias, quasi ederent & biberent, ad alia inutiles forent. Misso igitur ex aulicis suis Yezido, Monachos omnes censeri jussit, illisque unius aurei tributum capitatim imposuit, quod tunc primùm fuit illis imperatum: vetuitque ne ullus post censum illum à se institutum in Monasticum ordinem reciperetur. Episcopis quoque præter commune tributum, duorum millium aureorum mulctam imposuit, quam quotannis fisco inferre tenerentur. Instigabat eum ad Christianorum perniciem Benjamin Diaconus & Monachus, omnibus aliis deterior: tantaque & tam gravis persecutio fuit, ut multi ejuratâ Christianâ fide ad Muhamedanos deficerent, atque inter alios Petrus Thebaidis Præfectus, & Theodorus ejus frater, filius etiam Theophanis qui Mareotidis Præfectus erat, sacerdotes magnaque laicorum multitudo. Majora etiam ab eo homine pericula Christianis imminebant, nisi Christus ejus adversùs Religionem odio pœnas justas inflixisset. Venerat Asaba Sabbato Luminum in Ecclesiam Holianæ: ibi contemplatus imaginem B. Virginis Mariæ Jesum in

Imaginum cultus.

finu gestantis, ornatam ut oportebat, interrogavit Episcopos & alios qui aderant, quænam esset hæc imago. Responderunt esse imaginem Mariæ matris Jesu Christi. Tum ille post blasphemiam, imaginem conspuit, dixitque fore sibi aliquando tempus quo Christianos ex hac regione prorsus deleret: Quis enim, inquit, est Christus, ut eum divinis honoribus prosequamini? Eadem nocte per somnium vidit speciem sedentis super thronum, vultu terribili & fulgurante, radiosque tanquam solis emittente, adstantibus millibus multis armatorum in vestibus candidis: tum adductum se cum Abdel-Azizo patre catenis vinctum: & querente Christo de injuria sibi per eum illata, unum ex armatis lanceâ eum transverberasse. Hæc ille patri ipso die Paschatis referebat: statimque ardentissima febre correptus cùm decubuisset, secundâ horâ noctis expiravit. Abdel-Azizus ipse dolore amissi filii post quadragesimum diem extinctus est. Rem aliter narrat Elmacinus, qui Abdel-Azizo impietatem adversùs imaginem commissam tribuit, aitque eum ipso die post somnium quo se lanceâ transfigi videbat, obiisse, filiumque ejus post quadraginta dies mortuum fuisse. Cùm autem testimonium huic historiæ petat ex Vitis Patriarcharum, diversis cum codicibus usum fuisse oportet, nisi memoria lapsus est. P. 69.

Post Abdel-Azizi mortem, quæ à Makrizio & aliis autoribus refertur ad annum Hegiræ 86um, J. C. 705um, atque adeo contigit sedente Alexandro, Athanasius Jacobita, qui inter Divani Ministeriales præcipuum locum tenebat, Damascum profectus est, ut Abdelmelicum Califam salutaret, eique rationes officii à se gesti redderet: at ille eum bonis omnibus spoliavit. Postea Ægypti Præfecturam contulit Abdallæ filio suo, juveni annorum novemdecim, qui pejor adhuc decessoribus suis, Christianos statim durissimè vexavit; tantaque erat illius crudelitas, ut nova tormentorum genera excogitaverit; quotidieque in convivio homines jugulari imperaret, adeo ut mensa sanguine respergeretur, quo spectaculo gaudebat.

Alexander illius salutandi causâ Misram ex more profectus, vix in conspectum illius admissus est. Eum interrogavit Abdalla, an is esset quem veluti Patrem Christiani agnoscerent. Cùm annuisset, tradidit illum uni ex stipatorum suorum numero, jubens ut quantamcumque pecuniam posset ab eo extorqueret. Ille in custodiam conjecto, tria aureorum millia imperavit, neque

per triduum, fruſtrà intercedentibus pro Patriarcha ſuo Chriſtianis, quidquam ex imperata pecunia remittere voluit. Georgius Nemraüæus Diaconus, cùm eos nihil proficere animadverteret, neque ſpes ulla eſſet libertatis obtinendæ, niſi numeratâ pecuniâ, rogavit ut Patriarcha ſibi committeretur, ea conditione ut poſt duos menſes illum repræſentaret: atque eo intervallo pollicitus eſt circuiturum ſe cum eo urbes & pagos, ut Chriſtianos ad liberandum illum, collata ſtipe exhortaretur. Id cùm obtinuiſſet, circumducto ſecum Patriarcha per totam Ægyptum inferiorem, collectis pecuniis ab Epiſcopis, Monachis, viriſque inter Laicos primariis, tria aureorum millia fiſco intulerunt.

Tributum duplicatum. Abdalla his non contentus cùm Chriſtianis exprobraſſet, eos non meliori apud ſe loco eſſe, quàm Romanos aut Græcos, imò ſe illos habere tanquam Dei hoſtes, quos impunè occidere liceret, aurei capitale tributum duplicavit, imò & ter in anno exegit: unde multæ Eccleſiæ ſpoliatæ & vaſtatæ ſunt. Juſſit etiam convenire omnes juvenes ab anno vigeſimo & infra, ut eos cenſeret: peregrinos omnes notâ in fronte & manibus ſignavit: tributum imperavit perſolvendum pro mortuis, antequam ſepelirentur: tantaque ſub illius præfectura calamitas Chriſtianorum fuit, ut multi qui fugâ ſaluti ſuæ conſuluerant, fame perirent, & inſepulti abjicerentur. Neque ullus tot malorum finis fuit, niſi elapſis annis duobus, cùm extincto Abdelmelico, ſucceſſit Walid filius ejus natu maximus, qui Præfectos Provinciarum omnes in ordinem redegit, & Abdallæ ſucceſſorem miſit Korahum filium Seriki. Is omnes Abdallæ amicos in carcerem conjecit, eoſque fortunis omnibus ſpoliavit, ſive Muſlemani eſſent, ſive Chriſtiani. Sed etſi paululum perſecutio conquieviſſet, nihilo melior eorum conditio ſub Koraho quàm ſub Abdalla fuit. *Hiſt. Ægypti.*

Nova perſecutio. Statim enim atque Korahum adiit, ut ei fauſta adprecaretur, juſſus eſt ſicut Abdallæ, ita & ſibi tria aureorum millia ſolvere. Cùm Patriarcha paupertatem ſuam teſtaretur, neque ſibi quidquam ſupereſſe, præter aureos quingentos, pecuniam verò quæ ab Abdalla imperata fuerat, mendicando ſe collegiſſe: juraſſetque nullam apud ſe repoſitam habere, nihil motus Præfectus, permiſit ut in ſuperiorem Ægyptum proficiſceretur, experturus an ex eleemoſynis Chriſtianorum conficere tria denariorum aureorum millia poſſet. Eò igitur profectus eſt, ſuſceptuſque magnâ ſuorum lætitiâ, qui à tempore Benjamini Patriarcham in Sahid

ſeu

ſeu Ægypto ſuperiori non viderant. Interea cùm Solitarius quidam ſenex duobus Monachis diſcipulis ſuis præcepiſſet ut cellam ſibi extra deſertum ædificarent; dum fodiunt, repererunt arcas æreas quinque, pecuniâ Græcorum veteris numiſmatis plenas, quarum unam ſepoſuerunt, quatuor reliquas ſeni indicaverunt. Juſſit ille ut pecunia illa omnis tanquam divinitùs miſſa, ad Patriarcham deferretur in tantis anguſtiis ſublevandum; quæ cùm ejus Oeconomo Georgio Monacho & Secretario tradita foret, illi eam retinuerunt & in quodam loco defoderunt, ignorante Patriarcha, qui in Thebaidis extrema profectus, aberat. Monachi qui quintam capſam furati fuerant, abjecto vitæ Monaſticæ inſtituto, veſtes ſplendidas, puellas & cætera quæ ad luxum pertinebant, ementes luxuriari cœperunt; eorumque alter ex ſuſpicione comprehenſus, & tormentis adhibitis interrogatus, unde illi ad tot ſumtus pecunia ſuppeteret, furtum faſſus eſt, ſimulque de quatuor aliis arcis indicium dedit. Hæc omnia cùm Korahus reſciviſſet, Alexandriæ Eccleſiam Jacobitarum & Epiſcopium claudi juſſit, omnemque ſuppellectilem ejus auream & argenteam, libros, pecora, jumenta diripuit: Patriarcham vinctum adduci cum ſuis imperavit, quaſi perjurii reum, quòd nihil apud ſe nummorum eſſe interpoſito jurejurando affirmaſſet; ei etiam mortem minabatur: tandem poſt ſeptidui carcerem juſſit tria aureorum millia fiſco repræſentare; quibus cùm ſolvendo non eſſet, poſt biennium magno labore mille collegit & dedit.

Vix eam calamitatem evaſerat, cùm accuſatus eſt de monetaria officina, quaſi eam haberet in Patriarchio, aureoſque cuderet. Hæc calumnia avidè excepta, fecit ut nulla inquiſitione habita, miſſis militibus, omnes ex illius contubernio comprehenſi, & ipſe cum illis, ad terram proſtrati verberati ſint, adeo ut ſanguine manarent, & prope ad necem uſque cæderentur, etſi nullo indicio calumnia confirmata fuerit. Tales anguſtias perpeſſi ſunt uſque ad annum Martyrum 430um, J. C. 714um.

Calices vitrei pro aureis.

Interea cum Alexandrinis graviſſima Patriarchæ controverſia interceſſit: venerunt enim ad eum tertiâ Paſchæ feriâ Sacerdotes, Monachi & Laici, diſtributionem, quæ quotannis fieri ſolebat, poſtulantes. Excuſabat ille ſe his verbis: *Videtis, fratres, quanta Eccleſiarum ſpoliatio facta ſit, adeo ut pro calicibus aureis & argenteis in quibus offerebatur ſanguis pretioſus, fecerimus vitreos; & diſcos ſeu patenas ſacras, ex ligno.* Ita, ſed nonniſi poſt

asperas contumelias, quas patienter admodum tulit, recesserunt.

Erat inter Jacobitas vir quidam primarius, Jounes nomine, qui cùm Christianos multis & quotidianis pecuniarum exactionibus oppressos videret, pro ea, quâ apud Præfectum valebat, autoritate, ab eo obtinuit, ut curam tributi ab illis colligendi ad se transferret, cùm essent quibus facultates abundantes forent, alii solvendo impares reperirentur. Permisit etiam ut erga eos qui neque Christianorum Coptitarum, neque Muhamedanorum fidem sequerentur, ageret Romanâ lege, nempe ut illis tributum duplicaretur. Patriarcha profectus in Diœcesin Episcopatûs Sa, multos illic hæreticos cùm invenisset, Ganatas & Semidalitas, qui benedictionem seu sacramenta non habebant, cùm ab fœdo errore illos revocasset, baptisari curavit in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti. *Ganata* vocem corruptam esse patet, quæ quidem hoc loco de Gaianitis accipi non potest, cùm de illis paulò pòst sermo futurus sit. Igitur *Agnoetas* designari existimamus Themistii discipulos, qui Christo ignorantiam attribuebant, & de quibus Joannes Damascenus. Aliâ voce Semidalitas significari non dubitamus, de quibus idem N° 86°, ubi eos ita dictos hac de causa docet. σεμίδαλιν γὰρ προστιθέασι τοῖς ἀπὸ Διοσκόρου δῆθεν προσκομισθεῖσι, καὶ τῷ ἄκρῳ δακτύλῳ ἐφαπτόμενοι γεύονται τοῦ ἀλεύρου, καὶ τοῦτο ἀντὶ μυστηρίου δέχονται, προσκομιδὴν καθόλου μὴ ποιούμενοι. Hoc est interprete Cotelerio, *Similam enim addunt iis quæ à Dioscoro oblata sunt, & consecrata, atque summo digito attingentes degustant farinam, & hoc pro Sacramento suscipiunt, oblationis sacrificium omnino non peragentes.* Illud nempe significatur quod Severus ait eos *benedictionem non habuisse*; hac enim voce expresserunt Græcam ἰυλογίας, quæ ad Latinos quoque migravit ut sæpè Eucharistiam significaret, etsi rariùs, quàm *panem benedictum*, eum nempe ex quo Eucharistia conficeretur. Ita cùm Eucharistiæ quampridem, ut mos antiquus ferebat, apud se reservaverant, farinam adderent, ex ejus contactu, & commistione eam quoque consecrari censebant. Hunc ritum etsi non in Eucharistia, attamen in fermento, quo panis eucharisticus confici solet, servant à multis sæculis huc usque Nestoriani, qui singulare officium habent, quod *Innovatio fermenti sancti*, apud eos appellatur: veteri nempe massæ noviter conspersam farinam adjiciunt. Atque ex duplici illo testimonio, tum Joannis Damasceni, tum Nestoria-

Hæretici conversi.

Tract. de hæres. n. 85.

Agnoetæ & Semidalitæ.

norum cognoſcimus morem apud hæreticos conſervatum, qui antiquæ diſciplinæ de fermento per Parochias, & Eulogiis mittendis veſtigia repræſentet.

Altera nec minor occurrit difficultas, quomodo Themiſtianis & Semidalitis illis, qui procul dubio circa Trinitatis myſterium non errabant, atque adeo baptiſabant in nomine Trinitatis, iteratus apud Jacobitas baptiſmus fuerit, præſertim cùm utrique eſſent ex Monophyſitarum ſecta. Occurrit ſtatim conjectura ſimpliciſſima, quæ ſanè vera eſſe poteſt, nempe quòd hæretici illi præter primævos errores, alios quoque ſuperaddidiſſent, ut facile fuit in tanta Eccleſiarum clade, qualis illata eſt à Muhamedanis, dum Ægypto potiti ſunt. Verùm alia, ut videtur, ratio quærenda eſt ex communi errore qui à multis ſæculis Orientalium pervaſit animos, circa baptiſmatis adminiſtrationem. Nam multi negant ſuſcipiendum eſſe hæreticorum baptiſma, quamvis in alia ſententia ſint Abulfaragius, Ebnaſſalus & alii : cæteris baptiſma non videtur ſufficiens, ſi deſit Euchariſtia; atque ea ratio, ut videtur, fuit cur apud ſectarios illos qui Euchariſtiam non haberent nec ſacerdotes, ſacramentum ex integro dandum judicaverint : quanquam multoties ab Orientalibus ex ignoratione diſciplinæ peccatum fuiſſe dubitare non poſſumus. Verùm ſi malè aliquando de baptiſmi miniſtro ſentientes, aut potiùs Eccleſiæ certam regulam ignorantes, illum iterare aggreſſi ſunt, quia nullum exiſtimabant; factum id, quia de ſumma hujus ſacramenti neceſſitate, deque ſacerdotalis miniſterii dignitate certi, iterari maluerunt illud, quàm in æternæ ſalutis periculo relinquere eos, quibus deeſſe aliquid ad illius gratiam conſequendam ſuſpicari poterant.

Cur illi rebaptiſati.

Venit etiam ad Diœceſin Mena, ubi Epiſcopus erat Honorius, ibique multos monachos baptiſari curavit, qui huc uſque baptiſari neglexerant, fortè ne ab aliis quàm ſuæ communionis hominibus baptiſarentur. Ita enim interpretanda nobis videntur hæc verba. Barſanuſianos quoque qui illic erant, ad Orthodoxorum, hoc eſt Jacobitarum, communionem reduxit.

Monachi non baptiſati.

Tum ad Vallem Habib profectus, magnam illic Gaianitarum multitudinem reperit ab Eccleſia ſegregatorum ante annos centum ſeptuaginta, per Julianum Halicarnaſſæum. Alibi etiam ubicumque hæreticos reperit alienos à Theodoſianorum fide; eos ad Jacobiticæ Eccleſiæ unitatem reduxit : quod præſtitit præſertim,

Gaianitæ Hæretici.

in urbibus Panos, ſeu Bana, Abuſir, Semnud, Rechid, Damietâ viciniſque regionibus.

Novæ exactiones.

Iterum Korahus Chriſtianos vexare cœpit, nam primatum qui in Palatinis officiis fuerant, aliorumve ditiorum opes, cùm obierant, rapiebat; imo & ipſorum Epiſcoporum: tributum etiam centum millibus aureorum auxit. Plerique tot malis oppreſſi cum uxoribus & liberis ſedes mutare coacti ſunt, locum ubi conquieſcerent non reperientes: cùm præterea Abdel-Azizum quemdam præfeciſſet, qui erat ex urbe Saca, ut omnes qui ex ſuis locis fugiebant, vinctos, & cæſos reduceret. Ortâ peſtilentiâ graviſſimâ, periit in Ægypto ingens hominum numerus, præſertim Muhamedanorum, & inter alios Korah peſſima morte extinctus eſt.

Res Antiochenæ. Juliani Patr. Antiocheni obitus.

Obiit interea Julianus Jacobitarum Patriarcha Antiochenus, qui pridem Synodicas de communione fidei literas Alexandriam miſerat, Sedemque Antiochenam obtinuerat ab eo tempore quo Joannes Alexandrinus Patriarcha renunciatus fuerat, uſque ad hunc de quo ſcribimus Alexandrum. Cùm verò vetuiſſet Walid, ne in Juliani demortui locum alter ſubrogaretur, Epiſcopum quemdam Eliam in Sede Antiochena communi conſenſu conſtituerunt; qui Synodicas literas ad Alexandrum ſcripſit, & per Epiſcopum Stephanum miſit. Eo loco obſervatu dignum eſt, hanc Eliæ Antiocheni electionem non haberi quaſi legitimam, & more majorum factam, quippe qui jam Epiſcopus, & Eccleſiæ alligatus, ad Antiochenam transferri ſecundùm Canones non poterat, qui adhuc in Alexandrina Eccleſia Jacobitica vigent: in Antiochena citius oblivioni traditi, in Neſtoriana prorſus neglecti ſunt. Illa igitur Eliæ non tam ordinatio fuit, aut legitima electio, quàm commendatio vacantis Sedis Patriarchalis. Ea tranſlationum prima inter Orientales Schiſmaticos origo fuit: quæ apud Græcos à multis ſæculis frequentari cœperunt, etiam cum in Latina Eccleſia locum non haberent. Erat Alexander in Monaſteriis Vallis Habib, cùm literæ Synodicæ ad eum pervenerunt: quas cùm accepiſſet, congregatâ ſuorum frequentiâ publicè illas legi juſſit, ſimulque ſignificavit, Orientales conſenſiſſe, ut Patriarchæ loco Epiſcopus Elias conſtitueretur qui ordinationes celebraret, idque factum ex neceſſitate, ſicut olim Gregorius Theologus Nazianzo Conſtantinopolin evocatus erat, ut ei Eccleſiæ illius cura committeretur; qua ratione animi Ægy-

Elias Epiſcopus Antiochenæ Eccleſiæ adminiſtrator.

ptiorum placati sunt : scriptaque ad Synodicas responsio.

Alexandriæ Patriarcha per vim impositus.

Refert ad eadem tempora Severus, satagente quodam Theodoro, qui Alexandriæ præerat nomine Korahi, fuisse in eadem urbe Medicum nomine Hono . . . (reliqua legi nequeunt) quod, inquit, *faciem asini* significat, quem Theodorus petiit ordinari Patriarcham, & obtinuit : erat autem Calchedonensis seu Melchita: dedit etiam ejus causâ scriba quidam Anastasius, Emiro aureos mille. Ita adversarii illius Patriarchæ causâ magnas turbas expertus est Alexander, fremente Jacobitarum plebe, eumque è medio tollere conante. Sed paulò pòst ille pœnitens ad Alexandrum venit, & fidem Jacobiticam professus est, ab eoque susceptus. Quid de hac narratione judicandum sit, in obscuro est; nec enim Eutychius, Orthodoxi seu Melchitæ ullius Patriarchæ Alexandrini, sub Walido constituti meminit.

Ecclesiæ spoliatæ & dirutæ.

Major adhuc deinde quàm sub Koraho Christianorum persecutio facta est : jussit enim columnas marmoreas & porphyreticas auferri ab Ecclesiis, quarum plurimæ dirutæ sunt : sed cùm ille obiisset, missus est ad regendam provinciam, Asama antecessoribus crudelior, à Walido secundùm Severum, à Solimano ejus successore, juxta Elmacinum : anno circiter Martyrum 431°, J.C. 715°: etsi in Indiculo Præfectorum Ægypti apud Makrizium ille non occurrat. Verùm istud parum aut nihil refert. Ingens fames Ægyptum oppressit, quam dira pestilentia secuta est. Jussit ne exteri admitterentur, in portubus, neque in foris, aut in privatis domibus. Vetuit ne Monachi, ullum ad Monasticum habitum susciperent. Omnes Monachos censu habito numeravit, eosque manicam ferream in dextra ferre jussit ut agnoscerentur; inscripto simul nomine Ecclesiæ aut Monasterii, & anno secundùm æram Muhamedanam. Anno 96°, qui est J.C. 714us, sæviit majorem in modum adversus Monachos; & si qui fugientes, aut absque manica ferrea reperirentur, eos aut membris truncatos inutiles reddebat, aut oculos eruebat : multos occidit, capite amputato, aut vi tormentorum, adeo ut sub ipsis verberibus expirarent. Avaritia incredibili, omnes spoliare cupiens, licentiam ministerialibus tribuit occidendi & spoliandi quoscumque vellent, modò spolia ad se deferrentur. Ita populares, Episcopi, Ecclesiæ vastari cœperunt; & omnia ad pecunias corradendas modico pretio emtoribus addicta, unde ingens annonæ raritas, auctumque aurei denarii pretium, adeo ut triginta quinque drachmis

argenteis æstimaretur. Multi ad tales angustias redacti sunt, ut filios in servitutem vendere cogerentur. Etiam illud commentus est, ne quis absque literis commeatus in viam se daret : si literæ intercidissent, aut aliquo casu ruptæ, vel accisæ essent, novas decem aureis emere cogebantur, aut manus ipsis amputabantur. Ea occasione narratur exemplum mulieris, quæ cùm iter faceret, filiusque ejus bibendo, à crocodilo abreptus fuisset, cùm in sinu haberet literas, vestes vendere & mendicare coacta est, ne pœnam nefariæ illius legis pateretur. Ecclesiarum ostia ferreis catenis claudi jussit, minatus earum eversionem, nisi mille aureos Monachi penderent, & unum capitatim præter ordinaria tributa. Tandem aliquod in tanta calamitate solatium Christiani acceperunt, mortuo Solimano filio Abdelmelici, qui obiit an. Heg. 99°, J. C. 716°, cùm duos annos & menses octo Califatum obtinuisset.

Elmacin. p. 69.

Successit illi Omar filius Abdel-Azizi, qui Asamam in vincula conjici jussit; isque paulò pòst cùm Alexandriâ Misram duceretur, dolore & pædore confectus periit. Initio imperii benignus erga Christianos fuit, Ecclesias & Episcopos à tributis immunes esse voluit. Sed paulò pòst literas misit, quibus edicebat, ut qui securi in Ægypto manere in suo statu vellent, Muhamedanam religionem amplecterentur; qui nollent, regione excederent. Hinc nova & acerbior adversus Christianos persecutio : sed eum citò Deus è medio sustulit, an. Hegiræ 101°, J. C. 719°.

Successit ei Yezid filius Abdelmelic, 16[us] Califa, sub quo non melior fuit Christianorum conditio; nam tributum quod Episcopis & Ecclesiis Omar remiserat, ipse renovavit, inauditis gravissimisque vectigalibus subditos exhausit. Nec his contentus cruces frangi, imagines aboleri in Ecclesiis, præcepit. Periit ille post annos duos, menses quatuor : an. 105°, J. C. 723°.

Res Antiochenæ.

Hischam ei successit frater ejus, vir, inquit Autor, timens Deum, quantùm in Muhamedana religione fieri potest, sub cujus imperio Christiani paululum quieverunt. Statim cùm accepisset Antiochenos Jacobitas Patriarcham non habere, obierat enim Elias ille, qui, ut superiùs dictum est, cùm Episcopus esset, Patriarchatum consensu suorum susceperat : alium Episcopum elegit, nomine Athanasium, quem Patriarcham constituit. Nomen illius ita scribitur apud Elmacinum; apud Severum aliter, sed corruptis literis : ita ut suspicari possimus Ignatium legi

P. 81.

debere. Illi igitur Episcopi manus imposuerunt, & Patriarcham constituerunt. Is ad Alexandrum Synodicas de communi Jacobitarum fide literas misit; quibus cum gaudio susceptis, ipse respondit, ad testandam Ecclesiasticæ communionis continuationem.

Sub isto Califa venit cum Præfecti autoritate in Ægyptum Obeidalla quidam, Jacobitis, ut initio videbatur, favens, qui tamen alios feritate superavit. Nam tributa duplicavit: Christianos sigillum plumbeum, in quo leonis figura erat, ex collo pendens, ferre jussit; qui eo carerent, manus illis præcidi imperabat: numerari quoque fecit non modò homines, sed & animalia. Tum ad ædificia animum adjiciens, ex tota Ægypto collegit homines, quos insanis suis substructionibus operam dare cogebat. Cùm ad eum Alexander adductus esset, ut, sicut alios Christianos, illum quoque notâ in manu impressâ signaret; rogavit Patriarcha tridui moram concedi sibi, quam cùm ægrè obtinuisset, fugit navi; & cùm ad locum dictum *Paræout* pervenisset, jamque in morbum gravissimum incidisset, obiit, solo Episcopo Vissim Aba-Hamoul eum comitante. Hunc comprehensum & ex fuga retractum Obeidalla mille aureos pendere jussit; quos cùm solvere non posset, militibus duobus traditus, post multa verbera per plateas Misræ usque ad portam Ecclesiæ D. Georgii tractus est; ubi ex brachiis suspensus, nudatus, taureisque penè ad mortem cæsus est, vixque semianimis liberatus est ab illis barbaris, cùm Christiani circumstantes trecentos aureos contulissent. Nova persecutio.

Sedit Alexander annis 24, mensibus 6: & sub ejus Pontificatu aiunt floruisse multos Monachos & Anachoretas in eremo & speluncis & monasteriis, non modò vitæ sanctimoniâ, sed etiam miraculis conspicuos. Inter alios enituit maximè Domitius ex urbe Asfent, qui ægrotos sanabat, mortuos suscitabat: puellam, quæ ex incesto fratrum suorum concubitu uterum ferens parere non poterat, cùm cognito crimine increpasset, vivam coram se hiatus terræ absorbuit. Hoc autor vitæ quem Severus secutus est, accepisse testatur à viris fide dignis qui interfuerant, superfuisseque eo in loco hiatum per menses sex, unde fumus & odor teterrimus erumperent. Addunt multos quoque sanctos Monachos tunc fuisse miraculis claros, in monasterio Semidæ in monte Aderbana, cujus Monasterii Makrizius meminit, sed ita ut suâ ætate Ecclesia tantùm superesset. Ibi Archimandrita fuit nomine Aba-Sebeb, sepultus illic, ad cujus tumulum multa quoque miracula facta fuisse Miracula Monachorum Jacobitarum.

Jacobitarum traditio est. Alios fuisse in Valle Habib quibus sæpè apparitiones Christi, Apostolorum, Angelorumque, & revelationes offerrentur; & inter illos senem nomine Junes, sive Joannem, qui ter à Barbaris captus & abductus, toties in Monasterium suum D. Macarii, mirabiliter restitutus est, cujus postea Hegumenus fuit; nam sacerdos erat. Ea enim, inquit Autor, lex seu canon obtinebat in deserto Vallis Habib, ut inter sacerdotes quicumque ordine prior esset, eum ordinarent Abbatem seu Hegumenum: neque tamen Eucharistiæ communionem postea accipiebat, donec ei per somnium apparuissent Christus, aut B. Virgo, aut aliqua mysteria revelata illi fuissent. Erat istius senis discipulus Epimachus, qui postea *Komos*, sive Archimandrita, fuit; miraculis quoque celebris, qui vitam usque ad annos fermè centum produxit. Duos spirituales fratres habuit, Abrahamum & Georgium, Antonii Magni imitatores strenuos, qui futurorum secretorumque cognitionem divinitùs habebant. Fideles in Ecclesiam introeuntes videbant tanquam agnos candidos: si quis in peccatum incidisset, in nigrum color ille commutabatur; atque ita eum monebant, ut pœnitentiam ageret. Atque hæc fusè admodum à Severo & antiquioribus tractata contraximus, ut etiam in falsis illis miraculis agnosceretur Jacobitarum traditio, quos mirari non debemus, si in tanta tamque immani calamitate, qualem sub Muhamedanis sustinent, ea emblemata frequentiùs interserunt, ut suos ita ad fidem conservandam cautiores reddant & alacriores. Nec inutilis censenda est nostra opera in colligendis illorum, qui sanctitatis famâ apud Jacobitas Ægyptios commendantur, nominibus: nam cùm aliunde quàm ex ista illorum historia noti non sint, sæpè ex eorum similitudine Itinerariorum scriptoribus & Apostolicis Missionariis accidit, ut pro sanctis habeant eos qui extra Ecclesiam Catholicam vixerunt; quod exemplis aliquot, si necesse foret, confirmare possemus. Extitisse autem in desertis Ægypti Monasteriisque Anachoretas & Monachos plurimos, Acephalorum, sive Theodosianorum hæresi infectos, & ex antiquis monumentis, & ex sola Cyrilli Scythopolitani autoritate in vita Euthymii & Sabæ, satis intelligimus, ut nihil certius sit. Cùm verò per annos plurimos Orthodoxi in Ægypto Episcopos non haberent, nec Alexandriæ Patriarcham, omnes fermè Episcopi hæretici jam ante Benjaminum in Sahidem & Monasteria Vallis Habib se recepissent, nihil propius erat quàm ut omnes hæresi inficerentur.

Disciplina Vallis Habib in constituendo Abbate.

Canon

Canon apud Abulbircat Alexandrum obiisse testatur 2ª Amschiri seu Mechir, anno Martyrum 430°, J. C. 714°: sedisse annos 24, menses 9. Makrizius annos 24, menses 6. Elmacinus anno Heg. 108° mortem ejus assignat, qui erat J. C. 726us, Makrizius an. 106°, J. C. 724°; atque adeo, ut sæpè monuimus, decennio errat Abulbircat: neque aliorum calculus vitio prorsus carere censendus est.

De gravissima sub hoc Patriarcha Christianorum persecutione, Makrizius ex Elmacino & aliis satis accuratè scribit: docetque Obeidallam, & Asamam, qui tum à Severo, tum ab Elmacino, quasi præfecti describuntur; tamen non comparent in eorum historia, fuisse vectigalibus colligendis præpositos: notam verò quam barbari illi Christianos Monachos ferre jusserunt, ait fuisse annulum seu manicam ferream, in qua nomen Monachi Monasteriique inscriptum esset. Reliqua ut apud Severum & Elmacinum.

Abrahami & Georgii Monachorum, de quibus suprà dictum est, commemoratio fit ad S. Macarium, 9ª Tybi, hoc est 4ª Januarii, in Kalendario Coptico.

COSMAS PATRIARCHA XLIV.

COSMAS Patr. XLIV.

MORTUO Alexandro, electus est in ejus locum Cosmas Monachus ad sanctum Macarium Panopoli oriundus, inconsultus & renuens: qui idcirco quotidianis precibus Deum interpellare non desinebat, ut se ex hoc mundo transferret. Elapsis igitur mensibus quindecim, obiit ultima die mensis Baïni: sextam ejusdem mensis habet Canon Abulbircat. Plura de isto Patriarcha non occurrunt, quem obiisse anno Hegiræ 109° scribit Elmacinus, J. C. 727°.

THEODORUS PATRIARCHA XLV.

THEODORUS Patr. XLV.

ERAT ille Monachus in Monasterio quodam Marœotidis prope Temnua, sub disciplina senioris viri, sanctitate & revelationibus clari, apud quem in durissima pœnitentia catenis ferreis corpus macerans, se exercuerat. Is senex, Joannes nomine, Theodoro prædixerat fore, ut quo anno moreretur Alexander, ipse quoque Joannes diem suum obiret; postea verò illum, decedente ejus successore, collocandum in Cathedra D. Marci. Igitur Jacobita-

rum Alexandrinorum præcipui, cum Clero & Episcopis post longam de eligendo Patriarcha deliberationem, consenserunt tandem ut Theodorus Monachus eligeretur; quem ex Monasterio extractum, Alexandriam duxerunt, ubi ex more ordinatus est.

Ecclesiæ pax sub Theodoro.

Sub ejus regimine Ecclesia tranquilla fuit, adeo ut ex pristina calamitate planè recreata, restitutaque in priorem statum fuerit, quasi ex frequenti per tributorum exactores & præfectos spoliatione nihil detrimenti passa fuisset: tamen paulò pòst Obeidalla duplicatis tributis, novisque vexationibus, omnes adeo premere cœpit, tam Christianos quàm Muhamedanos, ut ingens calamitas consecuta sit; præsertim cùm auri argentique species admodum imminutæ fuissent & rariores effectæ. Verùm cùm Ægyptii de ejus tyrannide apud Hischamum Califam querelas detulissent, potestate privatus est: ejusque filius Ismael, in Barbarorum regionem missus; ut etiam ipse postea ad Africæ præfecturam, tanquam in exilium relegatus. In ea provincia cùm insolentiùs se gereret, & sævitiâ rapacitateque omnes adversùm se concitasset, orta adversus eum seditione interfectus est ab Africanis cum filiis, uxoribus, & pellicibus, quas in oculis illius occiderunt, uteris discissis, fœtibusque coram eo projectis: tandemque Ismaele filio majore in conspectu ejus trucidato, extractisque intestinis, quibus Obeidallæ caput & vultum post omnia contumeliarum genera deturpaverunt. Hæc omnia vivente Theodoro gesta sunt; qui obiit postquam sedisset annos 11. menses sex, 7ª mensis Mechir, hoc est 1ª Februarii: an. Hegiræ 120°, qui numerari incepit à 28ª Decembris, an. J. C. 737ᶦ, quique convenit cum Epocha ejus ordinationis, quæ facta fuit, ut suprà dictum est, anno Hegiræ 109° nondum elapso, cùm mense Junio contigerit. Canon Abulbircat assignat annos 11. menses 7. ordinationem factam mense Abib, die non adnotato, an. Martyrum 432°, J. C. 716°, mortem 7° Mechiri an. 444°, J. C. 728°.

Nihil præterea docet nos Severus de rebus gestis Theodori, nihil Elmacinus. Sed apud Makrizium legitur ejus tempore renovatam fuisse Ecclesiam S. Mennæ vulgò Abu Mina, extra Misram. Ea autem, ut ex alio ejusdem Autoris loco discimus, erat prope mare, tresque ejus tempore Ecclesias separatas habebat: quarum una erat Jacobitarum Ægyptiorum, altera Syrianorum, tertia Armenorum: & in ea quotannis festum celebrabatur, ad quod omnes Christiani conveniebant.

CHAIL PATRIARCHA XLVI.

ANTIQUUM aliquem & æqualem Autorem in hac vita describenda secutus esse Severus videtur, verbosum sanè plus quàm opus erat: in quo excerpendo ita versabimur, ut, quæ scitu necessaria erunt, describantur; reliqua, præsertim ad politicam historiam spectantia, paucis explicentur ex certioribus Autoribus. Nam Muhamedanorum hac in parte potior omnino est autoritas, quàm Christianorum, quos sæpè hallucinatos esse, non uno loco deprehendimus. Præcedentium Patriarcharum historiam à Cyrillo usque ad Simonem scriptam esse testatur à multis, atque præsertim à Georgio Monacho Archidiacono & Secretario Simonis Patriarchæ, de quo superiùs, qui persecutus est ea, quæ à Marciano Imperatore Jacobitæ sustinuerunt, & quæ deinde Patriarchæ eorum passi sunt, usque ad Solimanum Abdelmelici filium; quibus ipse autor adjecit quæ ùsque ad Theodori mortem, sub Asama & aliis Ægypti Præfectis aut vectigalium exactoribus secuta sunt. Longam deinde narrationem incipit eorum, quæ à Kacemo Obeidallæ filio, qui patri successit, Christiani atque alii etiam passi sunt; qui tamen Theodorum Patriarcham amare videbatur, & sæpè ad se accersebat; offerebatque parvulos è concubinis filios, ut ipsis manus imponeret, ita tamen ut pecuniam imperaret. Narrat præterea quomodo Kacemus aliquando venerit ad Ecclesiam sancti Chenudæ seu Sanutii, equo vectus, simulque una ex pellicibus, quam maximè diligebat: eos cùm frustrà monuisset Archimandrita, ne Ecclesiam ingrederentur; neque enim in eam fœminas unquam ingressas, quin præsenti ultione Deus injuriam domui suæ factam vindicaret; mulier statim mortua concidit: Kacemus dæmone correptus & furiis agitatus, nusquam plenè convaluit. Trecentos aureos Ecclesiæ dedit, totidemque adjecit, cùm arcam ex ebeno ornatam tessellis ex ebore, in qua sacri libri reponebantur, quæque à Chenuda magnis impensis fabrefacta fuerat, auferre tentasset, nec valuisset, etsi adhibitis hominibus triginta, qui eam loco movere non potuerunt.

Ultio divina in Ecclesia sancti Chenudæ.

Illo tempore ingens annonæ caritas Ægyptum oppressit, quam secuta est gravissima pestilentia, quæ duo millia hominum aliquando uno die consumsit; aliàs mille & ampliùs. His calamitatibus conflictata est Ægyptus per annos septem. Increvisse quoque scri-

bunt majorem in modum inopiam rei frumentariæ per Magi cujusdam præstigias, qui, ut mercatoribus nequissimis faveret, nefanda sacrificia adhibuerat; atque inter alias artes, puerum à matre in adoptionem petitum, multis diebus excarnificaverat, pellem vivo membratim detrahens: quod ubi Kacemo innotuit, Magum lapidari, & igne cremari jussit.

Persecutio à Barbaris.

Eo etiam tempore novas Ægyptii Christiani injurias sustinuerunt ab Arabum Muhamedanorum tribu, quæ in montana regione ad Orientem Misræ, à Balbais usque ad Kolzum, quæ est Clysma veterum, congregata, cum equitibus plus triginta millibus Ægyptum prædari cœpit, duce quodam Abuharagio. Ille castra fixerat prope Monasterium Deiparæ, non longè ab urbe Taneos, ubi magna erat Monachorum multitudo, sub Abbate Epimacho, qui Monachus fuerat ad S. Macarium in Valle Habib. Ingressi Monasterium Arabes, omnia quæ ad Ecclesiæ ministerium pertinebant abstulere, ducibus fratribus Abuharagii, quorum unus cùm crucem conspuisset, paulò pòst in secessu, ejectis visceribus mortuus est, veluti olim Arius: unde alii perterriti omnia restituerunt.

Interea Alexandrina Ecclesia Pastore viduata erat, convenientesque Episcopi, præsentibus quibusdam Calchedonensibus seu Orthodoxis deliberaverunt de eligendo Patriarcha: neque inter se convenire potuerunt, cùm tres propositi fuissent, quorum nullus à Deo huic honori capessendo destinatus erat. Interea missi sunt à Califa, qui Kacemum in vincula conjectum ad eum deducerent. Cùmque ille per urbem Balbais duceretur, occurrerunt Episcopi, iterumque postulaverunt ab eo licentiam constituendi Patriarcham: quam negavit, cùm imperatas pecunias pro ea facultate concedenda non obtinuisset. Theodoro Episcopo Misræ, qui antiquior trium ejusdem nominis Episcoporum illius urbis fuit, exclamanti adversus hominis improbitatem, quasi nihil quidquam pejus commisisset, prædixit Moses Episcopus Wissim, Kacemum in Ægyptum non ampliùs reversurum: quod impletum est: nam ille fortunis omnibus spoliatus, in carcerem à Califa detrusus fuit.

Cosmas Melchitarum Patriarcha.

Cùm in Kacemi locum alius cum autoritate missus fuisset, redierunt Misram Episcopi, solliciti de eligendo Patriarcha; inveneruntque Calchedonenses rem confecisse, datâ Kacemo, antequam dignitate spoliaretur, pecuniâ; & eo annuente, constituisse

Patriarcham ex suis Cosmam nomine, artificem ex foro, qui acus conficeret. Eo loco observatu necessarium est, eum primum Patriarcham inter Melchitas seu Orthodoxos fuisse, ex quo Ægyptus in Arabum potestatem venit. Cùm autem hæc meliùs Jacobitis Eutychius scire potuerit, verba ejus apponemus, quia multùm ad obscurissimi illius temporis historiam conferunt. *Anno*, inquit, *Califatus Hischami 7°, constitutus est Cosmas Patriarcha Alexandrinus, qui viginti octo annos sedit, dein mortuus est. Orabant autem Christiani Melchitæ Alexandriæ in Ecclesia sancti Sabæ, cùm Jacobitæ jam omnes Ecclesias occupassent. Cosmas autem qui Patriarcha constitutus est idiota fuit, qui nec legere posset nec scribere, cùm ars illi esset acus conficere. Huic cùm Damascum ad Hischamum filium Abdelmelic profectus esset, concessæ sunt, ope quorumdam qui in aulico ministerio ab actis & epistolis erant*, (non eruditorum, ut malè in Versione Pocockii legitur) *Ecclesiæ quas occupaverant Jacobitæ, scripsitque Hischamus ad Præfectum Ægypti suum, qui fuit Abdalla filius Gibani Sakiiensis, ut Ecclesias quæ in manu Jacobitarum erant repetitas Cosmæ Patriarchæ traderet; & quodcumque earum nomine comprehenderetur. Accepit ergo Cosmas Patriarcha à Jacobitis Ecclesias, atque inter cæteras Ecclesiam Kaisariæ. Siquidem ab eo tempore quo Georgius Patriarcha Alexandria Constantinopolin fugit, anno 3° Califatus Omari filii Elkittabi, donec constitueretur Cosmas Alexandriæ Patriarcha anno 7° Califatus Hischami, fuit Cathedra Alexandrina absque Patriarcha Melchita, spatio scilicet annorum nonaginta septem: occupaverantque Jacobitæ omnes Ecclesias, tam Ægypti quàm Alexandriæ. Cùmque opus haberent Nubii Episcopis, ordinavit Patriarcha Jacobitarum ipsis Episcopos; atque ex eo tempore Jacobitarum sententiam amplexa est Nubia: & quotiescumque moreretur in aliqua urbe Ægypti Episcopus, alium ipsis constituit Jacobitarum Patriarcha. Adeoque facta est Ægyptus, tam superior quàm inferior, Jacobitica: exceptâ Ecclesiâ Michaelis, quæ est in Kasser Elchema, hoc est Arce candelarum seu luminum. Illam scilicet retinuerunt Melchitæ, atque in ea orabant: cùmque moreretur ipsis Episcopus, ad Tyri Metropolitam mittebant, qui ipsis Episcopum ordinabat. Neque ita se habere desiit Melchitarum in Ægypto & Alexandria status, usque ad Cosmam Patriarcham.* Hæc fusiùs à nobis descripta sunt, ipsius Autoris verbis, quia multa

T. 2. p. 385.

Ecclesiæ Melchitis restitutæ.

nos docent, quæ apud Autores alios frustrà quærerentur: nam qui res Melchitarum descripserit, præter Eutychium habemus omnino neminem.

Ex illius igitur narratione constat, per annos nonaginta septem aut circiter, nempe ab initio Imperii Muhamedanorum in Ægypto, Orthodoxos nullum habuisse Patriarcham, neque in tam longa calamitate adduci potuisse, ut cum Jacobitis communicarent, aut eorum Episcopos agnoscerent.

An Cosmas Monothelita fuerit.

Annus 7us Hischami est Hegiræ 112us, J. C. 730us: quo tempore nulla hujus Patriarchæ apud Græcos memoria occurrit; tanta fuit rerum in Oriente gestarum per Arabes obscuritas. At circa an. 742um, Theophanes scribit Cosmam Patriarcham Alexandrinum cum suis abnegata Monothelitarum hæresi ad Ecclesiæ Catholicæ communionem accessisse: quod Eutychius ignoravit, etsi plura quàm Autores Græci aut Latini, de prædecessoribus suis scivisse videatur. Neque est quod suspicemur ignoratam illi fuisse Monothelitarum sectam, cujus originem ad Maronem quemdam Monachum refert, à cujus nomine non aliter eos appellat, quàm Maronitas; reclamantibus tamen, ut alibi observatum est, recentioribus è Libano Maronitis. Mirum est autem Eutychium, qui eam sectam graviter ubique insectatus est, adeoque non modò notos ex Historia Ecclesiastica illius defensores, sed obscuros quosdam aut famæ dubiæ, eo nomine exagitat, ignorasse Cosmam in eodem pariter cum aliis errore versatum. Sanè Melchitæ eum pro suo, nempe Orthodoxo, agnoscunt: neque Elmacinus qui eadem Eutychii verba paucioribus contraxit, Monothelismi Cosmam insimulat. Verisimile igitur omnino est avulsam à Romano Imperio Ægyptum, cùm Melchitæ ob religionis conformitatem cum Græcis Constantinopolitanis, suspecti apud Muhamedanos essent, omniaque ut plurimùm commercia interclusa forent, non potuisse per annos multòs conventum Episcoporum facere ad Patriarchæ electionem, cùm ultimus Alexandriâ profugisset; atque ita, dum non haberent Episcopos, ex summa necessitate confugisse ad viciniorem Tyri Metropolitam, eò faciliùs, quòd Syria erat tunc in Arabum potestate.

Ubi Cosmas ordinatus est, jus antiquum Ecclesiæ suæ vindicavit, dum omnia quæ tum per vim, tum per ignorantiam facta erant sub Benjamino Jacobitarum Patriarcha, rescindi obtinuit. Cùm enim plerique Alexandrini non minus erga Imperatorem

quàm erga Deum fideles fuiſſent, Jacobitæ contrà Arabibus ſe adjunxiſſent, ut ex Makrizio Autore non ſuſpecto obſervatum eſt, vacuam urbem, Eccleſias, dignitates, invaſerunt Jacobitæ, omnia hæc ad ſe olim pertinuiſſe mentientes, quia ſuos à Dioſcoro Patriarchas omnem autoritatem accepiſſe pertendebant, Muhamedanoſque non bonos Eccleſiaſticarum cauſarum judices fallere nullo negotio poterant, cùm has lites omnes ex ſola poſſeſſione dirimerent, in qua videbantur eſſe Jacobitæ, cùm Catholici profugiſſent. Retractato itaque priori illo judicio, redditæ ſunt Melchitis omnes Eccleſiæ, quas antiquitùs obtinuerant: addit etiam Elmacinus Eccleſiam Evangelii, qua voce deſignatur ἀγγελεῖον vel ἀγγέλιον, locus Alexandriæ, ubi Eccleſiam habebant ædificatam Theodoſii Patriarchæ tempore, cujus meminit Timotheus Conſtantinopolitanus, loquens de Angelitis ab ea Eccleſia denominatis. Eam autem vocem cùm ita decurtatam ſæpè uſurpent Chriſtiani Arabes ad ſignificandum *Evangelium*, hæc ὁμωνυμία Elmacino fraudi fuit. De Nubiis dicetur inferiùs; erit enim proprius de illis agendi locus. Eos autem ut & pleroſque in Ægypto, Jacobitas præſertim in Thebaide, Epiſcopatus obtinuiſſe veriſimile omnino eſt: Melchitis in inferiori tantùm Ægypto conſervatis. Jam ad Chailem revertendum eſt.

Cùm Hafes Walidi filius, Ægypti præfecturam poſt Kacemum obtinuiſſet, convenerunt Miſram Epiſcopi, Sacerdotes & reliqui Clerici Alexandrini cum Laicorum primoribus, anno Diocletiani 459°, die 28ª Meſori, hoc eſt J. C. 743°, qui reſpondet anno Hegiræ 126°, 21ª Auguſti: ut de eligendo Patriarcha conſultarent. Epiſcopi qui eo in conventu interfuerunt, ab Autore hiſtoriæ iſti recenſentur: Abraham Fiumenſis, Moſes Wiſſim, Minas Nemi, Jacobus Buſiridos, Theodorus, ſed abſque urbis nomine: Maraius Miſræ, ſeu Cahiræ: Victor Demilage, Jacobus Saharcat, Iſaac Semnudæ, Abraham Balbaïs, Petrus Parœout, Chail, ſeu Michael Atrib. Poſtquam conveniſſent, Hafeſum adiverunt, petieruntque licentiam eligendi ſibi Patriarcham. Reſpondit ille, ut priùs communibus votis in aliquem conſentirent; poſtea ad ſe referrent, ut ſtatueret quid optimum factu ſibi videretur. Itaque Miſram redeuntes, conſederunt in Eccleſia juxta ordinem ſuum Epiſcopi, & Sacerdotes prope Epiſcopos ſuos: Alexandrini Sacerdotes in medio coram illis, magno omnium ſilentio: & poſt factam orationem uſque ad horam ſextam, re infectâ diſceſſerunt,

Synodus Epiſcoporum ad electionem Patriarchæ.

ad diem ſequentem dilata electione. Eo die precibus peractis, Protopreſbyter Alexandrinus paucis hortatus eſt Epiſcopos, ut negotio, quod impendebat, finem darent. Tum Theodorus Epiſcopus interrogavit quemnam ipſi deſignarent, juſſitque edicere: Hunc, inquit Protopreſbyter: ſimulque chartam dedit, in qua nomen perſcriptum erat. Reſpondit Epiſcopus, optimum ſanè illud eſſe, modò Concilii Epiſcoporum conſenſus accederet. At, inquit Protopreſbyter, noſtrum omnino negotium eſt, non Epiſcoporum, ad quos tantummodo pertinet manuum impoſitio ad ordinationem; electio verò noſtri juris eſt. Abraham Epiſcopus Fium, dixit eis cum Epiſcopis qui prope erant, Præficite nobis quemcunque elegeritis: quem, ſi dignus fuerit, ordinabimus; ſi indignus, rejiciemus. Decem dies, atque etiam ipſas noctes, in colloquiis, concertationibuſque conſumpſerunt, ita tamen ut in ſententia quiſque ſua perſeveraret. Verùm cùm Alexandrinis, & Epiſcopis inferioris Ægypti non diſpliceret is qui à Protopreſbytero propoſitus fuerat, Epiſcopi ſuperioris Provinciæ contrà obſiſtebant, teſtati ſe alium ordinaturos, niſi conſtaret nullum præterea dignum reperiri, qui ad Patriarchalem dignitatem promoveretur. Obſiſtebant Alexandrini cum Epiſcoporum parte, negantes conſenſuros ſe in alterius cujuſquam ordinationem. Hunc in modum multis diebus fruſtrà conſumtis, utraque pars poſtulavit ut advocarentur Epiſcopi duo, qui morbo detenti non advenerant, Moſes Wiſſim, & Petrus Parœout; quorum primus cùm equitare non poſſet, neque vehiculi copia foret, feretro deportatus eſt Cahiram. Neque ex illorum arbitrio ſtatim res compoſitæ, Alexandrinis, & Abrahamo Fiumenſi Epiſcopo negantibus conſenſuros ſe, primis quidem in alterius quàm illius cujus nomen propoſuerant ordinationem; illo cum ſuis aſſerente nullam ſe cum illo communionem habiturum. Alexandrinos cùm ferociùs inſtarent, Epiſcopus Wiſſim è lectulo in quo decumbebat in medio conſeſſu ſurgens, poſtquam graviter increpaſſet, baculo cui innitebatur abegit; ſicut vendentes & ementes in Templo, Chriſtus flagello expulerat. Tum ad Epiſcopum Minam converſus, exprobravit quòd nimis importunè urgeret electionem hominis, quem Chriſtus non approbabat. Ille teſtatus ſe non obſtare quo minus conſenſu communi qui dignior videretur, eligeretur; facta proſtratione diſceſſit. Multi deinde nominati, quorum nullus placuit; atque ita ſolutus conſeſſus, etiam eo die. Ipſa nocte Diaconus qui prope Moſem Epiſcopum

ſcopum cubabat, ei dixit noſſe ſe virum digniſſimum, ſimulque Chailem ſacerdotem ex Monaſterio S. Macarii nominavit. Die ſequenti cùm iterum conveniſſent, neque major quàm antea concordiæ ineundæ ſpes appareret, Epiſcopus Moſes Chailem ſacerdotem nominavit; ſtatimque omnes una voce clamaverunt dignum illum eſſe, & in ejus electionem conſenſerunt: atteſtante etiam pio quodam viro, ſe dum in Eccleſia S. Macarii oraret, vocem cœlitùs miſſam audiviſſe, quæ Chailem Patriarchatu dignum ſignificaret. Omnes igitur ad Hafeſum Præfectum profecti rogaverunt, ut electionem ejus ratam haberet, daretque ad Abbatem & ſeniores S. Macarii literas, quibus juberet mitti ſacerdotem Chailem: quod Hafeſus libenter conceſſit.

Accidit ut eo ipſo tempore Monachi, tributi graviſſimi ab Kacemo impoſiti remiſſionem poſtulaturi Miſram proficiſcerentur, advenirentque 13ª menſis Toth, qua die miſſi à Præfecto cum literis ad deſertum tendebant. Cùm igitur Monachorum ſeniores ipſis occurriſſent, atque inter eos Chail, cum gaudio & ſtupore in urbem regreſſi ſunt, & cum Epiſcopis & Sacerdotibus eum ad Palatium deduxerunt. Hafeſus re intellecta Deum laudans, dixit illis, habere illos paſtorem & patrem, quem Deus elegiſſet, abirent in pace, eumque deducerent. Profecti Cahirâ navibus 14ª menſis, ejuſdem 16ª Alexandriam appulerunt, Chailemque ſolenni pompa per urbem deduxerunt, cum cereis, crucibus & Evangeliis. Tunc cùm à biennio imber nullus cecidiſſet, toto triduo pluit; omen accipientibus omnibus, quòd fauſtus & felix adventus futurus eſſet illius viri, quo adveniente, publica calamitas tam inſigni miraculo levaretur. Ordinatus eſt 17ª Toth, ut cum Autore iſtius vitæ Elmacinus quoque teſtatur, licèt in Verſione Latina error occurrat: nam 7ª legitur per Typographorum oſcitantiam, cùm lectio Arabica rectè ſe habeat. Erat autem ſecundùm Elmacinum annus Martyrum 460us, nempe quia annus Ægyptiacus à menſe Toth ducit initium: atque ita conſentit cum Autore hujus vitæ, qui anno 459° conveniſſe ait Epiſcopos, plureſque dies conſultando conſumſiſſe: ſed ut ſuperiùs obſervatum eſt, annus iſte Martyrum ſeu Diocletiani non convenit cum anno Hegiræ 120°, quem Elmacinus cum eo componit: nam additis ex certa regula annis 284, fit numerus annorum J. C. 744. qui eſt annus Æræ Arabicæ 127us: multò minus ad veritatem accedit ſupputatio Canonis Chronologici apud Abulbircat, qui ordi-

nationem Chailis refert ad annum Martyrum 445um, J. C. 729um, Hegiræ 111um: sed nihil mirum, cùm ut suprà monuimus, non uno loco turbatissima sit hæc Chronologia, ea ut verisimile est ratione, quòd tota in tabulas redacta, numeros habet non integrè scriptos, sed Ziferis Ægyptiacis consignatos, in quibus à Librariis facillimè peccari solet. Makrizius abit ab utriusque Autoris Chronologia, & Chailem quem integro nomine Michaelem appellat, ordinatum fuisse scribit anno Hegiræ 117°, J. C. 735°, qui est Martyrum 451us; sed ipse quoque aberrare judicandus est, cùm certos characteres habeamus, in quibus hanc Epocham figere possimus: nempe, ut ex tota hujus narrationis serie manifestum est, sub Hafesi Præfectura ordinatus est Chail, & sub Hischamo Califa; itaque neque ante annum Hegiræ 124um, J. C. 741um, Martyrum 457um: nam eo anno, ut testatur Elmacinus, Hafesus

P. 81. Ægypto præfectus est: neque post annum Hegiræ 125um, J. C. 742um, Martyrum 458um. Cùm verò annus Arabicus inceperit à die tertia Novembris, Ægyptiacus à mense Toth, cujus 17a ordinatione Chailis celebris incidit in diem 14am Septembris, pertingebat idem annus Martyrum ad annum sequentem, J.C. 743um. Eo autem anno Hegiræ 125° obiit Hischamus. Hæ, quantùm colligere potuimus, notæ sunt certissimæ, ad constituendam illam Chronologiam intra certos limites: atque ex ea observatione emendari debet Autor historiæ Chailis, sive Severus est, sive alter quispiam: nam ex ejus narratione intelligi debet, Cosmam, qui post longam Sedis Alexandrinæ vacationem Melchitarum Patriarcha constitutus est, non, ut Jacobitis placet, irrepsisse quasi per fraudem, dum ipsi inter se de eligendo sibi Antistite consultarent: sive enim 3 Hischami anno Cosmas constitutus est, ut scribit Elmacinus, sive ut habet Eutychius, 7° anno: quod certius omnino est, & ita apud Makrizium legitur; illum Melchitæ Patriarcham habuerunt annis viginti, aut circiter, antequàm Chail apud Jacobitas fuisset ordinatus. Obiit igitur Hischamus, ut dictum est, anno Hegiræ 125°, successitque illi ex patris testamento Walid filius Yezidi filii Abdelmelici, qui anno uno solùm regnavit; & amoto Hafeso, alium Præfectum in Ægyptum misit. Is ab Elmacino vocatur Isa filius Abuhata, ut etiam à Makrizio. Autor hujus historiæ aliter nominat, nempe Haçan filium Hatahiah, qui tamen nonnisi anno 127°, extincto Walido, Præfecturam obtinuit: tanta est in rebus politicis, illorum Historicorum Ecclesiasticorum negligentia.

Chail Patr. XLVI. Res Antiochenæ.

Sed, antequàm ulteriùs progrediamur, necesse est ea, quæ de Jacobitarum Antiochena Ecclesia occurrunt, paucis referre. Athanasio, de quo superiùs dictum est, mortuo, suffectus est, ita permittente Hischamo, annoque Califatûs ejus 1°, Joannes, de quo nihil legitur præterea, nisi quòd ab Episcopis suis vexatus est; tandemque pace inter eos factâ obiit: neque ullus Antiochenus Jacobitarum Patriarcha fuit usque ad Abbassidarum initia, nempe sub Abdalla filio Safah. Scripsisse ad Chailem Patriarcham literas Synodicas Joannem illum Antiochenum probatur ex excerptis quæ occurrunt ex illis, quas Chail ad eum scripsisse dicitur, & cujus magna pars extat in Tractatu *de fide Patrum*.

Nova persecutio.

Ut jam ad res Ægyptiacas revertamur, statim atque Chail Patriarcha ordinatus est, tanta Præfectorum Ægypti sævitia fuit in tributis exigendis, ut, cùm paulò pòst orta esset gravissima pestilentia, ea calamitas fuerit ut plerique non modò pecora sua, sed liberos etiam in servitutem vendere cogerentur. Edixerat Hafesus ut omnes in tota Ægypto Orationem Muhamedanorum solennem dicerent, quod ipsum erat eorum Religionem profiteri; qui obtemperassent, eos à tributis immunes esse jubebat. Ea occasio fuit multis abnegandi Christianam fidem, magno Patriarchæ dolore, reliquorumque Episcoporum, qui multa passi sunt.

Plerique Sedes Episcopales suas reliquerunt, ut in deserta se reciperent & in Monasteriis laterent, ubi continuis precibus à Deo postulabant, ut Christianorum misereretur. Moses Episcopus Wissim cùm à suis discipulis retentus ad Sedem suam non redivisset, Christianos afflictos hortabatur ad constantiam, & fidem in tot calamitatibus conservandam: cùmque præcipui ad eum retulissent numerari jam hominum viginti quatuor millia, qui fidem abnegassent, consolatus est eos, pollicitus instare persecutioni finem, & Hafesum qui eam excitaverat, tum rebellem quemdam nomine Reja, brevi perituros, primumque in ipsa urbe Cahira igne consumendum; quæ secundùm illius prædictionem paulò pòst contigerunt. Nam Kauterus Dux, cum quinque armatorum millibus à Califa missus, Hafesum dignitate & vita privavit, ejusque corpus igni consumsit: Rejam occidit: utriusque facultates omnes fisco addixit; & Haçano autoritatem ex Califæ jussu restituit. Gesta hæc fuisse anno Hegiræ 130, ex Makrizio & aliis Autoribus intelligimus, in magna Imperii Saracenici turbatione, quæ ab Hischami morte usque ad Meruani principatum omnes ferè provincias invasit. Hafesus au-

tem ter Præfecturam obtinuit: pulsus iterum & semel, atque restitutus, tandem eo quem diximus anno occisus, Præfecturam Haçano vacuam reliquit.

Res Muhamedanæ.

Paucis annis multi Califæ regnaverunt, quos ad historiæ intelligentiam recensere operæ pretium est.

Walid qui Hischamo successerat, 18us Califa & 11us Ommiadarum, occisus est ob improbitatem & impietatem post annum & menses duos, anno 126°, J. C. 743°.

Yezid ejus ex fratre nepos, filius Walid filii Abdelmelic, eodem anno salutatus, post quinque menses obiit ex peste, 19us Califa, & ex Ommiæ filiis 12us.

Ibrahim ejus frater 20us Califa, 13us Ommiadarum, statim ab ejus morte Imperator renunciatus, anno 127°, J. C. 744°; sed rebellante Meruane & adversùs eum copias ducente, omni autoritate spoliatus est, eo ipso anno.

Meruan 21us & 14us Ommiadarum, cùm Ibrahimum, ut communis opinio est, an. 131° occidi jussisset, eodem anno occisus est ab Abbassidis, ad quos translatum est Imperium: & de quibus dicetur inferiùs.

Pœnitentia Apostatis data.

Haçan igitur qui extincto Hafeso Ægyptum obtinuit; Christianos, Episcopos, Monachosque diligebat: Chailem Patriarcham frequenter accersebat, & cum eo familiariter colloquebatur. Kauterus Dux non minori favore Christianos prosequebatur, & cùm prope per triennium circa urbem Wissim cum copiis suis castra habuisset, cum Abrahamo quodam Episcopo qui illic erat, sermones habuit, ad salutem animæ suæ spectantes, Jacobitasque dilexit. Eo tempore potius, quàm turbatâ sub Hafeso Republicâ factum existimandum est, quod paucis verbis perstringit Autor historiæ, Chailem Christianis qui in persecutione fidem abnegaverant dedisse pœnitentiam. Obscurè sanè locutus, ignorare nos sinit quæ tunc esset apud Coptitas disciplina pœnitentialis, de qua antiquius apud Arabes Christianos testimonium non observavimus. Dura sanè sequentibus sæculis illa fuit adversus eos qui fidem abnegaverant: quippe recipi vix solebant, nisi postquam eo ipso loco, ubi Muhamedanæ impietatis publicam professionem fecerant, eidem renunciassent, quod tunc non videtur in usu fuisse. Verùm quantùm conjectando assequi possumus, ea tunc pœnitentiæ dandæ ratio fuit, ut exomologesi facta, quas olim pœnas canonicas sustinebant qui Idololatriæ rei forent, ex Canonum præscripto; eædem τοῖς μαγα-

ϕίζεσι, hoc est *qui ad Agarenorum sacra transivissent*, per Episcopos imponerentur. Mitiores tandem pœnas Græci imposuerunt, ut patet ex Canonibus qui continentur in Coteleriano Nomocanone: nempe annorum sex, erga illos qui nemine cogente, trium erga eos qui coacti, ad impietatem illam defecissent. Eos autem Chrismate ungebant, ut olim recipiebantur per Chrismationem plerique hæretici, non per iteratum baptisma, quod prohibetur in eadem Collectione. Sed de his omnibus fusè dicetur in singulari Dissertatione de Pœnitentia. *Mon. Eccl. Gr. s. 138. 157. P. 77. s. 48.*

Cùm verò aliquandiu Ægyptus conquievisset, præsertim restituto Haçano, qui æquitatem præ cæteris Præfectis colebat eximiè, ubi Meruan imperio potitus est, omnium præsertim Christianorum, sub crudelissimo domino luctuosissima conditio fuit. Interea cùm haberet in aulico ministerio Diaconum quemdam Calchedonensem sive Melchitam, Theophylactum nomine, is grandi pecuniâ obtinuit, ut Græcorum suorum Patriarcha constitueretur. Istius Theophylacti nulla apud Eutychium memoria est, qui suorum antecessorum nomina saltem, ignorare vix poterat: atque etiam Alexandrinum Patriarcham non fuisse dicit Autor qui nomen urbis præteriit, quamvis de Alexandria loqui videatur. Eum verò Antiochenum fuisse docet nos Theophanes; Presbyterumque Ecclesiæ Edessenæ, qui à Meruano ad eam dignitatem evectus sit, in defuncti Stephani locum. Attamen ex hac historia satis intelligitur Autorem in alia sententia fuisse, existimasseque quòd Theophylactus fuerit non Antiochenus Patriarcha, sed Alexandrinus Melchitarum, qui alio nomine Cosmas sit appellatus. *P. 353.*

Narrat autem & quidem multis verbis, eum & alios Melchitas à Meruano postulasse, ut Ecclesias quæ in Ægypto dirutæ olim fuerant, iterum ædificare ipsis liceret: tum ut occupatæ à Jacobitis Ecclesiæ, quos hoc loco *Theodosianos* vocant, sibi restituerentur, præsertim S. Mennæ in Mareotide, miraculis celebrem. Jussi sunt adesse Patriarchæ duo, Melchita & Jacobita, causamque suam scripto & viva voce defendere. Longa hìc & absurda prorsus istius controversiæ narratio texitur, quasi tradita ab homine qui testis illius fuerit; sed ita ut fraudis imperitia satis appareat, dum ea dicta Catholicis attribuit, quæ nemini unquam illorum venire possint in mentem, sed ad conciliandam illis invidiam excogitata facilè agnoscantur. Gesta hæc sub Abdelmelico filio Mosis filii Nacir, ex familia Haçan Judæi, quem Elmaci- *Contentio inter Orthodoxos & Jacobitas.*

nus à Judaica religione ad Muhamedanam transivisse scribit, & à quo mala multa Christiani sustinuerunt. Intererant ex Melchitarum seu Orthodoxorum parte, præter Cosmam quem & Theophylactum vocant, alter Episcopus Græcus Jacobitis infensissimus, Constantinus nomine, cum Diacono Anastasio, ex Ecclesia Jacobitarum Alexandrina: ex alia parte Chail Jacobitarum Patriarcha, Theodorus Episcopus Misræ seu Cahiræ, qui antea fuerat Archidiaconus Ecclesiæ S. Macarii, & alii. Postquam utrique verba fecissent, jussit Abdelmelicus, ut scripto rationes suas exponerent. Chail congregatis Episcopis suis, ex communi sententia Apologiam scripsit Copticè & Arabicè, in qua doctrinam Ecclesiæ suæ rationibus, & Scripturæ sacræ testimoniis confirmabat: tum ex historia prædecessorum suorum ostendebat, à quibus ædificata foret Ecclesia S. Mennæ: quanta passi fuissent Jacobitæ à Chalcedonensibus exilia, & tormenta; tandem ereptionem Ecclesiarum per vim factam autoritate Romanorum Imperatorum. Melchitæ scriptum paucis verbis comprehensum dederunt. Ex eo quòd Chail obtulerat, refert Autor hæc verba. *Chail per gratiam Dei Episcopus urbis Alexandriæ & populus Theodosianus: Dominis Imperatoribus, circa Ecclesiam S. Mennæ in Maræotide. Olim Christianorum Imperatorum Arcadii & Honorii tempore sub Theophilo Patriarcha, incæpta est ab eodem ædificari Ecclesia S. Joannis Baptistæ. Eam cùm perfecisset Theophilus, Ecclesiam S. Mennæ in Maræotide ædificavit: & aliam inchoavit nomine Theodosii junioris, qui eum ad id opus suscipiendum juverat. Illud opus inchoatum prosecuti sunt successores ejus Patriarchæ, usque ad Timotheum qui extremam manum imposuit. Successit tandem Imperator Marcianus, à quo Ecclesia ob perversam ejus fidem scissa est: expulsusque Dioscorus qui pro fide orthodoxa Patrum suorum, tam strenuè decertavit. Inde prodiit fidei novitas detestanda, adjuvante Leone Romano Patriarcha, quem Dioscorus excommunicavit, perculsâ quoque anathemate doctrinâ ejus blasphemâ & impiâ. Ab eo tempore cœperunt Imperatores Romani Orthodoxos persequi, exiliis, cædibus, omnique pœnarum genere in eos sæviendo; quæ calamitas finem nullum habuit, donec ad Muhamedanos Imperium transferretur: nec interea contentiones & inimicitiæ inter Jacobitas & Romanos conquieverunt.* Calchedonenses contrà nihil aliud opponebant, nisi quòd antiquitùs simul cum Imperio, omnes Ecclesias, & earum bona

possederant, quæ Muslemani, cùm Provinciam armis obtinuissent, Coptitis Jacobitis attribuerint. Judex utramque partem remisit, asserens eos causam non attingere, jussitque alias scripturas parari; quod semel atque iterum à Jacobitis factum est, nullo tamen fructu, cùm eum, ut affirmant, muneribus Melchitæ corrupissent. Cùm verò Mosi Episcopo Wissim quidam autor esset ut Judicem datâ pecuniâ placabilem redderent, renuit testatus, neque Patriarchis, neque Episcopis convenire ut munera darent vel acciperent; Deum auxilio suis futurum. Ejus miraculis & prædictionibus tribuunt, quòd Ministerialis ille Jacobitis iniquus, officio quod in Divano seu Prætorio sustinebat, paulò pòst privatus successorem accepit alium, nomine Abulhucein, justitia & integritate commendatum. Coram eo post consumtum in alterius Judicis tribunali mensem integrum, venit Chail, simulque Melchitarum Patriarcha. Primùm interrogatus est an fidem teneret Jacobi Hierosolymorum Episcopi; quod Chail affirmavit indubitanter. Melchitarum Patriarchæ hanc deinde responsionem stolidissimi falsarii attribuunt. *Fidem sequor Marciani Imperatoris. Num*, inquit Judex, *credis in Imperatorem & non in Deum? Quæ tandem sit fides tua palàm facito, ut vos judicem.* Tum ille: *Pater meus*, inquit, *à quo doctrinæ meæ fundamenta jacta sunt, Nestorius fuit, contra quem congregata est Synodus Ephesi, cui Cyrillus pater & antecessor hominis istius præsidebat: intervenit etiam Monachus quidam Ægyptius ex provincia Echmim; illi verò favente Imperatrice, illum ex Ecclesia pepulerunt. Paulò pòst suscitavit Deus Marcianum & Leonem, qui Nestorio & ejus sequacibus conjuncti, omnes Ecclesias obtinuerunt, & in illis Episcopos constituerunt, qui ad hunc usque diem substiterunt. Episcopus porro noster erat Proterius, quem Alexandrini cùm interfecissent, missis copiis, unâ horâ triginta illorum millia occidi jussit.* Cùm ad hæc Judex, tanquam sævitiam detestatus obstupuisset, iterum jussi sunt utrique scriptis causam propugnare; & interea Constantinus Episcopus Misræ, Melchita, Chailem adiit, hortatusque est ut concordiâ inter se initâ in unum ovile coalescerent. Communicato cum Episcopis consilio, obnitenteque Episcopo Wissim Mose; missi tamen sunt, eo consentiente, Mina seu Mennas sacerdos, qui ipsi erat à secretis, & Autor hujus historiæ, ut cum Melchitis collationem instituerent. Cùm Mennas exposuisset Symbolum Patrum Nicænorum, illudque ut erat doctissimus autoritatibus sacræ Scri-

pturæ, sanctorumque Patrum Athanasii & Cyrilli testimoniis confirmasset, professus est Constantinus eam esse suam fidem, futuramque ad ultimum vitæ spiritum: unicam agnoscere se unionem, unum Deum, unum Dominum, naturam unam, quæ est Christus Dominus: si quis aliter crederet, Judæum esse: qui duas naturas post unionem in uno Christo confiteretur, alienum esse à Patre & Filio, & Spiritu sancto, partemque ejus futuram cum Juda proditore.

Concordia inter Orthodoxos & Jacobitas proposita.

Cùm inde spes aliqua concordiæ affulgere videretur, cum Cosma colloquium habitum est: qui statim petiit, ut ea conditione fieret unio duarum Ecclesiarum, quòd Chail Patriarcha sacris solennibus interveniret, Melchita adesset cum eo: finitis officiis Jacobitæ ad sua loca reverterentur, ipse cum Melchitis in omnibus Ecclesiis suo in gradu reciperetur. Relatione facta ad Chailem & Episcopos, Moses Episcopus Wissim consuluit ut Cosmas Episcopus constitueretur per totam Ægyptum, quibus verbis intelligi videbatur Ægyptus inferior, ita ut nova quædam Diœcesis ipsi constitueretur, Metropolitani autoritate regenda, secundùm aliarum Provinciarum Ecclesiasticarum disciplinam, quæ in Ægypto non erat, atque hunc in modum dignitas ejus, Episcopali quidem superior, Patriarchali inferior foret, atque simulachrum Patriarchatûs, quem amore concordiæ deponere cogitabat, retineret. His ita constitutis, venerunt omnes ad Abdelmelicum, magna undique multitudine confluente in Palatium. Ibi cùm Constantinus Episcopus Misræ Melchita inter Jacobitas locum cepisset, nihil propius fuit, quàm ut à Sahiditis occideretur, nisi eum Jacobitæ Episcopi vestibus suis texissent. Nihil tamen promotum: sed tumultu ingenti excitato, cùm Abdelmelicus omnes pelli jussisset, postridie Patriarchæ duo accersiti, jussi sunt interposito juramento causam de Ecclesia S. Mennæ dicere. Chail negavit licere sibi jurare omnino: Cosmas audacter juravit. Chail interrogatus quos testes produceret, allegavit Theophilum & Timotheum, quorum ultimus ædificium absolverat, unde etiam nomen ejus Ecclesiæ inscriptum legebatur. Missi Ministeriales cum interpretibus, qui scripturâ agnitâ veritatem confirmaverunt; quâ ex aliis argumentis à Chaile adductis palam factâ, tandem Ecclesia Jacobitis attributa est. Atque hic finis est prolixissimæ narrationis, ex qua quæcunque ad originem Ecclesiarum, disciplinamque pertinent, decerpsimus, reliqua prætermisimus; illud tantummodo adjiciendum

ctum existimantes, ex illa tam corrupta fabula agnosci posse qualiter afflictissimis illis Hæreticis, sed tamen Christianis, illudi ab Antistitibus suis soleat etiam doctis, qualis certè erat Severus Episcopus, illius historiæ collector, qui hoc fragmentum quasi pannum purpureum tot inanibus laciniis adjunxit, ut eos in errore suo retineret. Quis enim nescit æquè exhorrere Melchitas Nestorium & ejus blasphemias, quàm Jacobitæ possint. Sed illud etiam animadversione dignum, & ad illorum sequentiumque temporum mores cognoscendos haud inutile, quòd in illo judicio de Ecclesiæ S. Mennæ possessione, secuti sint Muhamedani jus illud suum erga Christianos commune, ut eam Ecclesiam attribuerent Jacobitis, quia consummatum ædificium esse constabat ex inscriptione, à Timotheo qui in ea secta vixerat. Multa enim ejus generis exempla obvia sunt, quæ nisi ad hanc regulam referantur, arbitrarii potiùs judicii, quàm ex præscriptis consuetudinibus pronuntiati speciem habere viderentur.

Res Antiochenæ turbatissimæ ob Patriarcham qui Episcopus dudum erat.

Posteaquàm hæc apud Abdelmelicum gesta, narrata sunt, refert Autor venisse Alexandriam literas Synodicas à Joanne Patriarcha Antiocheno ad Chailem scriptas, flagrante inter Episcopos & Joannem discordiâ, quòd eum suscipere nollent quasi Patriarcham, quippe qui Episcopus cùm esset, eam dignitatem secundùm Canones adipisci non poterat. Convocatis Episcopis, legi jussit Chail literas, quibus significabatur quanta esset circa illius Patriarchæ electionem inter Antiochenos contentio. Communis Episcoporum sententia fuit, nullam responsionem debere fieri; sed operam dari ut Antiochenis liceret eum ejicere, si ipsis videretur: alioqui, si scriberetur ad eos, & postea Joannem ejicere detrectarent, dari occasionem scissioni Ecclesiarum. Itaque arbitrio Chailis relictum est, ut, quocumque modo vellet, procuraret per literas rem in eo statu in quo erat, conservari. Et sanè, ut ex aliis hujus historiæ locis intelligitur, Elmacinique testimonio, nulla inter Joannem & Antiochenos Jacobitas, quamdiu ille in vivis fuit, concordia coaluit: tantus adhuc erat sacris Canonibus, qui Episcoporum translationem tam severè prohibent, honor apud omnes Ecclesias, etiam ab Catholica separatas; cujus disciplinæ cùm minima apud Nestorianos, ut ex eorum historia discimus, ratio habita sit, satis ipsi & novitatem suam & corruptelam agnoscunt.

Abbassidarum initia.

Magna rerum omnium tam civilium quàm Ecclesiasticarum turbatio secuta est, ob bella inter Muhamedanos civilia, cùm Abbas-

fidæ, qui jam in Chorasana defectionem nudaverant eâ provinciâ occupatâ, ad vicinas arma transtulerunt, Ommiadasque & ultimum eorum Merüanem, castris & exercitibus non semel exutum, fugere in Ægyptum compulerunt, ubi tandem occisus est in regione Busiritide. Tantæ mutationi occasionem dedit nimia Præfectorum Provinciarum potentia, quæ cùm ex Imperii amplitudine coerceri vix posset, indulgebantur illis omnia, adeo ut non modò bellicarum rerum, sed civilium supremam, Califa inconsulto, haberent autoritatem. Eam auxit magnopere ultimorum ex Ommiadis Califarum, socordia, crudelitas, avaritia, apud quos libidine & luxu perditos, nulla virtutis aut æquitatis ratio, nulla subditorum cura erat; verùm, ut eodem exemplo apud Turcas hodie fieri assolet, qui provincias spoliaverant, bonis omnibus fisco addictis, deteriores successores accipiebant, nulla erga populos compensatione injuriarum facta. Siquis bello strenuus, aut justitiæ amore commendabilis foret, is in suspicionem affectati regni veniebat; atque ea ratione multos Califæ duces exercituum, præfectosque provinciarum è medio sustulerant. Dederat Merüanus reliquis exemplum, cùm adversùs Yezidum & Ibrahimum Hemesæ rebellaverat, eosque vita & imperio spoliaverat; vir improbus, sævusque ad horrorem omnium: & quem ut legitimum Dominum ferre Muhamedani cùm vix potuissent, eumdem ubique oppugnaverunt.

Abul-Abbas Safah primus ex Abbassidis Califa.

Delatum est igitur Imperium Abbassidis in urbe Meru Chorasanæ primaria, anno Hegiræ 129°, J. C. 746°; paulò pòst quàm Merüanus illud occupasset. Abu-Muslimus & alii Abbassidarum duces usque ad annum 131um Ommiadas tot præliis attriverunt, ut centum & ampliùs eorum millia in Chorasana perierint: pulsi inde ex vicinis provinciis, & Yezido filio Bira, Merüani exercitûs duce, ad Euphratem prope Wasitam cum ingenti clade profligato, tandem Califa Cufæ proclamatus est Abul-Abbas Safah, qui primus ex ea familia, quæ etiam Haschemidarum dicitur, eam dignitatem obtinuit, anno Hegiræ 132°, J. C. 749°. Erat autem in ea familia quædam ab Ommiadis & eorum sectatoribus in religione diversitas: quarum præcipua fuit opinio de Hali Muhamedis genero & successore, ad quem Pontificatum & Califatum simul, quo omnis sæcularis spiritualisque in Muhamedanos autoritas continebatur, spectare Abbassidæ credebant, atque adeo Muaviam, & alios omnes ex stirpe Ommiæ, qui Halim & Hacenum ejus filium vita & Califatu spoliaverant, non modò rebellionis, sed hæresis quoque reos judi-

cabant. Nam inter antiquos fidei articulos, unus erat, quem adhuc Persæ sequuntur, circa Pontificatûs lineam, ut scilicet eam ab Hali & ejus posteris deducendam crederent: atque hos reliqui Muhamedani *Chiaet* vocabant, hoc est *Sectarios*; cujus quidem sectæ varii adhuc rami propagati sunt, de quibus Autores Orientales multa tradunt, quæ minus ad institutum nostrum pertinent. Ommiadæ qui Imperium ad se transtulerant, exigebant à subditis quamdam formulam, quæ maledictionem & anathema in Haliadas contineret. In Corasana maximus erat ex eorum secta numerus, quos ut sibi Abbassidæ conciliarent, formulam illam sustulerunt, seque Halis sectatores, sanguinisque ejus vindices professi sunt. Hinc mutata in ritibus & consuetudinibus multa, præsertim verò color sacer ex antiqua superstitione habitus, in vexillo vestibusque principum & militum, tum etiam in tapete illo seu stromate, quo Ambo seu pulpitum unde *Cotbet* seu prædicatio & oratio publica per Califam fiebant. Dederat Muhamed Pseudopropheta Hamzæ avunculo suo vexillum candidum: colorque ille in Haliadarum familia, & sectis quæ Halim sequuntur, perseverat: at discriminis causâ Abbassidæ vestes, vexillum, stroma Ambonis, nigra esse voluerunt, qui color ad ultima usque tempora quandiu Califarum titulus superfuit conservatus est. Safah qui primus inter eos Abbassida numeratur, an. 136° ex morbo obiit, cùm quatuor annos regnasset, post Meruani cædem. Plura de illis rebus qui volet, legere poterit omnium brevem historiam in Bibliotheca Orientali sub variis titulis; qui verò libros Orientales consulere per se possunt, præter ea quæ apud Elmacinum & Abulfaragium reperiuntur, invenient in variis Abbassidarum historiis, Emir-Condo, & ejus Epitome, aliis historiis Persicè scriptis, Ismaele Abulfeda, Ebn-Checna, & tam multis aliis, ut indicem illorum contexere non mediocrem facilè liceat.

In tanto tumultu Abdelmelic Ægypti Præfectus Chailem comprehendi & in carcerem conjici jussit sub prætextu tributi quod ab Ecclesia debebatur. Catenis ferreis constrictus fuit, simul cum Mose Episcopo Wissim, Theodoro Episcopo Misræ, Isa & Paulo Mosis discipulis, & aliis, inter quos se fuisse scribit Autor historiæ. Ita in obscuro carcere detenti sunt ab 11ª Toth, usque ad 12am Paophi, hoc est diebus triginta duobus: nec interea solis lucem viderunt. In eumdem detrusi sunt trecenti viri aut fœminæ: quos omnes consolabatur, hortando ut pœnitentiam de pec-

Confessio peccatorum apud Patriarcham facta.

catis suis agerent, præsentem calamitatem patienter sustinentes; prædixitque finem illius ante annum certissimè futurum. Omnes autem cùm peccata sua apud eum confessi essent, & jurejurando se obstrinxissent, se non ampliùs ad ea relapsuros, vix toto vertente anno in libertatem restituti sunt. Quidam interea ex Aulico Comitatu Christianus, quæ ad victum necessaria erant ipsi & aliis subministravit: Episcopis scilicet duobus qui cum eo vincti erant, quibus toto illo tempore ministerium suum non defuisse testatur Autor narrationis. Ea occasione refert se illum interrogasse de peste, quæ omnes fere infantes eo anno abstulit, quos Chail ad Paradisum translatos respondit, quia sine peccato essent, nempe de Christianorum filiis baptisatis loquebatur: neque enim inter tot errores, qui vel falsò vel verè Coptitis impacti sunt, auditum est accusatos eos fuisse quòd peccatum originale negarent, de quo testimonia multa sunt in officiis baptismalibus. Subjungit alia satis insulsa ex colloquiis ejus cùm noctu vigilarent, quæ cùm ad Patriarchæ sui doctrinam commendandam pertineant, levia admodum ejus argumenta præbent: eaque non minus quàm ejus in morbis sanandis miracula, aut similia Episcopi Wissim, & tales fabulas omittimus. Tandem cùm eductus è carcere urgeretur ut pecuniam daret, obtinuit libertatem proficiscendi in superiorem Provinciam, ut eam à Christianis corrogaret. In eo itinere incommoda multa passus est, tamen multos ad fidem reduxit. Reversus Misram est 21ª Tybi, festo Dormitionis Deiparæ: qua nocte ingens terræ motus multas domos subvertit, naves plurimæ tempestate demersæ: quæ calamitas à Gaza usque ad extremos Persidis fines pervasit. Urbes cum pagis numerabantur sexies centum, quæ in hoc terræ motu perierunt: hominum & pecorum innumera multitudo. In Ægypto, præterquam Damietæ, nihil mali accidit: sed omnes in summo metu fuerunt: Ecclesias & domos Jacobitarum in Oriente, ubi omnes ferme urbes aut dirutæ aut concussæ sunt, incolumes perstitisse, Autor ait accepisse à viris fide dignis: non tamen magis quàm sunt alii historiarum Autores, tam Christiani quàm Muhamedani, quibus nihil simile perscriptum est. Abdelmelicus, acceptâ quam Chail ex Christianorum suæ sectæ collatitia stipe collegerat pecuniâ, liberum eum abire permisit.

Res Nubiæ.

Hoc loco Autor ad res Nubiæ stylum convertens, scribit ea in Provincia fuisse Regem, quem Mercurium appellat, qui ob eximiam pietatem & bona opera Constantini novi nomen meruerit.

Is filium habebat Zachariam, qui post patris obitum, ut orationi salutique suæ liberiùs vacaret, regnum propinquo cuidam suo Simoni reliquit. Is vitâ laudabiliter institutâ paulò pòst defunctus, successorem habuit juvenem strenuum Abrahamum, à Zacharia designatum. Ille tamen cùm pravis moribus esset, magnas cum Episcopo Cyriaco inimicitias exercuit, monita ejus impatienter ferens, adeo ut ad Chailem Patriarcham literas scripserit, quibus minabatur, se totam Regionem Idolorum cultui mancipaturum, nisi Episcopus deponeretur, quem multis accusationibus falsis impetebat. Lectis literis in Synodo Episcoporum, visum est rogare Episcopum, qui ad dicendam causam venerat, ut in Monasterio aliquo quiesceret, donec ira Regis deferbuisset. Cùm renueret Episcopus, eum dimiserunt; sed ita ut eum in Ecclesiis Ægypti Liturgiam celebrare non siverint, tum Joannem quemdam qui cum eo venerat, Episcopum ejus loco ordinaverint. Factum aiunt miraculum, nempe quòd imago Joannis Chrysostomi supra sedem Patriarchæ suspensa, ter in consessu Episcoporum ceciderit: Episcopus autem virum sanctum oris lineamentis referebat: significabaturque displicere Deo alterius ordinationem. Unde cùm antiquior Episcopus in quoddam Nubiæ Monasterium se recepisset, alter ad Regiam profectus esset, quandiu primus in vivis fuit, Nubia imbribus caruit, & quotannis pestilentiam gravissimam experta est: qui eum in exilio adibant, visu privabantur. Post annos aliquot cùm quartum & centesimum vitæ annum explevisset, obiit. Nubii ad sepulcrum ejus profecti, rogantes ut orationibus suis Deum placaret, siccitate & peste liberati sunt. Zacharias qui antea regnaverat, quique tanquam Pater Regum, autoritatem in eos conservabat, Abrahamum in Insulam relegavit, alium Marcum loco ejus constituit. Hujus familiares quidam, Abrahamo sicarios summiserunt, quòd cùm alii qui illi favebant intellexissent, Marcum sexto regni mense, in Ecclesia coram altari orantem interfecerunt. Suffectus ipsi est Cyriacus vir pius, qui, ut aiunt, dum hæc historia scriberetur, superstes erat. Cùm verò ad eum scriptum esset, Chailem ab Abdelmelico in vincula conjectum, profectus est versùs Ægyptum cum exercitu numeroso, in quo erant equi centum mille: camelorum æqualis numerus: equi verò pusilli asinorum staturam non excedentes, sed pugnacissimi, adeo ut calcibus hostes impeterent in prælio, nec minus quàm equites nocerent. Ita cum copiis Nubiæ Rex progressus in Sahid, prædas agere & ma-

gnam Muslemanorum stragem facere cœpit; & ad locum, qui etiamnum Piscina sive Stagnum Æthiopum dicitur, castra posuit. Tum legatum ad Abdelmelicum misit, rogans ut Patriarcham liberaret: at illum Abdelmelicus cum Patriarcha conjecit in carcerem. Territus tamen ejus adventu, Chailem jussit ad eum scribere, ut in regionem suam reverteretur, data ipsi benedictione: quod Cyriacus fecit. Eamdem historiam paucis refert Elmacinus, eamque assignat anno Diocletiani 461°, J. C. 755°; Autor noster 64° post exortum Muhamedanorum imperium: neque alterutra numerandi ratio locum hîc habet, cùm facta hæc esse, si vera sunt, oporteat sub Abdelmelico Præfecto & Chaile, hoc est circa annum 120um, J. C. 737um. Meminit quoque Abuselah Armenus in Chronico: omnes, opinor, ex hac ipsa historia, quæ omnium antiquissima est. Addit Autor, *subjectos fuisse Cyriaco Nubiæ Regi alios tredecim, inter quos primum locum obtinebat Rex Elkera Orthodoxus, hoc est Jacobita: potens, qui coronam habet cælo delapsam, quique est Rex Tunani: & cujus ditio pertingit ad ultimas usque Australes regiones: alios quoque Reges Æthiopiæ sive Habessiniæ, in quos omnes autoritatem habet Patriarcha Alexandrinus, qui illis Metropolitam ordinat, à quo Episcopi & Sacerdotes ordinantur.* Hæc ad verbum transtulit Abuselah Armenus, qui quædam addit, de quibus, quia ex ἀπίςων numero sunt, dicendum erit alibi, nam ad Æthiopicas res pertinent: de Nubiis pauca observanda sunt.

Elmac. p. 83.

De Nubarum Christianismo.

De antiquitate Christianismi apud eos nihil ferme scitur. Cùm autem Patriarchæ Alexandrini Jacobitæ cœperunt Episcopos illis ordinare, eos ad sua sacra transtulerunt, quod factum esse eo intervallo temporis, quod inter captam à Muhamedanis Ægyptum, & ordinationem Cosmæ effluxit, suprà ex Eutychio, Elmacino, Makrisioque observavimus. Quæcumque verò fuerit antea illius Ecclesiæ conditio, certum est ab eo tempore Nubas omnes Jacobiticæ sectæ addictos, Patriarchæ Coptitarum solius autoritatem agnovisse. Testantur id autores omnes qui de Jurisdictione illius scripsêre, sed ita tamen ut vix scire agnoscantur quinam illi Reges forent, imò qui forent Nubiæ propriè dictæ limites. Sunt enim viri docti quibus non immerito visum est, ea quæ de Cyriaco aut aliis Nubiæ Regibus sparsim in Orientalium libris occurrunt, ad Æthiopes pertinere. Et sanè huic conjecturæ favet, quod Cyriacum autor noster aliis Regibus imperasse testatur, quod de Habessinorum Regibus

ubique legitur, de Nubiorum, alibi non facilè occurrit. Neque habita ratione ad ſterilitatem & anguſtias Nubiæ, facilè quiſquam adducetur, ut credat tantam fuiſſe illorum Regum potentiam, ut exercitum, qualem Autores deſcribunt, in Ægyptum ducerent, niſi cum Nubia, Æthiopiam ſimul obtinuiſſent. Veriſimile igitur omnino eſt, eum quem Nubiæ Regem Autor noſter, Elmacinus, & Abuſelah appellant, fuiſſe Æthiopem: nam eos Reges ad extremos uſque Auſtralis continentis fines olim imperaſſe communis opinio eſt: nomen illud *Regis Tunani*, quo eum Autores deſignant, ad alium referri non poteſt; quis enim neſcit à ſimili denominatione atavis noſtris non intellectâ, formatum illud eſſe nomen *Joannis Presbyteri*, Æthiopum Regibus attributum, quod eruditos hujus & ſuperioris ſæculi tantopere exercuit. Quidquid enim excogitaverint, ut illam Preſbyteri appellationem corruptam eſſe oſtenderent, & aliud omnino ſignificare quàm Sacerdotii dignitatem, refelluntur omnes illorum conjecturæ, Abuſelahi teſtimonio, qui Reges illos Sacerdotes fuiſſe, altaria in tentoriis habuiſſe, tandemque Liturgiam celebraſſe ſcribit, tum etiam Alvarezii qui Reges quoſdam Sacerdotes fuiſſe teſtatur. At hæc accuratiùs exponentur in hujus hiſtoriæ ſerie, ubi non pauca occurrunt ad res Æthiopiæ Eccleſiaſticas ſpectantia, quæ à nobis obſcuræ illius antiquitatis illuſtrationem exigent.

Quid de ea hiſtoria ſentiendum.

Quidquid tandem ſtatuatur, etſi fabulæ quàm hiſtoriæ propior ea narratio ſit, quam de Cyriaci in Ægyptum expeditione retulimus, eſt tamen in hoc Arabicarum literarum genere antiquiſſima, cùm plerique, imò quantùm ſcire poſſumus, omnes hiſtorici qui Arabicè ſcripſerunt, ſint hoc noſtro poſteriores. Illud ſanè certiſſimum Muhamedanos omnes, quorum ad nos ſcripta pervenerunt, Nubas inter Chriſtianos numeraſſe; & ſtatim Jacobitas fuiſſe, ſive quòd à Jacobitarum Epiſcopis Evangelium ad eos pervenit, ſive, quod veriſimilius eſt, in publica Orientis & Ægypti calamitate, quâ Romanum his in Provinciis Imperium everſum eſt, cùm aliunde quàm ex Ægypto habere Epiſcopos non poſſent: Orthodoxi verò nullum per annos ferme centum Patriarcham Alexandriæ habuerint, ab hæreticis Epiſcopos & Sacerdotes acceperint, à quibus hæreſin Jacobiticam didicerint: ut Eutychius ſcripſit, qui id ſcire certò poterat, & quem Autores alii ſecuti ſunt. Quòd ſi de Nubiis illis Chriſtianis rara aut nulla eſt apud Antiquos memoria, nihil mirum eſſe debet: id enim nomen illis fere incognitum, quippe qui Æthiopas vocent, non eos modò qui Ha-

bessiniæ propriæ dictæ limitibus continentur, sed alios multos, quorum nec una, nec eadem semper appellatio fuit. Æthiopiæ verò Regem potentissimum olim fuisse credendum est, aut deneganda omnibus Autoribus fides, qui ingentem populorum multitudinem in Africa interiori agnoverunt; sed de istis rebus erit adhuc dicendi locus: ad historiam redeundum est.

De Eucharistia à jejunis sumenda.

Cùm ex carcere liberatus fuisset Patriarcha, confluxerunt ad eum sui magno numero, rogaveruntque ut Liturgiam celebraret, communionemque ipsis impertiret. Celebratâ igitur Synaxi in Ecclesia SS. Martyrum Sergii & Bacchi, ad eam convenerunt, & ex manu ejus acceperunt corpus & sanguinem pretiosum. Inter eos quidam venit ante alios, cui cùm Patriarcha communionem semel atque iterum negasset; egressis omnibus, accessit ille flens, causamque repulsæ sciscitatus est. *Non ego*, inquit Chail, *prohibui te à communione, sed ipse Christus Dominus, qui impedivit ne eum acciperes: sed palam facito coram Fratrum tuorum multitudine id quod commisisti, ne quisquam illorum tale quid in posterum perpetrare audeat. Exclamavit ille: Rogo te Domine Pater, ut si peccatum admisi, mihi illud remittas, nam in illud idem non recidam. Tum Chail: Verum omnino illud confiteri te oportet. Ille ad hæc. Domi eram, inquit, & jentaveram; veni in Ecclesiam ut Eucharistiam acciperem, quemadmodum feci hodie. Postea cùm audivissem daturum te communionem populo orthodoxo, dixi intra me: Ibo & accipiam Eucharistiam ex manu ejus sancta; atque ut id facerem, caritate christiana compulsus sum: quod cùm tibi manifestum fuisset, me repulisti. At in Sahide multi ita agere solent, nescientes peccatum esse. Hæc cùm Chail didicisset, scribi jussit literas ubique publicandas, ne quis, nisi jejunus, aut bis in die communionem acciperet.* Hæc ipsius Autoris verbis referenda existimavimus, ut disciplinæ Ecclesiasticæ capita duo illius testimonio constarent. Primum est de confessione peccatorum, quæ ut singulari Dissertatione ostendimus, in Ecclesia Jacobitica Alexandrina à schismatum initiis more majorum servata est, donec perversorum aliquot hominum & nequissimorum Episcoporum, inter quos numerandus est Marcus filius Zaraæ Patriarcha, & quidam alii, audaciâ factum est ut intermitteretur, de qua fusè dictum est eo loco. Alterum disciplinæ caput est, quòd Eucharistia nonnisi à jejunis suscipiatur, quæ etiam constantissimè observata est, in Orientalibus Ecclesiis omnibus, ut docent Canones Ecclesiastici & Pœnitentiales multi, quos referemus breviter in Notis

Notis ad Anaphoram Basilii Ægyptiacam, & fusiùs in Dissertatione de Eucharistia.

Abdelmelicus Præfectus cùm antea Christianos variis modis oppressisset, repentè mutatus, eos benignè fovit: Chailem præsertim in honore habuit, qui ejus filiæ quæ ab immundo spiritu vexabatur, sanitatem restituit, cùm eam oleo benedicto inunxisset. Juvenis quidam Muhamedanus, cùm imaginem Christi crucifixi lanceâ transverberasset, ex columna in quam ascenderat pendens, quasi ipse cruci affixus esset, & in latere punctus, cùm ex alterius Muhamedani consilio professus esset Christianam Fidem, liberatus est; & ad Monasteria profectus, Baptismum accepit. Imaginis miraculum.

Multa hoc loco Autor scribit circa Imperii ad Abbassidas translationem, absurda penitus, & contra omnium aliorum fidem: nempe Abdallam visione quadam cœlitùs oblata vocatum esse ad Meruanum bello lacessendum: Abumuslimum jussisse ut omnes milites signum crucis assumerent, quo victores essent, simulque nigras vestes induerent: quia, ut videtur Autor intellexisse, color is ad Christianorum cultum proximè accedebat, quorum Sacerdotes & Monachi pullis vestibus utebantur: Christianis ubique securitatem præstitisse. Hæc omnia fingi potuerunt à Christianis Orientalibus, aut ex rumore ad Autorem pervenisse, qui nimiùm credulus, ea de Abbassidis memoriæ mandaverit, quæ à vero alienissima sunt. Neque enim crudelius quidquam duobus illis ducibus: neque ulli hominum tenaciores Muhamedanæ superstitionis: neque inermes Abbassidæ imperium ambierunt, verùm tractis ad partes suas copiis Chorasanæ & Iracæ præcipuis, Provinciarum illarum amplissimarum exercitibus, pecunia & robore Ommiadas oppresserunt, justis præliis sæpè decertarunt, & tandem Meruanum spoliatum, in Ægyptum ubi periit, expulerunt. Falsa narratio de Abbassidarum initiis.

Narrat Autor in fuga eum monasteria multa evertisse, postquam prædam militibus suis concessisset: inter alia illud quod *Abu-Hermanos* dicebatur in Palæstinæ finibus, de quo mira fabulantur: Eum scilicet tempore Marciani Imperatoris vixisse; cùmque Tomus Leonis proponeretur, eo sumpto ad sepulcra Patrum perrexisse, mox erupisse ex illis vocem, quæ Leoni, Marciano & Concilio Calchedonensi anathema diceret. Extitisse prope illud Monasterium, Styliten Anachoretam Theodosianum, prophetiæ dono insignem, qui cùm Meruano cladem & interitum proximum prædixisset, eversâ columnâ, vivus ejus jussu crematus Narratio contra Calchedonense Concilium.

fuerit. Anno Martyrum 467°, J. C. 751°, Meruan in Ægyptum fugisse dicitur: at Hegiræ 131us, quo mors ejus assignatur ab Elmacino & aliis, triennio antevertit.

Ægyptiorum Christianorũ rebellio.

In tanto rerum tumultu Coptitæ, seu Christiani Ægyptii, adversus Abdelmelicum rebellaverunt, duabus in Provinciis: Bschammyritæ quidem ex Sahide, duce Menna filio Bekiræ, alii circa Osiout: adversus quos cùm duxisset exercitum Abdelmelicus, magna suorum parte amissa, debellatus est. Cùm Meruan adversus eos collectas tam ex Ægypto inferiori, quàm adductas ex Syria copias misisset, Coptitæ inaccessa loca obtinentes expugnari non potuerunt, multos imò hostes ceciderunt, cùm improvisò ex munitionibus egressi eos adorirentur. Patriarcha Melchitarum Cosmas, & Chail Jacobitarum, & alii Christiani capti, cum Meruanis copiæ Alexandriam occupaverunt, & in vincula conjecti sunt à Kuzaro ejus duce. Cosmas mille aureis se redemit: Chailem pecuniâ carentem, postquam fuste ab eo percussus ducenties, & in terram prostratus jaceret, nec tamen damni quidquam sustinuisset, gladio feriri jusserat. Jam cervicem extenderat, lictorque signum acceperat, cùm Præfectus: Quid, inquit, utilitatis percipiemus ex seniculi istius cæde: imò ad Bschammyritas scribet, efficietque ut nos impugnare desinant: itaque Rechidam deductus est. Bschammyritæ captivos Muslemanos quos in munitionibus suis habebant, partim occiderunt, partim ejecerunt. Adversus eos Meruan partem copiarum misit, quæ regionem incendiis, cædibus, rapinisque vastaverunt: Monasteria spoliata diruerunt. Inter illa celebre erat quoddam Virginum, inter quas una formosissima fuit: quæ ne injuriam à barbaris pateretur, simulavit habere se unguentum, quo si se quis inunxisset, ferro lædi non posset: cùmque in se experimentum fieri voluisset, caput ei abscissum est: mori quippe maluit, quàm violari. Refert hanc historiam Elmacinus, quasi Meruano ipsi virgo tradita & ab eo occisa fuerit: Autor noster ad alium transtulit.

Elm. p. 99.

Patriarcha à Meruano multa passus.

Abbassidis in Ægyptum properantibus, jamque castris ad Farma positis, Meruanus incensa Misra seu Cahira veteri, omnibusque horreis, Chailem comprehensum ad se adduci jussit. Episcopus Wissim Moses clavis ferreis contusus est: Chailem jussit Meruanus verberari eique barbam avelli coram exercitu Chorasaniorum, qui erat ex altera Nili parte, quia inter eos erant Bschammyritæ seu Coptitæ, qui inter alias rebellandi causas præ se ferebant vindictam

injuriarum quas Christiani & præcipuè Patriarcha à Meruani factione & ejus ducibus passi fuerant. Tum variè tortus, ardentique per totam diem soli expositus, postridie adductus est coram Meruano, simul cum Mose Episcopo & aliis qui venerant ex monasterio S. Macarii : allata simul varia suppliciorum instrumenta. Tunc Moses Episcopus, & autor qui hæc scribit, rogaverunt Patriarcham ut recitaret super eos *orationem absolutionis* juxta Canonem Ecclesiæ, quod ipse fecit. Extat hæc oratio, quamvis in versione Maronitarum valde interpolata, in Missa Basilii Coptica, sub falso titulo *orationis glorificationis* : est autem absolutio quædam generalis, quæ etsi propriè sacramentalis non magis esse videatur, quàm solennes apud nos ejusmodi orationes Feria v^a in Cœna Domini : habet tamen ex Coptitarum sententia virtutem remittendi peccata, & in omnibus Liturgiis, sacramentalibusque Officiis adhibetur. Abdalla filius Meruani major, patrem aggressus est, monens periculosum esse, talem cædem Patriarchæ committere, coram utroque exercitu qui Nili tantùm alveo dirimebantur : futurum inde ut Coptitæ jam satis infensi, omnes undique Chorasanitis se adjungerent; aut si fugiendum esset, vindicaturos proculdubio sanguinem ejus quem patris haberent loco, Nigritas præsertim in quorum regionem evadendum erat, si victoriâ Chorasanitæ potirentur. Ita urgente Abdalla, in carcerem remissi sunt Chail, Moses Episcopus Wissim, Joannes Diaconus autor istius historiæ, Mennas Episcopus Tinüa, fortè Antinoou; Zacharias Atribæ, Petrus Busiridos, Georgius Diaconus, postea Episcopus Nesrat : Athanasius Archipresbyter S. Macarii, Jacob postea Episcopus Sinjaræ, & alii numero undecim : ibi catenis ferreis vincti magnam ex tenebris & pædore carceris, molestiam sustinuerunt, consolante eos Episcopo Wissim, cujus prophetiarum frequentissima toto hujus narrationis decursu mentio est. Fiebant quoque preces continuæ in monasterio S. Macarii : inde nonnisi post victum fugatumque Meruanum liberati sunt 1^a mensis Mesori. Chorasanii edixerunt, ut Christiani omnes crucem pro signo gestarent, & domorum ostiis adfigerent, atque ita plenam securitatem obtinuerunt : & tributa quæ Christiani pendebant, ab novis dominis multùm imminuta sunt. Occiso Meruano qui in Busiride secundùm Eutychium & Elmacinum obtruncatus est, vel in loco quem vocant *Dautoun*, secundùm hunc historicum, prope columnam in qua senex ille stylites erat, quem vivum combussit, Chail

cum suis in libertatem redditus est, confirmatusque in libera & integra Ecclesiarum possessione. In re porro seria rem admodum ridiculam adjungunt, quòd scilicet barba quæ ipsi per contumeliam evulsa fuerat, miraculo crevit, post somnium quod inquirunt ipsum narrasse.

Deterior sub Abbassidis Christianorũ conditio.

Rebus compositis stabilitoque Abbassidarum Imperio, Christiani deteriùs habere cœperunt ob principum, præfectorumque avaritiam. Cùm enim priùs levata tributa fuissent, anno 4° duplicata sunt: cùmque immunitas ab iisdem publicata fuisset, in eorum gratiam qui Muhamedanam religionem profiterentur, multi fidem abnegaverunt. Questus est Chail apud Præfectum Naronem nomine, quòd contra promissam securitatem, & privilegia ab Abbassidis concessa, Christiani tanta mala quotidie experirentur. Respondit ille suggestum id Sultano fuisse, ne Ægyptii si vel uno anno quiescere immunes à tributis sinerentur, in eum rebellarent, sicut Bschammyritæ contra Meruanum. Nec minor deinde calamitas ex bellis civilibus quæ Præfecturæ causâ inter Naronem quem alii Abuhoun vocant, & alios duces intercessere. Sed cùm hæc ad institutum nostrum non pertineant & obscurè admodum atque inconstanter ab illo Autore scripta sint, ea prætermittimus, paucas tantùm necessariasque observationes adjecisse contenti, sine quibus historia illorum temporum intelligi vix potest.

Mutatio Imperii quod eo tempore ab Ommiadis ad Abbassidas, seu Haschemitas ut aliter appellantur ab autore familiæ, translatum est, nullam aut religionis aut politici regiminis novam formam induxit. Certatum erat de Califatu, quem à Meruano vi occupatum esse constabat: cùm verò nunquam ita quievissent Muhamedani, ut de legitima vocatione Ommiadarum ad eam dignitatem consensus inter eos fuisset, plurimi populi, & tribus nobiles in familiam Halis propensissimam voluntatem haberent, ejusque sanguinis vindicta semper causa justa belli esse videretur, eo titulo Abbassidæ novas res moliti sunt, cùm eam familiam cognatione attingerent. Ommiadis usque à Muavia Califa ex illis primo, solennis erat publica quædam abjuratio Halis, Huceini & aliorum Haliadarum quos *Ahal-Beit* vocant, quasi dicas *domesticos & consanguineos*. Eam Abbassidæ sustulerunt, benedictionemque & laudem ejus loco substituerunt. Nihil præterea in Religione mutatum, præter colorem vexilli, tapetis sacri & vestium, quem nigrum esse voluerunt Chorasanitæ, ut dictum est suprà; unde

Μαυροφόροι à Theophane & Græcis aliis Autoribus vocati sunt. Permansit consuetudo hæc ad ultima tempora, ubicumque Califarum autoritas viguit: mutata est in Ægypto, ut suo loco dicetur, post annos ducentos & viginti circiter, cùm Fatimidæ qui se Haliadas dicebant, regno ocupato, ejuratisque Abbassidis, se Califas appellarunt: alboque colore uti cœperunt. Quæ verò postea de quibusdam religionis articulis controversiæ fuerunt, ut circa creationem Alcorani, circa excellentiam Halis præ creaturis omnibus, excepto Muhamede, ea potiùs inter doctos disputata, quàm ex communi omnium sententia, proposita ad credendum sunt.

Imperii administrati ratio.

In politico regimine ut sub Ommiadis, Califa omnem autoritatem habuit & Imperatoria jura omnia, quorum hæc erant præcipua, ut ex Ambone in Meschitis oratio pro eo fieret: ut ejus nomine pecunia signaretur, vexillum ejus deferretur, jus ejus nomine diceretur: Præfecti provinciarum ab ejus nutu penderent: in ærarium ejus quotannis inferretur pars tributorum. Eam formam Abbassidæ non mutaverunt: cùmque ob Imperii amplitudinem illud per seipsos regere non possent, Præfectos Provinciarum instituerunt, quorum autoritas eadem ferme fuit ac Præfectorum Prætorio, sub Romanis Imperatoribus. Omnis enim potestas civilis & militaris ad eos pertinebat: ipsi Duces, Urbium Præfectos, Judices, Quæstores, omnes tandem Ministeriales instituebant: exercitus regebant, delectus habebant, tributa imperabant. Si quid contra leges peccarent, erat ad Califam appellatio, sed ut plurimum inutilis: nec alia de repetundis, aut injuriis pœna, quàm destitutio, aut bonorum omnium fisco acquisitio. Hinc factùm ut plerique Præfecti rebellaverint, à quibus Dynastiæ Muhamedanorum variæ deinceps constitutæ sunt. Itaque sub Præfectis mansit Ægyptus, regnantibus Abbassidis non minus quàm antea: si quis inter eos, quod rarissimum fuit, justitiam colebat, erant non Christiani modò, sed reliqui, in summa tranquillitate: secus erat, si avarus, si crudelis: nec melior Christianorum conditio, etiam sub bonis principibus, quando nimiùm religiosi in sua superstitione erant.

De Nilotico incremento.

Anno tertio Abbassidarum, hoc est Safahi, qui primus Califa in ea familia fuit, cùm Christiani qualemcumque libertatem obtinerent; Nilus ad eam altitudinem, quæ necessaria erat ut terras inundatas fœcundaret, non excreverat, & in cubitis quatuordecim constiterat: cubitos verò saltem quindecim superasse oporte-

Jul. Ep. 50.

bat ut fertilitas sequeretur, quod docet Juliani ad Ecdicium Ægypti Præfectum Epistola. Convenerant eo tempore Episcopi ad Synodum in festo Crucis habendam juxta consuetudinem, quæ, ut ex hoc loco manifestum est, observabatur adhuc quotannis, quando licebat, ita ut Episcopi bis ex Canonum præscripto ad Synodum convenirent. Vigesima-septima mensis Toth, 24ª Septembris, quo die festum Crucis apud Coptitas celebratur, Patriarcha, Episcopi & Clerus summo mane ante solis ortum ad ripam Nili convenerunt, Cruces, Evangelia, thuribula, imò reliquias Martyris cujusdam (si Makrizio credendum,) magnâ pompâ deferentes: ibi preces pro Nili exundatione fuderunt, *Kyrie eleison* inclamantes. Processerant autem ex Ecclesia magna Misræ, quæ dicebatur *Catholica*, sub invocatione divi Petri olim consecrata: tantaque Christianorum multitudo convenerat, ut Ecclesia eos capere vix posset. Posteaquam preces ad horam diei tertiam productæ sunt, Fluvius uno cubito increvit, stupentibus Judæis & Muhamedanis, Deoque gratias agentibus. Tamen Præfectus, cùm miraculum ad suæ sectæ contumeliam spectare judicaret, Muhamedanos edicto congregavit, ad preces pro communi beneficio postulando faciendas. Cùm in eo essent, advenit ex Nilometrio nuntius, qui aquam quæ pridie creverat, imminutam referret. Postridie egressi sunt omnes Judæi, Samaritani, Muhamedani, ad montem urbi vicinum: sed frustrà, nam aqua nec aucta nec imminuta est. Vetuit Præfectus, ne quisquam ad orandum foras prodiret: nec aqua incrementum accepit. Tandem prodire Christianos jussit; qui cùm urbem circuissent, precesque fudissent tota die ad litus, aqua tribus cubitis aucta est; tandemque ad justam septemdecim cubitorum altitudinem excrevit. Eo miraculo commotus Præfectus, Christianis tributa imminuit; eosque benigniùs habuit: adeo ut Ecclesia in summa pace per aliquot annos fuerit. Erant insignes Episcopi eo tempore, quorum alii scripturarum peritiâ, alii eloquentiâ, omnes virtute, non pauci miraculorum dono commendabantur. Hos Chaïl visitabat, omnemque plebem curæ suæ commissam verbo & exemplo confirmabat; præsertim Monachos humilitatem reliquasque virtutes docens, inimicitias componebat, ignaros instruebat.

Meletianorum reliquiæ.

Erant in quibusdam locis monasteriisque residui ex antiqua Meletianorum secta non pauci, ad quos cùm scripsisset literas ut eos ad veritatem agnoscendam compelleret, frustraque fuisset; ad

eos ipse profectus est. Fuisse autem ejus hæresis sive schismatis reliquias in Nomo Arsenoite prope Calamonem docet Collectio Apophtegmatum Gerontici edita à Viro clarissimo Joanne Baptista Cotelerio, sub titulo Abbatis Sisois: eos quoque Ariana hæresi imbutos fuisse, discimus ex Tractatu de Hæresibus ibidem edito sub nomine Joannis Damasceni. Dicit verò Autor hujus historiæ in monasteriis, speluncis vicinisque locis fuisse illorum tria circiter millia; eosque præter doctrinam antecessorum suorum, quam abnegaverant, aliis perniciosis erroribus laborasse. Cùm frustrà eos ad pœnitendum, agnoscendamque veritatem Chail hortatus fuisset, ad orationem conversus petiit à Deo ut eos perderet. Deleti sunt igitur, sicut deleverat Dominus Sodomam & Gomorram, cum Monasteriis ubi erant tria circiter eorum millia; decem tantùm qui aliorum mala opera non imitabantur, servati sunt. Eos verò in Diœcesi Wissim fuisse magno numero, Autor scivisse se ait ab Episcopo Mose: habuisse antiquitùs Monasteria in quibus habitarent, verùm multos ex illis Schemate seu habitu monastico caruisse: cum eo tamen aliquando ob vicinitatem concordiam coluisse; quæ abrupta fuisset, cùm nefandas eorum superstitiones magicas rescivisset. Hanc inter alias refert, quòd pueros in loco deserto ligatos, fame & siti necarent: tum capita eorum exsecta reservarent, ex quibus dæmones responsa illis dabant: & ejusdem magicæ superstitionis artificio mira multa facerent. Verùm hæc & multa alia nugacitatem autoris confirmant, non minus quàm miracula, in quibus commemorandis modum non tenet; quæ si ab hæreticis ederentur, moniti sumus à Christo Domino venturos esse, qui miracula falsa facerent. Sed tentatio sanè hoc in genere mediocris, cùm alii scriptores ejusdem sectæ non tam multa in sexcentorum annorum historiis recitent, quàm iste in sola vita Chailis. Itaque illis omissis, referemus tantummodò nomina Episcoporum, quos cum laude commemorat, præter eum de quo sæpè loquitur, Mosem Episcopum Wissim. Illum ait solo sabbato & die Dominica adeundi sui copiam fecisse, cùm reliquam hebdomadem in oratione & afflictatione corporis consumeret.

Floruit eodem tempore Epimachus Episcopus Pharmæ, doctrinâ insignis, præsertim in confutandis hæreticis. De eo memorant, quòd sacerdos quidam Calchedonensis, cùm fictam apud eum fidei Jacobiticæ professionem edidisset, & unctionem accepisset de oleo consecrato è corpore Severi Patriarchæ, statim à dæmone correptus *De Severi reliquiis & miraculis fabula.*

sit, quo ad finem usque vexatus est. Ibi observandus mos antiquus ungendi hæreticos, nam tales Jacobitis videntur Calchedonensis fidei defensores: atque inde confirmatur disciplina multis locis consignata de suscipiendo eorum baptismo, etsi sæpè ab Orientalibus ut & ab Occidentalibus contra eam peccatum est. Illud verò oleum non aliud esse intelligendum est, quàm Myrum quo ungi pœnitentes apostasiæ & hæreseos rei solent, ut fusè scribitur in Canonum Collectionibus, & apud Dionysium Barsalibi Episcopum Amid Jacobitam, in Tractatu de suscipiendis pœnitentibus. Judicamus autem captandæ funestæ cujusdam benedictionis causâ depositum fuisse apud sepulcrum Severi Jacobiticarum partium Antesignani, quasi infensissimi Calchedonensium hostis intercessio valeret ad fidem quam semper impugnavit extinguendam. Et in hac etiam sacrilega superstitione vestigium antiquæ disciplinæ apparet circa sanctorum venerationem. Floruerunt simul Joannes Episcopus Souma: Kyras Episcopus Tama, quem perhibent cùm de fide cum hæretico disputaret, provocasse ad ignis experimentum: quod cùm alter renueret, orarium suum in ignem conjecisse, & illæsum recepisse. Zacharias Episcopus Athribæ, Stephanus Episcopus Chetabæ, Paulus Echmimæ. Alius Episcopus Misræ, qui infantulum cujus mater Sacerdotis vidua de adulterio accusabatur, loqui jussit. Isaac Episcopus Semnudæ, qui multùm laboravit ad Barsanufianos ad sedem D. Marci reducendos, & multos ad Jacobitarum fidem convertit.

Res Antiochenæ Ecclesiæ.

Magnæ hinc in Ecclesia illorum Antiochena turbæ fuerunt: nam Episcopum non habebat ab obitu Joannis, illius quem suprà diximus synodicam scripsisse ad Chailem. Obstabat contentio inter Episcopos, tum adhuc magis civilia toto Oriente inter Ommiadas & Abbassidas bella, eligi novum Patriarcham non sinebant. Cùm isti rerum potirentur, Isaac Episcopus Harran, qui præcipuæ ejus uxori carus erat, quia cùm sterilis esset, & ad Monasterium utpote Christiana religionis causâ profecta esset, viderat in somnis viros duos qui prolem illi pollicerentur, quam paulò pòst obtinuit. Horum alterum ex facie existimavit fuisse Episcopum Harran. Ea ex causa jussit illum Abdalla Patriarcham Antiochiæ constitui; & si quis obsisteret ejus ordinationi, statim occidi. En hominem qui, si Jacobitis credendum est, miracula faciebat, & vivus per somnia apparebat; qui cùm per ambitum omni anathemate dignum Cathedram invasisset, etiam in Episcopos sævііt, qui impietati ejus

ejus se opponebant. Occisi sunt enim ex Abdallæ mandato duo Metropolitæ seniores, eò quòd dixissent: *Quomodo Episcopus Harran audet Canones violare, & Principis potestate suffultus, sedem Patriarchalem per vim occupare: quandoquidem te, ô Episcope, deponi oporteret secundùm Canones qui ita præcipiunt fieri adversus eos qui favore principum dignitates Ecclesiasticas ambiunt.* Libertas Metropolitanorum duorum crudeliter repressa est: uterque enim occisus est Sultani jussu, cùm apud eum Isaacus de illorum oppositione querelam detulisset. Hinc magna turbatio illis in provinciis. Isaacus diplomate regio munitus, literas synodicas in Ægyptum ad Chailem misit, acceptis simul ad Præfectum literis quibus jubebat Abdalla, ut si Chail eas, legatosque Isaaci, qui erant Metropolitæ Damasci & Hemesæ, Sacerdos & Diaconus Secretarii ejus, non reciperet, in Syriam ad Sultanum mitteretur. Legati cùm advenissent, mandataque & literas exposuissent, negavit Chail licere sibi ut absque Episcoporum suorum consilio quidquam in tanti momenti negotio definiret. Convocavit igitur Misram omnes Episcopos inferioris & superioris Ægypti; qui post aliquam sententiarum diversitatem, tandem statuerunt ut Chail erga virum ejusdem dignitatis, & comministrum ageret quid ipsi optimum factu videretur. Mensis tamen in deliberando consumtus, antequàm de literis systaticis quibus respondere solebant Patriarchæ ad synodicas, quidquam statueretur. Ad hoc concilium vocatum se ait Autor historiæ, nec laudes suas præterit, dum insulsum inter se & Orientales colloquium referendum arbitratus est. Tandem Chail pronuntiavit, se neque gladii, neque ignis, aut bestiarum, aut exilii metu commissurum, ut quod ipse subscriptione sua confirmaverat, interminatâ anathematis pœnâ, revocaret, seque ipse retexeret. Anathemate pronuntiato, se declarasse eum qui Episcopus esset, Patriarcham secundùm Canones fieri non posse: neque etiam ignorare se anathemati subjectos eos à SS. Patribus, qui ad dignitates Ecclesiasticas autoritate principum pervenirent: Orientales quoque Episcopos sub Joanne qui antea obierat, inter se constituisse, ut quicunque Episcopus postea Patriarchatum ambiret, anathemati subjiceretur, quas litteras ipse subscriptione sua confirmasset; non posse igitur hodie probare quod heri damnaverat, ne anathema à se pronuntiatum incurreret, illud approbando quod sancti Patres condemnassent. Ita solutus est consessus; & quamvis urgerent Legati Antiocheni, ut secundùm Sultani man-

data statim ad eum proficisci cogeretur; Præfectus, qui ei Christianisque favebat, spatium deliberandi concessit: Chail tamen licèt infirmus, ad iter se paravit, cum Mose Episcopo Wissim, Theodoro Episcopo Misræ, & Joanne autore historiæ. Ea ipsa nocte allatus est nuntius de morte Isaaci Harranensis invasoris sedis Antiochenæ: cujus ipso die ante solis occasum, Athanasius quidam locum invasit: at is tertio die mortuus est. Metropolitæ Damascenus & Hemesenus, audita Isaaci morte, fugerunt; nec ampliùs in Ægypto visi sunt.

De Athanasio isto refert historicus, eum fuisse Episcopum primitùs ordinatum, cujus Diœcesis esset ultra Harraniæ limites, quam urbem olim amplissimam, jam à quadringentis & ampliùs annis dirutam Abulfeda & alii Geographi testantur, & quam veterum Charras esse, clade Crassi insignem, doctorum omnium sententia est: ibi Sabaitæ seu antiquorum Magorum Idololatriæque prima incunabula. Nec longè distabat urbs ab asperrimis montibus Armeniæ, ubi Arcam Noe requievisse ex scripturis docemur. Athanasius igitur ille, vir robustus & validus, Diœcesin habuit in montana illa regione, quam circuibat pedes, calceatus soleis ferreis, ita ut in avia quæque loca penetraret. Ibi cùm multos ad fidem convertisset, seu quod verisimilius est in tanta Ecclesiarum præsertim Orthodoxarum calamitate, qualis per Persas & Arabes illata fuit, Jacobitis adjunxisset, Metropolitæ dignitatem & autoritatem accepit in Synodo, ita ut Episcopos in longinquis illis regionibus posset ordinare. Factum id aliquando, atque inde apud Jacobitas originem duxit, constitutus postea iisdem in Provinciis Mofrian, seu Catholicus, qui Takritæ sedem habuit. Ita Nestoriani ab iisdem initiis progressi, cùm Episcopos tantùm in sua secta haberent, Seleuciæ Parthorum, sive ut Arabes eam vocant, Modainæ, ubi sedes erat Catholici Persidis, hoc est Primatis, qui Metropolitas subjectos haberet, eodem titulo sectæ suæ supremum Antistitem cohonestarunt: quam dignitatem deinde ad Apostolica usque tempora, ne scilicet nota certissima Christianismi, quæ est Apostolicæ successionis linea, ipsis deesset, referre conati sunt. Is igitur Athanasius statim atque Cathedram Antiochenam invasisset, mortuus est. Post ejus obitum venit ad nos, inquit Historicus, Georgius quidam antea Calchedonensis, hoc est Orthodoxus, qui fidem Jacobiticam professus est & electus, ordinatusque est Patriarcha Antiochenus. An verò id factum in Ægypto, an verò Antiochiæ, ex verbis Autoris divinare non possumus. Paulò pòst Episcopus qui-

dam nomine Abu Daoud, cujus mater nutrix fuerat Abujafari Almanſoris Califæ, in ejus locum intruſus eſt, Georgio in carcerem conjecto, neque ab illis ſynodicæ Epiſtolæ ad Alexandrinos Jacobitas miſſæ ſunt, neque ad Antiochenos ab Alexandrinis. Id verò intelligendum eſt uſque ad finem vitæ Chailis, in qua Joannes deſinit: nam communio illa utriuſque Eccleſiæ aliquandiu interrupta, poſtmodum renovata eſt, & in hunc uſque diem perſeverat; ut ex diverſis exemplis in hujus hiſtoriæ ſerie fiet manifeſtum. Mors Chailis.

Obiit tandem Chail cùm ſediſſet annos 23. 16ª menſis Phamenoth: quo die mortem ejus deſignat Canon apud Abulbircat, P. 83. & eodem fit ejus commemoratio in Coptico Kalendario. Elmacinus eumdem diem menſis habet, quamvis per errorem operarum in Latina interpretatione denarius numerus omiſſus ſit: at ipſe ſibi contrarius eſt, dum eum annos 23. ſediſſe ſcribit & paulò pòſt 24. Eam difficultatem ſolvit Chronicon Abulbircat, dum accuratiùs menſes 10. & annos 23. numerat: quos menſes alii ut Makrizius omiſerunt. Ab anno Hegiræ 120°, qui cùm inceperit à 28. Dec. J. C. 737ⁱ, à 738° ducendus eſt, ſi numerentur anni 24. mors Chailis incidit in an. J. C. 762um, Heg. 145um, ob differentiam annorum ſolarium quibus conſtat numerare Ægyptios, & Lunarium quibus utuntur Arabes: ſed cùm initio hujus vitæ oſtenderimus aberrare Elmacinum, Makrizium & alios, multò magis hiſtoricum, qui Chailis σύγχρονος fuit, aut eſſe voluit, nec ordinationem ejus fieri potuiſſe ante annum 124um Heg. J. C. 741um: annoque ineunte, nempe 14ª Toth ſecundùm Ægyptios, exeunte verò eodem anno Hegiræ, quia Muharram primus menſis Arabicus incidebat eo anno in 14am Novembris feriâ tertiâ, atque ita nondum numerabatur an. J. C. 742us, cùm ordinatus eſt Chail: itaque obitus ejus, numeratis annis 24. incidit in an. J. C. 766um non in 763um ut ex Elmacino, nec tamen indicato autore, ſed tanquam ipſe authenticam Chronologiam promeret, ſcripſit Kircherus. Quia verò liber ille eſt in omnium manibus, nec facilè ſpiſſi quibus ſcatet, errores animadverti poſſunt, niſi ab illis qui multùm operæ in iſtis ingratiſſimis ſtudiis conſumſerunt, monendus eſt lector ne illum ſequatur, dum Coſmam inter Chailem & Minam collocat. Ignoravit enim Catalogum omnem ſuum à Dioſcoro ad ultima uſque tempora neminem Patriarcham repræſentare, qui Jacobita non eſſet. Coſmam verò ex Elmacino diſcere poterat Orthodoxum fuiſſe, ut qui à Theophane nominetur. Sed non intel-

lexit qua ratione duo simul Patriarchæ sedere potuerint, quod ex tota hac historia satis intelligitur.

Etsi verò in ea describenda operam dederimus, ut paucis exponerentur quæ fusissimè tractata sunt; breviùs tamen id fieri non potuit, cùm de istis Jacobitarum rebus altum ubique sit apud autores silentium: imò & quæ Imperii apud Muhamedanos mutationem spectant, si Theophanes excipiatur, autores reliqui aut nescierunt penitus, aut omnino perverterunt. Is verò, modò adsit interpres propriorum nominum, qui corrupta illa in Græcis codicibus ad Arabicam scripturam emendet, veriùs de illis rebus scripsit, quàm omnes reliqui.

De miraculis illud monendum est, pauca admodum esse attributa Jacobitis, quæ non legantur in Γεροντικῷ & aliis ejusmodi Collectaneis sub aliorum nomine, ut illud de puella in asinam mutata magicis artibus, & quædam alia: nec dubitamus Autorem Jacobitam in sectæ suæ commendationem ea ad se transtulisse, cùm multa ejusdem generis legantur, accepta non modò ex Græcis Autoribus qui plerique olim Arabicè translati sunt, sed etiam ex illis qui primùm Latinè scripti per Græcos Interpretes ad Arabes pervenerunt, qui φιλόμυθοι sunt præ reliquis mortalibus. Ut verò alia occasione observatum à nobis est, etiam ex fabulosa narratione veritas colligitur: nam qui miraculum signo crucis, imagine sacra, oleo consecrato, impositione manuum Episcopi factum refert, fallere potest falsa referendo; sed falli non potest, qui ex ea historia, qualiscunque sit, certam haberi probationem existimat opinionis, qua tenebatur is qui talia scriberet: ut circa aliquot miracula per Eucharistiam facta monuimus.

Ex huc usque dictis emendari facilè queunt obscuri quidam loci apud Elmacinum, qui nostram, opinor, historiam viderat; sed admodum negligenter exscripserat. Eutychius etsi Alexandrinus de illis rebus nihil omnino scripsit, quippe qui Jacobitas ut legitimos Patriarchas agnoscere non poterat. Paucis turbas Ecclesiæ Antiochenæ tetigit Elmacinus, sed admodum imperfectè. Interpretes porro ejus verba Arabica ita transtulerunt, ut intelligi non possint: imò spissum errorem intulerunt, dum *Metranin* numero duali, quæ vox *duos Metropolitas* significat, quos Isaaci causâ occisos esse dicunt historici, nomen proprium existimantes verterunt, *Occisus est ejus causâ Matraninus*, ubi non minus à Gallico Interprete peccatum est.

MINAS, seu MENNAS, PATR. XLVII.

MORTUO Chaile & Alexandriæ sepulto cum reliquis Patriarchis, electus est communi consensu Mennas sacerdos & monachus S. Macarii, unus ex discipulis ejus qui apud eum in pietate & doctrina institutus fuerat. Ecclesia sub ejus regimine cùm in pace esset, breviter in tantum profecit, ut calamitatum quæ nuper eam oppresserant oblita, majorem in modum floresceret. Verùm scelere Petri cujusdam Diaconi, qui pariter sub Chaile disciplina fuerat, magnopere ista tranquillitas turbata est. Is cùm Episcopatum à Menna petiisset, nec obtinuisset, conscensa navi in Syriam profectus, falsas ad Georgium Antiochenum Patriarcham subjectosque eidem Episcopos literas detulit, quibus significabatur Ecclesiam Ægyptiacam continua Præfectorum tyrannide oppressam, esse in summis angustiis, subsidiumque postulabat. Georgius cùm eum læto animo suscepisset, pecunias illi quantas potuit subministravit, deditque ad Metropolitas & Episcopos suos literas, quibus eos hortabatur, ut Collectam facerent quasi in levamen publicæ apud Ægyptios calamitatis. Petrus corrasâ pecuniâ ad Principem profectus est, accusavitque Patriarcham; atque inter alia illud objecit, eum artis chymicæ peritum esse, atque Chrysopoeæ beneficio replevisse Ecclesias suas vasis aureis & argenteis, quibus Christiani in officiis suis uterentur: quæ in thesaurum regium deferenda potius essent, quàm sinendum ut illis abuterentur ad profana sua mysteria. Turbæ post electionem.

Sufficiebat talis accusatio apud avarissimum Dominum, qualis erat Abujafar Almansor, de cujus sordibus mira narrant; sed simplicior historico videbatur narratio, nisi quidpiam incredibile adderet, nempe Diaconum à dæmone, cui se per magicas artes devoverat, immutata specie factum esse simillimum filio, quem nuper amissum Califa & uxor ejus lugebant, atque ea ratione in aulam adductum plurimam autoritatem habuisse: ita literas ad Ægypti Præfectum obtinuisse, quibus jubebatur ut illum Patriarcham constitueret. Cùm advenisset, mandataque Sultani exposuisset, Alexandriâ evocatus est Misram Patriarcha: Præfectus qui ei favebat non minus quàm ejus prædecessori, dedit illi licentiam convocandi Episcopos, ad deliberandum an Ecclesiæ & Altaria nefario illi viro traderentur. Cùm advenissent & in Ecclesiam Nova persecutio. *Elmac. p.* 104.

Missæ convenissent die Dominica, ausus est militari manu stipatus in eam ingredi, & ad sanctuarium accedere ornatus cidari Patriarchali, quam ab Almansore acceperat, in qua nomen ipsius Almansoris perscriptum erat, & incipere orationem gratiarum actionis & pacis, quæ primæ sunt in Liturgia. Hoc cùm vidissent cum summa indignatione Episcopi, irruerunt in eum Mennas Episcopus Tanboua, & Moses Episcopus Wissim, eique cidarim eripuerunt, eumque ex altari dejecerunt. Eâ causâ omnes in carcerem catenis ferreis onusti conjecti sunt, ubi nihil aliud quàm mortem expectabant. Attamen paucis diebus interjectis educti sunt; jussitque Præfectus, impellente nefario illo Diacono, ut vasa omnia aurea & argentea Ecclesiæ traderent deferenda in thesaurum Califæ. Respondit Mennas nescire illum quo in statu res Ecclesiæ forent; vasa quæ antiquitùs multa habuerat, ab hæreticis aut aliis hostibus ita direpta, ut Alexandriæ ad offerendum sacrificium vitrei tantùm & lignei calices superessent: tum de libro interrogavit, qui scientiam Chrysopœæ contineret, qualem Patriarcha habere se negavit. Ipse & Episcopi coacti sunt ad navale proficisci, ubi per annum integrum manibus suis laborabant ad navium constructionem, solis ardorem & alia incommoda sustinentes. Postea in carcerem reducti sunt: ex quo paucis diebus elapsis liberati sunt, cùm Diaconus ille scelestus impudenter adversus Præfectum insurrexisset, minitatusque esset delaturum se eum apud Califam. Is verò eum in carcerem conjici jussit, ubi triennio detentus est; Mennas cum Episcopis suis Alexandriam reversus est.

Apostatæ pœnitentia negata.

Elapso triennio Præfectus Ægypti cùm successorem accepisset, is quæstione de vinctis habita, Petrum in vinculis repertum misit ad Califam questurum de injuria sibi à prædecessore illata. Ibi, inquit Autor, eadem arte diabolica figuram sub qua Principi placuerat recepit: benigneque exceptus ut malitiam omnem compleret, fidem abnegavit. Unde honoribus & muneribus cumulatus est; mutatoque nomine, Abulhari appellatus est: & acceptis literis regiis, cum amplissima autoritate Ægyptum petiit, ulturus se de Patriarcha & Christianis: sed antequam advenisset, allatum est de morte Califæ; atque ita omnia consilia ejus perniciosa evanuerunt. Igitur coactus in patriam se recipere, ibi ab omnibus exagitabatur, tanquam apostata & Judas alter. Adivit quosdam Episcopos, interpellavitque illos ut orarent pro eo: sed nihil ab ipsis aliud audivit, nisi quæ de Juda Christus discipulis suis di-

xerat, non periturum nisi filium perditionis. Ipse paulò postquam mortuus est Mennas, horrenda morte consumtus est.

Obiit Mennas cùm sedisset annos 9. ultimâ mensis Tybi. Cùm verò, ut ex Makrizio suprà notavimus, vulgò assignent mortem Chailis anno Hegiræ 146°, J. C. 763°. secundùm eam supputationem obitus Mennæ incidet in annum Heg. 155um, qui cùm inceperit à 12a Decembris anni 771i J. C. ultima autem Tybi sit 25a Januarii, incurrit in an. 772um. Verùm Makrizius non novem, sed septem annos Pontificatûs numerat: atque ita, si sedere cœpit anno 146° statim post Chailis obitum, vivere desiit anno Hegiræ 153°, J. C. 770°. Verùm si, ut suprà monuimus, obiit Chail anno 766°, Heg. 149°: si septem annos numeres, habebis J. C. 773um, Heg. 157um aut 158um, ob mensis Tybi ab Arabico mense differentiam: nam ultimus ejus mensis dies incidebat in 25am Januarii; annus verò Arabicus cùm inciperet à 20a Novembris, excurrebat in sequentem. Atque hæc est verior Chronologia, cujus certum characterem habemus in Epocha mortis Almansoris, quæ secundùm Autorem hujus vitæ proxima fuit morti Patriarchæ. At obiit Almansor anno Heg. 158°, J. C. 774°, sed mensis Dulhage 9°, qui cùm anni Arabici sit ultimus, hic verò à 10° Novembris initium habuerit, ita ut in eum diem incideret 1us Muharram: ideo mors Almansoris pertinet ad annum sequentem, J. C. 775um; & ad eumdem referendus erit obitus Mennæ Patriarchæ, si novem annos Pontificatûs ejus numeremus, ut Autor noster, Elmacinus, Abulbircat & alii numerant. Hæc observare necesse fuit ob turbatissimam omnium historicorum supputationem. Abulbircat assignat mortem Mennæ an. Martyrum 478° ex perpetuo errore, nam is annus est J. C. 765us: neque quocumque modo accipiantur anni hujus Epochæ, numerus rectus efficietur: in quo sæpè hallucinatos esse Autores hujus historiæ multis locis ostendimus: unde existimandum esset peccatum in nota numerali.

Mors Mennæ.

An Kircherus hoc vitium odoratus fuerit, affirmare non possumus, sed verisimile est non aliam eum habuisse causam eo loco post Chailis mortem ita scribendi. *Hic Cosmas Patriarcha idiota ponitur, vacat sedes annis quindecim:* in qua lineola triplex peccatum admisit. Nam sedem vacasse à nemine proditum est, sed omnes Autores consentiunt Mennam statim electum: 2° Cosmas, ut diximus, Orthodoxorum Patriarcha fuit, non Jacobitarum: neque mortuo Chaile ordinatus est, sed antequam Chail

P. 415. Supplem. Prodromi.

à Jacobitis eligeretur. 3° tandem, cùm vacationem sedis annorum quindecim constituat; & Chailis mortem assignet an. J. C. 763°, Mennæ an. 772°, cui novem annos tribuit, manifestum est nullum inter utriusque tempora intervallum fuisse.

Patriarcha Melchitarum. T. 2. p. 399.

Eodem quo apud Jacobitas tempore Mennas Patriarchatum obtinuit, imò antequam ordinaretur, 4° scilicet Califæ Almansoris anno, Eutychius ait ordinatum fuisse Patriarcham Melchitarum nomine Balatianum: quod nomen cùm neque Græcum esse, neque Ægyptiacum statim quisque intelligat, aliud quoddam eidem proximum quærendum est. Sed neque in Synodo Nicæna secunda, neque in antiquis Autoribus mentio ejus occurrit. Tamen in Epitome Historiarum Græco barbara Mathæi Cigalæ Venetiis edita an. 1637. invenitur nomen istius Patriarchæ, nempe *Politianus*, sumtum ex antiquis Catalogis. Eum verò Eutychius Medicum fuisse scribit, & quadraginta sex annis sedisse. Quartus annus Almansoris est Hegiræ 140us, J. C. 757us.

P. 509.

De pœnitentia Apostatæ negata.

Observandum porro est, antequam ad sequentem vitam transeatur, severissimæ erga Diaconum Petrum qui fidem Christianam abnegaverat, disciplinæ exemplum, qui cùm Episcopos adiisset, quamvis sincerè pœnitentiam petere videretur, dum ait Autor *cor ejus fuisse rectum*, verisimile omnino videtur eam ipsi denegatam. Rarissimè tamen id factum, docet nos tota hujus historiæ series, quamvis communis expiandæ Apostasiæ regula ea esset, ut ubi quis Muhamedanam impietatem professus fuerat, eodem in loco eam publicè detestaretur, quamvis ut ex aliquot Canonibus constat, ad eam observandam nemo cogeretur. Illius disciplinæ exempla occurrunt non pauca, & sanctiones de ea canonicæ. Eam autem penitus denegatam à Jacobitis, Nestorianis, Melchitis aliisve Orientalibus Christianis, huc usque à nobis non est observatum.

Commemoratio Mennæ Patriarchæ occurrit in Kalendario Coptico non ultimâ mensis Tybi, verùm Koïac præcedentis: errore forsan librariorum, qui quod initio columnæ quæ 30^{æ} Tybi respondet scribi debebat, in finem sequentis transtulerunt.

De Almansore.

Superest ut de Almansore dicatur: fuit is secundus Califa ex Abbassidarum familia. Regnare incepit fratre Safaho extincto an. Heg. 137°, J. C. 754°. Regnum multis victoriis confirmavit: rebellesque oppressit, sed magna cæde: nam à solo Abumuslimo, quo præcipuo adjutore Abbassidæ rerum potiti sunt, sexcenta millia

lia

lia hominum in præliis occisa esse, aut alibi, docent Historici. Eumdem res novas molientem, & ex privatis inimicitiis suspectum, dolo attractum Almansor necavit. Bagdadum condidit an. J. C. 762°, Sedem Califarum & Imperii caput futuram. Etsi verò Haliadarum familiæ Abbassidæ faverent, multos tamen eorum occidit: vir crudelis, avarus, doctis tamen favens, præsertim Medicis. In gratiam Georgii filii Boctiechua Jondisaburensis Nestoriani, multa huic sectæ privilegia concessit, cujus supremus Antistes, vulgò Catholicus, Bagdadi, eversâ Modainâ, sedem fixit: Videndi ex Autoribus editis Eutychius, Elmacinus qui multa de eo refert, Abulfaragius: & inediti absque numero tam Arabes quàm Persæ.

Eutych. t. 2. p. 397. Elmacin. p. 100. & seq. Hist. Dynast. p. 139.

Sub hoc Patriarcha Coptitas iterum tumultuatos fuisse adversùs Ægypti Præfectum an. 150° scribit Makrizius: contra eos missum Yezidum Hatemi filium, cujus copiarum magna pars cæsa, reliqui in fugam versi. Hinc aucta persecutio; dirutæque Ecclesiæ multæ, inter quas nova Misræ Mariæ Virginis, prope eam S. Chenudæ.

JOANNES PATRIARCHA XLVIII.

JOANNES Pat. XLVIII.

POST Mennæ mortem convenerunt Episcopi, & Alexandriæ consilium habuerunt ad eligendum ejus successorem. Multorum nomina delata sunt, neque ullus eorum placuit. Tandem cùm in ista sententiarum diversitate dies aliquot lapsi fuissent, visum est candidatorum nomina schedulis inscribi, quæ super altare positæ sunt. Deinde, celebratis precibus publicis, adductus est infans innocens; constitutumque, ut cujus nomen educeretur, is ordinaretur Patriarcha. Cùm jam nomina scripta fuissent, senior quidam Sacerdos Alexandrinus Episcopos interrogavit an meminissent Joannis Oeconomi Ecclesiæ S. Mennæ sacerdotis, qui vitam monasticam ad S. Macarium olim professus fuerat, quique Chailis olim discipulus à Menna ad eam dignitatem provectus erat. Itaque nomen ejus schedæ inscriptum est, quam infans primam eduxit: semelque & iterum repetita sortitione, eamdem traxit stupentibus omnibus, eumque dignum Patriarchatu contestantibus. Atque hoc primum exemplum est sortis illius, quam vocant *Heikeliet*; hoc est, ad sanctuarium seu altare factæ, quæ non modò in Ægypto usurpata est, sed etiam apud Nestorianos,

Ann. J. C. DCCLXXV. Heg. 158.

Electio Patriarchæ per sortem.

quamvis seriùs: nam primùm adhibita legitur ad electionem Joannis filii Isæ, 54ⁱ Catholici an. Heg. 286°, J. C. 899° ordinati. Verùm alia ejusdem sortis forma deinde instituta fuit: nempe ut cum aliis schedulis, una Jesu Christi Domini nomine inscriberetur: si illa prior exiret, omnes rejiciebantur, & aliorum nomina scribebantur: neque ter, sed semel sortitio fiebat. Hanc formam alibi fusiùs explicabimus, non modò ex hac historia, sed etiam ex Ebnassalo qui illius meminit in Collectione sua, agens de electione Patriarchæ Alexandrini. Electus igitur hunc in modum Joannes Bana seu Panopoli in Busiritide oriundus, ordinatus est mense Mechir, ut habetur in Canone Abulbircat, sed die non indicato.

Epistola synodica ad Antiochenos.

Statim post ordinationem scripsit synodicam Epistolam ad Georgium Antiochenum Patriarcham Jacobitarum, significans electionem suam, & communionem fidei. Verùm Georgius accusatus apud Califam à quodam Episcopo suo qui ejus sedem invaserat, in carcere detentus scribere synodicam non potuerat. Mortuo invasore restitutus fuit, tuncque advenientes Joannis Legatos cum gaudio & honore excepit: literas congregato Episcoporum & Metropolitanorum magno numero legit, & ad eas respondit.

Ecclesiæ instauratæ.

Cùm Christiani pacem haberent, prima Joannis cura fuit ut Ecclesias instauraret, easque quantùm fieri poterat exornaret, consentientibus Præfectis, Christianisque ad opus concurrentibus. Omnis ædificationis, ornatûsque Ecclesiarum laborem commisit Marco Diacono, cujus laudes ob vocis suavitatem, legendique Evangelium & Mystagogiam, hoc est Catecheses mystagogicas, pluribus verbis Autor commendat.

Erat Sultano Medicus, Jusabus nomine, Hæreticus, hoc est Melchita, seu Orthodoxus; qui cùm ob artis peritiam in magna dignitate foret, Joannem accusavit, quòd ædificiis suis loca ad principes pertinentia occupasset: unde magnâ pecuniâ mulctatus est, nec tamen opus intermisit; adeo ut post quinquennium absolverit ædificationem Ecclesiæ magnæ Alexandriæ, quam sub nomine Michaelis Archangeli dedicavit; quæ, cùm historia scriberetur, mutato nomine appellabatur *Ecclesia pœnitentiæ*.

Cùm dira fames Ægyptum invasisset, ipse apertis Ecclesiæ horreis, pauperibus quotidie manè & vesperè cibos distribui jussit; hortatusque divites ad eleemosynas, publicam calamitatem levavit.

Res Antiochenæ.

Obiit interea Georgius Antiochenus, cui successit Cyriacus. Is statim synodicas ad Joannem literas scripsit, ut communio fidei

jam à tempore Severi inter utramque Sedem instituta conservaretur: nomina quoque Patriarcharum Alexandrinorum antea defunctorum ex Diptychis ad altare commemorata sunt: quod vicissim erga Patriarchas Antiochenos Jacobitas in tota Ægypto factum est. Delatæ sunt literæ synodicæ ad Joannem per Anastasium Metropolitam Damasci, comitantibus Episcopis duobus; qui cum gaudio suscepti, mirati sunt disciplinam & ornatum Ecclesiæ Alexandrinæ, & accepto responso in patriam redierunt. Illæ literæ, sive, ut vulgò vocant, *Synodicæ*, referuntur ab Autore Tractatûs *Fidei Patrum*, & in ipsis præter fidem de Trinitate exponitur Jacobitarum de Unione naturarum sententia, & in Leonem Pontificem maledicta congeruntur.

Mortuo Georgio Episcopo Misræ, cives postulaverunt ordinari sibi Marcum Diaconum: cùm Joannes annuisset, eum primò sacerdotem ordinavit; recusantemque ferreis vinculis constrictum custodiri jussit. Is cùm vehementer orasset ut se episcopali onere liberaret, solutis miraculo vinculis fugit. Consuluit de eo Monachum quemdam senem Georgium, qui in Paraloo habitabat: *Barles* vocant Arabes. Joannem Patriarcham, Monachus, qui donum prophetiæ habebat, monuit ne adversùs Marcum irasceretur; fugisse, Deo ita inspirante, quia futurum erat ut ipsi in Patriarchali dignitate succederet. Marcus postea ad eum rediens, veniamque deprecatus, ab ejus postea latere non recessit.

Erat tunc temporis Præfectus Christianis infensus, qui Ecclesias in Ægypto diruere aggressus est: sed repentina morte sublatus, consilium perficere non potuit: successoremque accepit meliùs affectum erga Christianos; non ita tamen ut Ecclesias restaurari aut novas ædificari sineret, contentus ab earum eversione, quam prædecessor ejus designaverat, abstinere.

Cùm Misræ eo tempore aliquandiu commoratus Joannes fuisset, causis Christianorum judicandis intentus, ut ferebat consuetudo quæ passim ubique perseverat, ut non apud sæculares judices, eosque à fide alienos, sed apud Episcopos judicentur, Alexandriam redire cogitavit. Die autem 25ª mensis Choiac, cùm festum B. Mariæ Virginis celebraretur, quod quale sit non intelligimus; eo enim die nullum Deiparæ festum assignatur in Kalendario Ægyptiaco: rogaverunt eum cives, ut antequam proficisceretur, Liturgiam apud eos celebraret, ipsisque communionem distribueret. Præsagiebant enim quodammodo tunc eos ultimùm

accepturos ab ejus manu sancta mysteria, antequam ex hac vita discederet. Cùm venisset in Ecclesiam, eamque absque tecto vidisset, eò quòd Præfecto prohibente eam reparare non licebat, ingemuit, oravitque pro Ecclesia, ne Deus eam à tyrannis Diocletiano Julianoque similibus opprimi pateretur, utque talem Principem concederet, qui ædificia ad templorum reparationem ornatumque necessaria continuari permitteret. Interea vocem cœlitùs ad eum factam esse tradunt, quâ, sicut olim Davidi, significabatur successorem ejus hæc omnia perfecturum. Postea Liturgiâ celebratâ, communionem populo dedit, ipsisque pacem apprecatus est: Episcopi ad sedes suas redierunt, duobus exceptis, Georgio Misræ, & Chaile Memphis. Illi cùm Patriarcham maximè sollicitum de ædificiis Ecclesiarum viderent, consolabantur eum quantùm fieri poterat: ille tamen solatium nullum accipiebat, memor vocis ad eum delapsæ, quæ de proxima morte illum admonebat. Quo loco mirare, Lector, sanctorum ejus generis hæreticorum inanitatem, & eorum qui talibus fabulis plebes ignaras in errore detinent, ineptam mendacitatem. Quis enim unquam sanctus cœlestes revelationes de proximo fine vitæ accepit cum mœstitia & anxietate, qualem in suo Patriarcha repræsentant? Joannes interea febre correptus Alexandriam statim cogitavit, navique impositus est, comitantibus Episcopis illis duobus & aliis Ecclesiasticis, cùm jam novus Præfectus in provinciam venisset, Christianis favens, Labithalla vocatus: eum tamen fuisse potiùs tributorum coactorem existimare licet, cùm ab Autoribus Muhamedanis inter Præfectos non numeretur. Joannes igitur ad Episcopos & alios verba faciens, revocavit ipsis in memoriam quæ & quanta pro fide passus fuisset: ex tot laborum tædio oravisse se Deum, ut se ex hoc mundo educeret; ita tamen ut anni spatium ipsi concederet, donec actâ peccatorum suorum pœnitentiâ paratior ad mortem esset, tum ut videret Ægyptum sub potestate Præfecti justi, & Christianos diligentis. Jam verò cùm intellexisset advenisse talem hominem, agnoscere quòd tempus sui discessùs instaret, eosque non ampliùs eum in corpore visuros: hortari igitur ut statim post ejus obitum Patriarcham constituerent, quem Dominus elegisset. Post multas lacrymas, rogaverunt ut quandoquidem revelante Deo nosset, quis in illius locum deberet eligi, de eo ipsis significaret. Dixit eum esse quem Episcopum facere voluerat, & quem contra suum desiderium Deus reservaverat ad tale ministerium, Marcum.

ſacerdotem, diſcipulum ſuum. Cùm Alexandriam perveniſſet, morbo ingraveſcente, accedentibus etiam variolis 16ª menſis Tybi, qua natus erat, & qua Patriarcha ordinatus, diem ſuum obiit, cùm ſediſſet annos 25, anno Martyrum 515°: celebratis ſuper corpus ejus Orationibus & Liturgia, ſepultus eſt cum aliis Patriarchis.

De eo Elmacinus paucis verbis eadem retulit, niſi quòd annos tantùm 13 ei attribuit, Canon Abulbircat 23, menſes decem; 23 Makrizius. Elmacinum ſequitur Chronicon apud Kircherum. Ordinatus dicitur Elmacino, anno primo Califatus Muſæ filii El Hadi Abbaſſidarum quarti, qui incidit in an. Heg. 169ᵘᵐ, J. C. 785ᵘᵐ. Annus Martyrum 515ᵘˢ eſt J. C. 799ᵘˢ: demptis 13, ſuperſunt 786. Sed cùm oſtenderimus Mennæ mortem, quam Joannis electio proximè ſecuta eſt, incidiſſe in an. 774ᵘᵐ, aut ſequentem 775ᵘᵐ; numeratis annis 24, efficitur annus J. C. 798ᵘˢ: qui nonniſi ex parte reſpondet anno Martyrum 515°, anno Ægyptiaco, ut omnes ſciunt, incipiente à Toth, qui incidit in Septembrem: ea ratione, 16ª Tybi incidebat in Januarium anni ſequentis. Unde apparet certiorem omnino hanc eſſe Epocham in annis Martyrum, quàm omnes quæ occurrunt in Canone Abulbircat. Elm. p. 111.

Quod adjicitur ab Elmacino de annonæ caritate, quæ tunc Ægyptum oppreſſit, & in qua pauperes à Joanne magnis largitionibus ſublevati ſunt, teſtatur ille ex Hiſtoria Patriarchali tranſtuliſſe. At nihil ſimile legitur in noſtra hiſtoria, ut neque de nova Coptitarum rebellione in Balaib, adversùs quos miſſus ſit Muſa filius Halis Ægypti Præfecti: quod quidem factum aſſerit ſub Joanne, anno Heg. 156°: ſed cùm oſtenſum ſit non ordinatum eum antè ann. 158ᵘᵐ, hæc hiſtoria ad Patriarchatum Mennæ referenda eſt. Elmac. p. 111.

Sedit Joannes ſub Califis Muhamede Mehedi tertio Abbaſſidarum, & filio Abujafari Almanſoris, qui obiit anno Hegiræ 169°, J. C. 785°. Muſa cognomine Hadi, filio Mehedi, qui obiit an. 170°, J. C. 786°; & Harone Reſchido, de quo mox dicetur. Cavendum autem, quod mediocriter docti ſatis intelligent, ne Kirchero fides habeatur, qui hunc Joannem eum eſſe credidit, qui à ſumma erga pauperes charitate Eleemoſynarius appellatur, quique ſub Heraclio vixit, atque adeo annis fere ducentis ante iſtum Jacobitam: cum quo temerè confundi non debebat, ut Bollandianis rectè obſervatum fuit.

Sub iſto Patriarcha contigiſſe exiſtimaverunt doctiſſimi Bollan-

dianæ Collectionis Continuatores restitutionem plurimarum Ecclesiarum Melchitis factam jussu Reschidi Califæ, cùm antea Jacobitæ illas occupassent. Vixit sanè Joannes sub illo Califa: sed cùm eamdem historiam alii Autores referant ad tempora Marci XLIX. eam in illius vita accuratiùs expendemus.

MARCUS Patr. XLIX.

MARCUS PATRIARCHA XLIX.

A successore designatus.

CUm peractis exequiis Episcopi & Sacerdotes simulque Laicorum primarii convenissent Alexandriam, habita inter se de successore eligendo deliberatione, Episcopi dixerunt audivisse se quòd Joannes ante obitum prædixisset fore, ut sibi Marcus in Patriarchatu succederet: statim omnes una voce clamaverunt eum esse dignum tali ministerio, & in ejus electionem consenserunt. Scripserunt quoque ad Chailem Episcopum Misræ, nempe ad ejus tanquam Episcopi Ecclesiæ cui Marcus serviebat, consensum obtinendum, vel ut ipsi ex legitima causa absenti, consensus omnium ordinum significaretur. Verùm Marcus audita electione sua, in desertum S. Macarii fugit, & ad Monasteria se recepit. Episcopi & primores Jacobitarum, Misram profecti, Præfectum adierunt; & Chaile Episcopo verba faciente, rogaverunt dari sibi licentiam ordinandi Marcum, quem communibus suffragiis omnes expetebant, ut esset Antistes supremus in sua Ecclesia. Annuit Præfectus, nomenque Marci ut novi Patriarchæ Divani tabulis inscriptum est. Verùm cùm quæsitus esset, non comparuit: Episcopus Misræ, qui omnium Monasteriorum præfecturam habebat, Episcopos misit cum sacerdotibus, ut eum, si necesse foret, catenis vinctum Alexandriam deducerent. Illuc pervenit secunda die Mechiri, quæ erat Dominica, eâdemque ordinatus est.

Marci sermo & professio fidei.

Cùm in Sede Patriarchali collocatus fuisset, omnesque iteratis acclamationibus τὸ ἄξιος eum salutassent, legit ad populum ἐξήγησιν, quæ, inquit Autor, apud Orthodoxos, id est Jacobitas, λόγος appellatur. In eo sermone prolatis ex scriptura testimoniis, autoritatibusque sanctorum Patrum, invectus est in Synodi Calchedonensis doctrinam, erroresque ejus defensorum ita repræsentavit, quasi purum hominem adorarent: eos quoque refutavit, qui negarent veritatem Dominicæ Passionis, sed eam phantasticam tantummodo fuisse, cum antiquis Eutychianistis existimarent. Erat scilicet in usu illarum Ecclesiarum, ut novi Antistites rationem fidei suæ coram

Episcopis, Sacerdotibus & plebe, simulque doctrinæ specimen darent: atque hæ erant *Exegeses*, quarum aliquæ adhuc extant in Codicibus manuscriptis, quamvis præsertim apud Nestorianos, qui Bagdadi sedem primi fixerunt, major postea eloquentiæ Arabicæ, quàm doctrinæ ratio habita fuerit. Postea novus Patriarcha Liturgiam celebravit, omnibusque *sacramenta sancta, corpus & sanguinem scilicet pretiosum*, communicavit. Profectus statim erat vix elapsâ ordinationis suæ septimanâ, ad Monasterium Elzejage, sive Nitriæ, ibi quadragesimale jejunium in solitudine precibusque transacturus, cùm accepit literas à Chaile Episcopo Misræ, quibus consulebat, ut Paschatis festo celebrato, eam in urbem veniret Præfectum salutaturus; daturusque operam, ut licentia, si fieri posset, obtineretur ad Ecclesias restaurandas, quæ vetustate collabebantur. Obviam venienti processerunt Episcopus & Christiani Jacobitæ, cum crucibus, Evangeliis & thuribulis: postridie à Præfecto admissus est, & amanter susceptus. Altero die petiit ut Ecclesias quas decessores illius dirui jusserant, & Monasteria instaurare liceret, ut in illis pro incolumitate & felicitate Principum preces fieri possent. Id concessit Præfectus: atque ita magnâ Jacobitarum lætitiâ Ecclesiæ, quæ tam in veteri quàm in nova Cahira dirutæ fuerant, restitutæ sunt.

Cùm prima hæc initia feliciter successissent, scripsit synodicam ad Cyriacum Patriarcham Antiochenum de communione utriusque Sedis in fide Jacobitica, disputans in his literis adversus hæreses & adversus Synodum Calchedonensem, tanquam causam turbarum totius orbis, Nestoriumque & ejus sectatores. Delatæ sunt per Episcopos duos, Marcum Episcopum Taneos, & alterum Marcum Episcopum Farma, doctos & sermonis Græci peritos, comitante Georgio Diacono, Oeconomo Ecclesiæ Alexandrinæ. Antiochiæ magno cum honore recepti sunt; acceperuntque mutuas ad Marcum literas, quæ in Ecclesiis Ægypti ad significandam communionem utriusque sedis, publicè lectæ sunt. Literæ ad Antiochenos.

Erant in Ægypto sectarii quidam, Barsanufiani dicti, qui alio nomine *Acephali* vocabantur: quæ hæresis longo tempore perstiterat à diebus Petri Patriarchæ, Moggi scilicet, qui post Timotheum sedit. Erat inter illos quidam Episcopus, cujus filius, Abraham nomine, primus in ea secta censebatur. Cùm omnes ad Marcum accessissent, hæresin abjurantes, dixit ad illos qui episcopatum gerebant, non posse illos talem dignitatem obtinere, Barsanufiani hæretici.

quam habebant in hæresi, neque id permittere Canonum disciplinam, aut illos veros Episcopos censeri posse: *Nam*, inquiebat, *non descendit super vos Spiritus sanctus, qui super Episcopos descendit, cùm recitatur super eos Oratio Canonica, quam pro eis constituerunt Apostoli.* Illi duo cum summa modestia & humilitate testati sunt, se nullum dignitatis gradum petere, sed tantùm ut pro illis orationes faceret, quò præteritorum peccatorum schismatisque veniam consequerentur: postulantesque chartam & atramentum, anathemati seipsos subjecerunt, si episcopatum, sacerdotiumve ambirent ullatenus. Cùm verò Marcus fidem illorum vidisset, certusque sibi videretur de sincera eorum conversione, utrumque, Georgium scilicet, filiumque ejus Abrahamum, Episcopos ordinavit, pronuntiatâ super eos Oratione Canonicâ, & vestimentis episcopalibus eos induit. Factum id in Ecclesia D. Mennæ in Maræotide, cùm in ea festus dies ejus celebraretur 25ª mensis Athyr, populique magna multitudo ad festivitatem convenisset. Postea cùm Alexandriam rediret, eos secum duxit, & apud se habuit, donec mortuis Episcopis duobus, Bekira Episcopo Talbæ, & Menna Atribæ, huic urbi Abrahamum, alteri patrem ejus Georgium Episcopos dedit. Porro cùm Barsanufiani qui in Ægypto supererant, nullos jam haberent Antistites, miserunt literas ad Marcum, rogantes ut ad eos veniret. Ille ad eos profectus consecravit illorum Ecclesias & Monasteria, deditque eis Liturgias juxta legem Ecclesiasticam; celebratisque mysteriis, distribuit eis communionem corporis & sanguinis Christi: nempe postquam eos ad unitatem fidei Jacobiticæ reduxisset. De Barsanufianis superiùs dictum est: alios verò fuisse ab *Acephalis* propriè dictis, ostensum est alibi. Paucis diebus elapsis, omnes qui in ea olim secta pertinacissimi fuerant, se reliquorum societati ad unionem amplectendam conjunxerunt; cùmque Ecclesia quam ipsis consecraverat, eos capere non posset, eam novis ædificiis adjunctis ampliorem reddidit, atque ipsa est, quæ etiam nunc, inquit Autor, vocatur *Ecclesia Patriarchæ*. De iisdem Barsanufianis, seu filiis Chenufæ, nam utroque modo appellantur ab Autore nostro, descripsit Elmacinus quæ apud eum leguntur. *Elmac. p. 122.*

Hæresis de sacramento Eucharistiæ. Interea Orientales Provinciæ Antiocheni Patriarchatûs Jacobitici, turbatæ sunt novâ & inauditâ quadam hæresi, cujus artifex fuit Abrahamus quidam Metropolita Cyriaco subjectus: cujus verò sedis Autor non commemorat. *Eò verò usque impietas ejus pro-*

gressa

gressa est, inquit idem, *ut de Christi sacramentis multa absurda perversaque protulerit, quæ commemorasse noluissemus, nisi necessitas postulasset.* Quæ verò fuerit illius sententia, non explicandum arbitratus est. Cùm de illius Metropolitæ blasphemia adversus sacramentum Eucharistiæ fama ad Marcum pervenisset; illam ad se Alexandrinamque Ecclesiam pertinere arbitratus, ob fidei cum Antiochena communionem, scripsit ad Cyriacum, adversùs novam hanc hæresin, alienam prorsus ab antiqua utriusque Ecclesiæ doctrina; hortatusque est ut pro officii sui debito, morbo teterrimo convenientem medicinam adhiberet. Ille omnem operam adhibuit ut hæreticum illum ad sanam sententiam reduceret: verùm frustrà, nam in errore suo obstinatus, multos etiam Episcopos Patriarchatûs Antiocheni ad se pertraxit, adeo ut ab Ecclesia Jacobitica secessionem fecerint: eosque Orientales *Abrahamæos* vocaverunt. De eadem secta Elmacinus pauciora adhuc scripsit, ab Abrahamo quodam scilicet originem habuisse, & sub Cyriaco Antiocheno exortam; de ejus verò dogmatibus, præsertim circa Eucharistiæ communem doctrinam, nihil prodidit. Cùm verò qui res Jacobitarum Antiochenorum scripserit, nullus huc usque nobis autor occurrerit, plura de ejusdem hæreseos capitibus dicere non possumus; nisi quòd primùm hoc loco, nec alibi quidquam legitur simile, adeo ut adversùs Eucharistiam, nemo aliter quàm Ecclesia Catholica inter Jacobitas & Nestorianos sensisse videatur. Verba Autoris nostri, quibus peregrinam & inauditam apud omnes Ecclesias Abrahami blasphemiam condemnat, satis arguunt, eam ipsi & suis Ægyptiis horrori fuisse; tantùm abest ut commendaretur, cùm solâ novitate displiceret, & aliena ab Ecclesiæ perpetua traditione judicaretur. Quærant Protestantes quænam fuerit Abrahami Novatoris illius doctrina, si possunt, quam ne referre quidem voluit Autor historiæ, nisi sub indefinito nomine blasphemiæ contra sacram Eucharistiam. At cùm ipse multis locis, & omnes cujuscumque sectæ Christiani, quorum ad nos scripta pervenerunt, testentur credere se & ubique credi Eucharistiam esse ipsum corpus & sanguinem Christi Domini, quidquid suspicari de hujus Abrahami hæresi possumus, eo refertur, ut intelligamus impugnatam ab eo fuisse eam doctrinam; quæ, ut Autores de sectis, Ebnel-Taïb Nestorianus, Natif filius Yemen Melchita, & qui utriusque testimonia referunt, Ebnassalus & Abulbircat Jacobitæ, testantur, recepta semper fuit apud omnes Christianos. Qui igitur eamdem insectantur, qui ver-

Elmac. p. 123.

Tract. de Paschate & Euch. MS. Art. De Officiis Christ. &c.

ba Christi Domini ad tropos figurasque referenda, non literali sensu intelligenda existimant, qui sensûs & rationis humanæ angustis finibus Dei omnipotentiam circumscribunt, illi magis cum Abrahamo illo, quàm cum Ecclesia Jacobitica Antiochena & Alexandrina sentire judicandi sunt: & idcirco non minùs quàm ille, hæreseos condemnandi.

Ecclesia Salvatoris ædificata & consecrata.

Cùm instarent Alexandrini, ut Ecclesiam Salvatoris, quæ in media urbe erat, novis ædificiis ampliorem ornatioremque redderet, confisi eâ qua pollebat apud Solimanum Præfectum gratiâ, Marcus etsi sæpè eos monuisset timendum ne inimicorum invidia persecutionibus locum daret; victus tamen eorum precibus, operarios admovit: Ecclesiamque, postquam opus consummatum fuisset, solenniter consecravit 17ª mensis Toth, Festo sanctæ Crucis, convocatis ad eam solennitatem vicinis Episcopis, eademque die amplissimas eleemosynas in pauperes effudit.

Subjungit Autor, ut in præcedentibus historiis factum erat, miracula à Marco facta erga Oeconomum qui coram imagine Deiparæ perjurio calumniam confirmare ausus fuerat; quòd dæmoniacum quemdam signo crucis liberaverit, infirmos olei unctione sanaverit, locustarum agmina oratione depulerit: neque mirum esse debere ait, quòd ad patientiæ suæ probationem, longa gravissimaque infirmitate, tanquam alter Lazarus, vexatus fuerit. Verùm major omnino calamitas & tristitia ejus fuit ob turbatam Ecclesiarum pacem, quæ toto Patriarchatûs ejus decursu summa fuerat.

Califarum successio.

Almansor successorem habuerat Mehedim filium, qui anno Hegiræ 169°, J. C. 785°, mortuus est: tertius Califa ex Abbassidarum familia. Huic successit Hadi filius, qui annum unum & menses tres regnavit, cùm pater annos 10 regnasset: mortuus est anno 170°.

Haron seu Aaron.

Successit ei Haron, cognomine Reschid, ejus frater, vir magnus, Historicis nostris Græcisque notissimus, apud quos Aaron Rex Persiæ vulgò appellatur: inter quem & Carolum Magnum Francorum Regem & Imperatorem Legationes mutuæ intercesserunt. Vir fuit, quantùm in Muhamedana Religione fieri potuit, magnus, literis & literatis favens, autoritatis suæ tenax, crudelis in suos, qui Imperium Saracenorum gloriosè & fortiter tenuit. Sub eo autem floruere celebres Medici, Bochtiechua Georgii filius; Joannes filius Masowiah, vulgò Mesue; Salehus Indus:

quorum duo priores Christiani fuerunt ex Nestorianorum secta, & eorum gratiâ apud Principes res Nestorianorum Bagdadi maximum incrementum acceperunt, adeo ut in reliquos Christianos primatum quemdam dignitatis haberent. Cùm verò ob Haronis autoritatem magna etiam in remotis provinciis tranquillitas sub ejus imperio fuisset, statim ab ejus morte bellis civilibus omnia turbata sunt. Obiit autem anno Hegiræ 193°, J. C. 808°, non Bagdadi, ut scribit Autor hujus historiæ, sed Tarsi, dum expeditionem adversùs Græcos moliretur, cùm annos 23 cum aliquot mensibus imperasset. Porro cùm ei Abu-Abdalla El Amin ex prima uxore filius testamento designatus successisset, isque Almamonem fratrem, qui ex eadem lege succedere ei debebat, excludere designaret; adversùsque eum, ducem cum equitibus decem millibus misisset, eum ad rebellionem compulit; & ab eo tandem victus, imperio & vitâ spoliatus est, anno Hegiræ 198°, cùm jam Almamon in Chorasana Imperator salutatus fuisset. *Elmac. p. 120.*

Almamonis Imperium.

Eo anno ille toto Imperio potitus est: verùm cùm tota belli vis in Chorasana & Syria, Mesopotamia vicinisque Provinciis exarsisset, Ægyptus in Præfectorum potestate relicta dum externo bello careret, intestinum experta est. Nam in diversis Provinciis rebelles, quos *Khowarege* vocant, Elmacinus *Karigeos*, neutri principum qui inter se de Imperio decertabant addicti, tributa ordinaria occupaverunt, nova imposuerunt; obsessisque itineribus, mercatores & alios qui ex Syria in Ægyptum veniebant, spoliaverunt, & in omnes impunè grassati sunt. In hunc modum Abdel-Azizus quidam ex Chetnouf oriundus, inde ad Farma, orientalem Misræ tractum, Pelusiumque & vicinam regionem occupavit: alius dictus Sevri, filius El Kakem, à Misra usque ad Assouan: alii Alexandrinam oram & adjacentia loca occupaverunt: atque interea non rarò factiones illæ inter se pugnabant, prædasque agebant. Eam calamitatem prædixisse dicitur Joannes quidam reclusus in Monasterio Nitriæ, finem accepturam, sublatis tyrannis, sed majori quadam calamitate, quod ita successit. Nam ex Romanorum insulis, hoc est ex Archipelago, vel etiam ex omni tam Græcorum quàm Latinorum ditione conflatus exercitus Alexandriam appulit, urbemque depopulatus est, tum multa captivorum millia in servitutem abduxit. Erant inter eos Andaluseni multi ex *Insula*, inquiunt, *quadam Romani Imperii*: Hispaniam Arabes Andalusiam vocant, ducto à Vandalis nomine; Insulam autem, quia

Græcorum expeditio Ægyptiaca.

Peninsula est: nam idem apud eos nomen significat Insulas & Peninsulas. Jam verò post integram Meruani cladem translatumque ad Abbassidas imperium annis octo circiter, nempe an. Heg. 139°, J. C. 756°, Muavias filius Hischam, filii Abdelmelic, filii Meruan, atque adeo ex stirpe Imperatoria filiorum Ommiæ, in Hispaniam fugiens, ab Arabibus qui eam obtinebant, Califa agnitus fuerat; atque ab eo Ommiadarum in ea Provincia familia continuata erat. Cùm igitur in Hispania res Christianorum afflictissimæ forent, non poterant tunc temporis copias in Ægyptum mittere, unde expeditionem illam ab Arabibus Hispanis susceptam verisimile omnino est.

Elmac. p. 101.

De Arabibus Andalusenis.

Eâ porrò occasione quædam de Andalusenis illis Arabibus observare erit operæ pretium, cùm non modò illorum historia turbatissima sit apud Hispanos Historicos veteres & recentiores, sed ipsis Arabibus prope sit incognita. Nam qui res Ægyptiacas scripsere, vix earum meminerunt quæ in Hispania gestæ sunt; multò minùs, qui generalem Califarum historiam, Africanæ quæ cum Hispanica conjunctissima erat, cùm duces & copiæ à quibus Hispania subacta est, ex Africa transierint. Fuerunt historici complures, atque inter alios unus qui eam, collectâ ex antiquioribus materiâ, multis voluminibus complexus fuerat: sed ab ultimis Principibus ex familia Elmeirin Autor occisus est, libri ejus cremati, & alii qui ad historiam pertinerent suppressi sunt. Inde factum ut qui de Africanis aut Hispanicis rebus agant, autores sint paucissimi & rarissimi. Testatur id Nuveirius, qui brevem illius historiæ Epitomen dedit, & ipsa librorum raritas idem abundè confirmat.

Cùm igitur, ex quo Hispania in Arabum potestatem venit, nempe post Ruderici regis cladem, quam anno J. C. 714° assignant historici, per varios duces, qui singulas urbes occupaverant, gubernata fuisset, illi nemini obnoxii erant, nisi Califæ remotissimo qui vix eos noverat: neque enim occurrunt exempla missorum in Hispaniam Præfectorum, ut in alias viciniores provincias mittebantur: verùm quantùm conjecturâ assequi licet, erant Andaluseni illi Arabes sub dispositione Præfectorum Ægypti aut Africæ, quorum amplissima autoritas erat. Nihil enim in Arabum monumentis occurrit, unde sciri certò possit, quæ illius provinciæ administrandæ forma esset. Turbato bellis Oriente per Abbassidarum rebellionem, occisoque tandem Meruano ultimo ex Ommiadarum stemmate Califâ, res Hispaniæ eodem quo priùs loco fuerunt,

donec Muavias ex eadem familia, fugâ elapsus, post annos octo in eam provinciam pervenit, & ab Arabibus Califa est salutatus, ut Elmacinus docet; ita enim vertenda sunt Autoris verba, non ut Erpenius vertit, ***cujus incolæ Imperatorem suum eum agnoverunt.*** Et sanè Autores alii bene multi testantur Muaviam illum, non imperium modò, sed Califatum, quo suprema potestas spiritualis & sæcularis continebatur, sibi arrogasse. Erat quippe ex Ommiadis, quæ familia quindecim jam Califas habuerat, atque adeo Pontificatum non minus quàm Imperium sibi vindicabat. Utrumque contra fas & jus sanguinis, quod Hali gener Muhamedis habebat, & filiis transmiserat, occupatum querebantur Haliadæ, quorum ingens erat toto Oriente numerus. Nam quicunque aliquem ex filiis aut nepotibus Hali, marem aut feminam cognatione attingebat; quod erat facile, cùm plerique illi ex pellicum aut justarum uxorum gregibus numerosam sobolem reliquissent; statim is se de familia domestica, seu ut dicunt Arabes, ***Ahal-beit*** esse gloriabatur. Itaque quoties aliquis defectionem adversùs Califas Ommiadas moliebatur, ut Abbassidæ fecerunt, vindicem se sanguinis Hali, Huceïni ejus filii & aliorum profitebatur, simulque publicato stemmate ad eorum se pertinere familiam jactabat: nempe ex vetusta lege & consuetudine ab antiquis ante Muhamedem ducta temporibus, inter Arabes, ultor legitimus patratæ cædis esse nemo poterat, qui mortuum cognatione non attingeret. Unde post Othmani quarti Califæ necem, cùm rebelles multi adversus Halim qui ad Califatum erat electus magno tribuum ducumque consensu, instigante Aischa impostoris vidua, quam sui ***matrem fidelium***, Haliadæ ***matrem canum*** appellabant, bellum movissent in ultionem cædis Othmani: quid, inquiebat Hali, ad vos pertinet, cùm Othman & vos ex diversis tribubus familiisque sitis. Eo colore quæsito, Ommiadas tanquam cædis Hali scelere pollutos, & Pontificatûs invasores Abbassidæ internecione deleverunt; ipsi ut ex ejus familia prognati supremam dignitatem sibi vindicaverunt. P. 101.

Muavias igitur qui in Hispaniam se recepit, à Muhamedanis Hispanis susceptus est, eò faciliùs, quòd ipsi pridem in Ommiadarum Califarum verba juraverant: atque ita ille non modò principatum, sed Califatum apud eos obtinuit, insignitus titulo *Emir el Moumenin*, seu *Principis fidelium*, qui Califarum erat proprius. Ita non modò Hispani illi Arabes rebellionis erga Abbassidas, qui

in Califarum jura involaverant, sed hæreseos etiam rei judicabantur ab istis, qui se Pontifices esse jactabant. Hos hæreticos multis solent nominibus Arabes designare, atque uno inter alia quod hîc occurrit, *Karegi* scilicet; & in plurali numero *Kowarege*, quo Autor Alexandrinæ historiæ hoc loco usus est, ut Andaluscnos illos significaret, qui in Ægypto tantas strages ediderunt. Ea vox & rebellem significat, & eum maximè qui absque jure successionis aliquid sibi vindicat. Duplici illo crimine adversus Abbassidas tenebantur Arabes Hispanienses; & quòd non ipsis, sed illorum hostibus obtemperarent; & quòd eos Pontifices agnoscerent. Non ad alios igitur quàm ad eos qui Muaviæ & ejus successoribus tanquam supremis dominis & antistitibus parebant, pertinere posse videntur quæ ex historia Alexandrina retulimus; præsertim cùm eo ipso tempore quo Abbassidæ Ommiadas extinxerunt, testetur Rodericus Toletanus cismarinos ab illis defecisse. *Et post Mahomet Abenallabeci*, inquit, hoc est Ebnel Abbas, *cismarini ab Africano Imperio discesserunt, & sedem regni Cordubæ statuerunt.* Sanè ex Hispanicis Autoribus, ut etiam ex Arabicis discimus Muaviam illum Ommiadam (*Amavaus* malè appellatur in versione Erpenii) Cordubæ regnasse, aliquot annis citiùs quàm scriptum est ab Elmacino. Alii enim historici anno Hegiræ 139°, J. C. 756°, Abdelrahmanis ejus filii initia assignant, quem non pauci primum ex Ommiadis qui in Hispania regnaverit, esse testantur. Regnum obtinuit annis triginta duobus & mensibus aliquot: obiitque anno Hegiræ 172°, J. C. 788°. Paulò ante mortem perfecit Meschitam Cordubensem, loco ubi Ecclesia quondam fuerat, impensâ centum millium denariorum aureorum, quæ postea infidelibus debellatis repurgata, in Cathedralem Ecclesiam conversa est. Atque hæc observare visum est necessarium, ut lux obscurissimæ historiæ fieret; nam expeditionis istius Ægyptiacæ Arabes, præter Historicum Alexandrinum, non meminerunt, neque vulgò rerum Hispanicarum Scriptores. Jam ad Patriarchalem Historiam revertendum est.

Rod. Tolet. Hist. Arabic. cap. 18.

Ebn. Cheena.

Elmac. p. 113.

El'de la restauracion de España. lib. 3. c. 9.

Marci erga captivos charitas.

In publica illa calamitate summa Marci caritas erga captivos fuit: cùm enim Andalusceni quoscumque ceperant, tanquam mancipia Alexandriæ venderent, Sacerdotes, Diaconos, Monachos, Virgines, Matresfamilias, omnes tandem, quoscumque poterat, redemit; adeo ut numerus eorum quos ita in libertatem restituit, sex millia excederet. Statim chartam libertatis eis scribebat, facie-

batque potestatem unicuique vel redeundi in patriam, vel apud se manendi: qui abire volebant, illis viaticum dabat; qui subsistebant, eos committebat instituendos magistris, qui Religionis capita præcipua eos docebant, ut etiam psalmos & doctrinam Ecclesiasticam.

Conjunxerant se factiones duæ potentissimæ rebellium, Locmiadæ scilicet & Gedanii, cum Andalusenis, & Alexandriæ Præfectum Amrum filium Maleki per insidias occiderant. Ortâ deinde inter eos contentione, inter ipsa urbis mœnia pugnatum est, Andalusenique superiores fuerunt. Alexandrini incautos eadem nocte in plateis, balneis & domibus adorti, promiscuam eorum cædem fecerunt; atque ita octingentos circiter viros jugulaverunt. Verùm Andaluseni in suorum vindictam tota urbe furentes, quoscumque obvios habuerunt, sive Muhamedanos, sive Christianos, aut Judæos, occiderunt. Cùmque ad Ecclesiam Salvatoris à Marco nuper ædificatam pervenissent, invenerunt projecta suorum quorumdam ab hostibus occisorum cadavera prope Ecclesiæ portam: eos enim cùm occidissent Muhamedani, illuc projecerant. Mox apparuit supra murum senex quidam vel, ut Autor existimat, Satan ipse senis specie, qui Andalusenis dixit se vidisse illius Ecclesiæ Præfectum multos ex eorum sociis occidentem, hortatusque est eos ad ignem injiciendum; quod statim fecerunt: atque ita Ecclesia cum vicinis domibus conflagravit, magno dolore Marci qui eam tanto labore ædificaverat & ornaverat. Mox dispersi per urbem, ingentem civium stragem fecerunt, & postquam omnem prædam, quantam poterant, sustulissent, ignem variis locis injecerunt. Marcus post lamentationem de vastatione urbis & incendio Ecclesiæ, & peractis media nocte consuetis precibus, egressus est cum duobus discipulis; & per annos quinque, tanquam exul, variis in locis delituit, confluentibus interea ad illum Episcopis, Sacerdotibus & Laicis, ut ab eo consolationem in tantis malis acciperent. Inter Primarios quidam Macarius filius Tiab, Biroüaita in Diœcesi Semnudæ, profectus ad Abdel-Azizum, quem ait fuisse Orientis Præfectum, impetravit ab eo plenæ securitatis libellum, ut Patriarcha ad sedem suam liberè redire & autoritatem suam exercere posset: ita reductus est in Vallem Habib. Errare videtur hoc loco Historicus ut in multis aliis; neque enim dicere possumus quis esset ille Orientis Præfectus, nisi fortè intelligendus sit qui Orientali Ægypto præerat ad tributa exigenda. Verùm hæc parum aut nihil ad Ecclesiæ res pertinent.

Cædes Alexandriæ.

Ecclesia Salvatoris incensa.

Dionysius Antiochenus.

Cùm verò tot malis conflictaretur, Ecclesiarum curam non deponebat, dolebatque de scissione Jacobiticæ Ecclesiæ Antiochenæ per Abrahami hæresim; quæ à Cyriaco, quamdiu in vivis fuit, compesci non potuerat. Cùm is obiisset, substitutus ei est Dionysius, qui Abrahamianos & eorum Antistitem benignè ad colloquium invitatos adduxit ad pœnitentiam errorisque sui confessionem: unde gratulatus est ipsi Marcus per literas, quibus etiam Alexandrinæ urbis miserias significavit: *Similes*, inquit, *vastitati Hierosolymis per Titum illatæ, & à Josepho filio Gorionis descriptæ*. Respondit Dionysius, scriptâ synodicâ de unitate fidei inter utramque sedem.

Monasteria ab Arabibus vastata.

Paulò pòst Arabes in desertum Vallis Habib effusi, Monasteria & Ecclesias vastaverunt & incenderunt, Monachos, etiam senes in servitutem abduxerunt: quæ calamitas Marcum tam vehementer afflixit, ut paulò pòst in febrem inciderit. Ea verò nocte quæ festum Dominicæ Resurrectionis præcedebat, quod eo anno incidit in mensis Farmuthi diem 17um, somniavit se videre Marcum Evangelistam, qui ei proximum suum obitum prædixit; significavitque fore ut post susceptam sanctorum mysteriorum communionem, ex hac vita decederet. Advocatis igitur Episcopis, jussit ut sacram Liturgiam celebrarent, eisque facto crucis signo benedixit. *Eâ finitâ, attulerunt ad eum calicem, & communionem accepit corporis & sanguinis Christi Dei nostri:* verba ipsa Autoris sunt, quibus significari videtur eum communionem accepisse, quemadmodum in Ecclesia Coptica omnibusque aliis Orientalibus fieri antiquitùs solet, nempe particulis ex consecrata hostia intinctis in calicem, & cochleari ministratis, de quo ritu fusè dicetur ad Liturgiam: nec tamen hæc conjectura ita certa est, quin potuerit ultima Patriarchæ morientis communio singulares cæremonias habuisse, de quibus tamen nihil huc usque nobis occurrit. Verùm quod observat Autor delatum esse calicem, conjecturam nostram magnopere confirmat: tum etiam argumentum eximium præbet veteris disciplinæ apud Coptitas servatæ circa infirmorum communionem; & Eucharistiæ delationem extra altare, post Liturgiam: extra quam Protestantes, etiam qui de Eucharistia minùs perversè sentiunt, consecrationem nullam esse, aut in elementis persistere existimant. Paulò pòst Marcus emisit spiritum; corpusque ejus in Ecclesia Tabroüa depositum est: unde ad commune Patriarcharum sepulcrum, deinde Alexandriam translatum est. Obiit 22a mensis

mensis Farmuthi, anno Martyrum 535°, cùm sedisset annos 20, menses duos, dies decem; quo temporis intervallo scripsit Mystagogicas Catecheses viginti & unam, Heortasticas sive Paschales Epistolas viginti. Elmacinus annos decem Pontificatûs numerat, exemplaris, ut videtur, vitio; nam Makrizius 20 annos habet, dies 70. Anno Rechidi 23°, qui est Hegiræ 193us, ordinatum eum fuisse scribit Elmacinus, qui est J. C. 808us: at annus Martyrum 535us est J. C. 819us: quæ ratio fortasse fuit decurtati apud eum numeri; nam aliter incideret obitus Marci in annum 829um aut 830um. Verùm ex historiæ serie liquet initium Pontificatûs Marci assignandum esse decennio priùs, quandoquidem Ecclesia Jacobitica Alexandrina in summa pace per annos aliquot fuit, donec post Haronis Rechidi mortem turbata est. Canon Chronologicus apud Abulbircat annum obitûs assignat æræ Martyrum 525°, contra aliorum autorum fidem: sed, ut sæpè monuimus, nulla omnino huic Autori fides est. Alio loco Elmacinus obiisse Marcum scribit an. 211° Hegiræ, J. C. 826°, qui non respondet anno Martyrum 535°, sed 542°: tanta est Arabum in rebus Chronologicis oscitantia. *Pag. 149.*

Narrat paucis verbis Makrizius calamitates Christianorum sub isto Patriarcha, spoliationem Ecclesiarum, vastationemque Monasteriorum Vallis Habib, adeo ut pauci admodum Monachi superfuerint, nempe post Arabum incursionem. Paucis etiam attingit quæ fusiùs ab Eutychio descripta sunt, de Melchitarum prosperis rebus, sub Harone Rechido: scribit autem eum, cùm inter pellices haberet quamdam formâ eximiâ, ex inferioribus Ægypti provinciis oriundam, & frustrà adhibitis medicis ea semper deteriùs haberet, audivisse Balatianum seu Politianum, de quo superiùs dictum est, Patriarcham Melchitarum Alexandrinum, artis medicæ peritiâ reliquos antecellere, eumque Bagdadum evocasse, ut puellæ auxilio foret. Eâ sanatâ per diætam cui olim assueta fuerat, esu scilicet paximatiorum & muriæ, Patriarcha magno in honore habitus, obtinuit sigillum sive Diploma Imperatorium, quo Jacobitis jubebatur ut Ecclesias Melchitis ablatas restituerent; quod & factum, redeunte in Ægyptum Balatiano, qui obiit cùm hanc dignitatem obtinuisset per annos quadraginta sex. Obitus autem ejus assignari debet anno 16° Rechidi, cùm eodem constitutum scribat ejus successorem Eustathium. Annus ille incidit in an. J. C. 802um. Eustathium illum lini seu gossypii artificem primò fuisse tradit Eutychius; & cùm in domo sua thesaurum invenisset, monasticam

Christianorũ calamitates.

Eutyc. t. 2. p. 411.

vitam professum in Asceterio *El-Kasir*; mox Abbatem factum, Ecclesiam Apostolorum nomine ædificasse, cellamque seu domum Episcopalem; tandem creatum Patriarcham Alexandrinum, post quatuor annos obiisse, anno Haronis Rechidi 20°, J. C. 806°; Christophorum ei successisse. Is paralysi correptus est, adeo ut manibus gestaretur: quare quidam, nomine Petrus, Episcopus constitutus est, qui Patriarchale officium tanquam Vicarius administraret, Episcoposque ordinaret. Vixit autem Christophorus annos 32. Nec plura de Melchitis seu Orthodoxis Patriarchis habentur: de quorum rebus mirum est quanta sit apud omnes Autores Græcos & Latinos oblivio, adeo ut ne nomina quidem eorum facilè alicubi reperiantur. An verò Medicus ille idem sit, quem Jacobitis apud Califam plurimùm nocuisse commemorant, prorsus incompertum est.

De Ecclesiarū restitutione.

Hanc Ecclesiarum restitutionem Melchitis factam jussu Haronis Rechidi, quamvis ad Marci tempora retulerit Elmacinus, ad Joannis Pontificatum retulerunt Bollandi Continuatores, rectiùs omnino & historicæ veritati convenientiùs. Neque enim ullam accuratioris Chronologiæ rationem habet; sed cùm omnia, quæ de Christianorum rebus historiæ suæ interserit, ex Vitis Patriarcharum aut Eutychio describat, ut suis locis reponerentur, non satis curavit. De Medico illo qui tantâ apud Haronem Rechidum gratiâ valuit, ut Ecclesias à Jacobitis olim occupatas restitui Orthodoxis obtineret, nihil in historia Patriarchali legitur, nisi fortè ad illum pertineant, quæ initio vitæ Joannis leguntur, Joasabum quemdam Medicum hæreticum, eum apud Califam accusasse, quòd ædificiis suis loca publica occupasset. At hæc sunt diversissima: nam de isto Medico non proditur eum fuisse Orthodoxorum Patriarcham, & is non Joasabus, sed Balatianus, ab Eutychio appellatur. Porro cùm hæc sub Harone Rechido contigerint, rectè Eutychius illius Califatui ea alligavit: quòd verò neque nomen Patriarchæ Jacobitarum, neque tempus assignavit, factum id ex perpetua consuetudine, quam autores diversæ sectæ constantissimè tenent, ut de suis tantùm loquantur, aliorum vix meminerint. Haron Califa salutatus est anno Hegiræ 170°, qui respondet anno J. C. 786°: obiit anno Hegiræ 193°, J. C. 808°. Hadis, qui eum præcessit, regnavit anno uno, mensibus duobus; ita si ordinatus est Joannes anno ejus 1°, quod, ut suprà notavimus, Elmacinus prodidit, cùm viginti quatuor annis Se-

dem Alexandrinam tenuerit, implevit totum Califatum Haronis qui viginti trium annorum & paulò plus fuit; atque adeo ad Joannis tempora rectè referetur hæc narratio. Cùm verò vacillet ibi, ut ubique prope semper, Elmacini Chronologia, & in historia Patriarchali Joannis obitus assignetur anno 515° sanctorum Martyrum, qui est J. C. 799us, tredecim annos sub Haronis Califatu transegerat. Annos Martyrum ex perpetua regula numeramus additis ad annos æræ Christianæ annis 284: nam in componendis illis cum æra Muhamedana sæpè falluntur, non Elmacinus modò, sed historiæ Patriarchalis autores & Orientales ferè omnes reliqui.

Observatio de Alexandrinæ Ecclesiæ cum aliis Orthodoxis consensu.

Post hujus Patriarchæ vitam, *Parergon*, sive longam observationem, inseruerunt Bollandiani operis Continuatores, quam expendere paucis necesse est. Titulum hunc habet: *De consensu Ecclesiæ Alexandrinæ Jacobiticæ cum aliis Patriarchalibus Sedibus Orientis & cum Romana, sæculis* VIII° & IX°. Probare autem nititur Autor diligentissimus, fuisse aliquando, cùm Alexandrina Ecclesia Jacobitica unionem cum reliquis Sedibus Patriarchalibus redintegraverit, quamvis obscurissima sit renovatæ illius concordiæ memoria. Statim dubitari non posse affirmat Alexandrinos Patriarchas cum Antiochenis & Hierosolymitanis Catholicam veritatem circa cultum sacrarum imaginum constantissimè adversus Iconomachos propugnasse. Id confirmat producto Elmacini testimonio, in quo dicitur Patriarcha scripsisse ad Theophilum Imperatorem, quæ ad cultum illarum vindicandum facere videbantur. (*Elm. p.* 152.) Quis porrò aut cujas Patriarcha ille fuerit, *pro comperto non habeo*, inquit vir doctissimus: *cæterum cùm de Jacobitis Elmacinus agat plurimum, verosimile est hoc ad eorum dogmata pertinere*. Laudat præterea Epistolam Constantini Porphyrogeniti de Imagine Edessena, in qua refertur Job Alexandrinum, Christophorum Antiochenum, Basilium Hierosolymitanum scripsisse Theophilo Imperatori in eamdem sententiam. Certum esse ait quoque ex Autorum propè omnium testimoniis rectè sensisse Coptitas circa cultum sacrarum imaginum. Inde dubium sibi suboriri, num, ut in hoc articulo, ita in aliis non consenserint cum Ecclesia Catholica: suadere id quodammodo, tot mutuas inter Alexandrinos Jacobitas & Antiochenos Synodicas Epistolas, quarum Elmacinus meminit non uno loco: *Antiochenam porro Ecclesiam illorum temporum, nemo*, inquit autor, *quod sciam, Eutychetis vel Jacobitarum erroribus infectam memoriæ prodidit.* Tum probata

aliunde Hierosolymitanorum Patriarcharum, cum cæteris, Romanaque Ecclesia communione, rem demonstratam esse verè affirmat, si Antiocheni Patriarchæ Orthodoxi fuerint, & cum iis Jacobitæ in unitate fidei communicaverint, *propemodum vera & indubitata est Jacobitarum resipiscentia.* Verùm ingenuè agnoscit inextricabilem esse Antiochenorum Patriarcharum successionem, adeo ut facilè credat Antiochiæ, ut Alexandriæ, duos fuisse Patriarchas, Orthodoxum unum, Jacobitam alterum. Tamen in Epistola Tarasii quæ extat inter Acta Nicæni 2i Concilii, quædam agnoscere sibi visus est *quæ ad unionem Coptorum pertineant*, quia Ecclesiarum Ægypti & Syriæ meminit, tanquam ab Iconomachorum opinionibus alienissimarum. Pendet tamen animi, quòd nomina Patriarcharum Alexandrinorum à Photio relata, diversa omnino sint ab illis quæ retulit Elmacinus. Tandem conjecturas illas, alterâ quadam confirmat, nempe quod Macara, seu Macarius, nobilis Ægyptius, suscitato per miraculum ejus filio, precibus Jacobi Patriarchæ magnam pecuniam in pios usus erogaverit, & Hierosolymis Ecclesiam construxerit: quod, ut existimat Autor, Jacobitis non licuisset, nisi eamdem cum Melchitis fidem habuissent, *postremis hisce apud Hierosolymam Religionis principatum, ut ita dicam, obtinentibus sub nomine Syro-Græcorum.* Atque hæc sunt argumenta præcipua, quibus viri doctissimi conjectatio nititur, de qua jam dicendum est.

Conc. t. 7. p. 718. f. 441.

In Synodico.

Nulla fuit inter Copticas & alios concordia.

Ac primò quidem verè ab Autoribus observatum fatemur in quæstione de cultu sacrarum Imaginum, Copticas Orthodoxam sententiam tenuisse, cùm in antiquitùs traditâ disciplinâ perseveraverint, ut in aliis omnibus fidei disciplinæque capitibus, unicâ exceptâ Monophysitarum hæresi, quam pertinacissimè retinuerunt. At concordia plena inter eos Orthodoxosque sedium aliarum Patriarchas esse nulla poterat, qui mutuis anathematismis se devoverent, ob fidei in Concilio Calchedonensi stabilitæ, & ejus quam Dioscori Severique successores profitebantur, differentiam. Exempla non pauca occurrunt in hac historia Patriarchali, anathematum adversus Leonem Papam, Calchedonensesque Patres, jactatorum, quæ rem expediunt. Quòd si rectè senserunt circa sacras imagines Copticæ ut reliqui Jacobitæ, eam doctrinam non à Græcis Orthodoxis, sed à patribus suis didicerant. Nulla quippe autoritas apud eos est secundæ Nicænæ Synodi, cujus ne memoriam quidem habent, sicut nulla Joannis Damasceni, Sophronii,

Nicephori aut aliorum qui contra Iconomachos pugnaverunt, quos ut Calchedonenſes, hoc eſt hæreticos, deteſtantur. Neque ſi fides & diſciplina hoc in genere apud Jacobitas, non minùs quàm apud Neſtorianos rectè ſe habuerunt, minùs idcirco erraverunt circa Incarnationis myſterium.

De Sophronii ad Theophilum Epiſtola.

Quòd Patriarcham, cujus Epiſtolæ ad Theophilum particula refertur ab Elmacino, Jacobitam ſuſpicatus fuerit obſervationis Autor, conjectura eum ſua fefellit. Elmacinus, qui licèt Jacobita aliquando Eutychium exſcribit, hanc ex eo laciniam ſumpſerat, tanquam ex Epiſtola ad Imperatorem Theophilum ſcripta à Patriarcha, quem non nominat : Eutychius vocat Sophronium Patriarcham Alexandrinum, quem inter deceſſores ſuos numerat, atque adeo Orthodoxum illum fuiſſe, ſucceſſoris teſtimonio certum eſt. Is verò initia ejus aſſignat Califatus Motaſemi anno 4°, qui reſpondet anno J. C. 836° & 837°; obitumque poſt annos Pontificatûs tredecim : unde erratum eſſe à librariis ſuſpicari non poſſumus. Verumtamen Sophronii Patriarchæ Alexandrini Orthodoxi, nemo præter Eutychium meminit. Sophronii Hieroſolymitani celeberrima eſt apud Græcos memoria : is verò ſub Heraclio, & primis Arabum principibus vixit; atque adeo ad Theophilum qui anno J. C. 829° regnavit uſque ad 842um, talem Epiſtolam adversùs hæreſin, quæ nondum prodierat, ſcribere non potuit. Illius cum laude meminerunt etiam Arabes Hiſtorici; nam eo Hieroſolymitanam Eccleſiam gubernante, urbs ab Omaro filio Alkittabi capta eſt. Itaque etſi alter ejuſdem nominis fuerit poſt annos prope ducentos Alexandrinus Patriarcha, quod ſolo Eutychii teſtimonio conſtat, is cujus verba, tum ab iſto, tum ab Elmacino, pro defenſione imaginum recitantur, diverſus omnino eſſe debet. Viderat, opinor, Eutychius Acta Synodi Nicænæ ſecundæ, in quibus aliquot Sophronii Hieroſolymitani ſententiæ recitantur; eas, quæ Orientalium incogitantia eſſe ſolet, ad cognominem illum ſuum Alexandrinum retulit : ſed quocumque tandem modo accipiantur, ad nullum Jacobitarum Alexandrinum Patriarcham pertinere queunt, quorum ſucceſſio tam perſpecta eſt, quàm aliorum confuſa & interrupta. Uno verbo, qui ad Theophilum cum Chriſtophoro Antiocheno, & Baſilio Hieroſolymitano ſcripſiſſe dicitur, Alexandrinus Patriarcha, Job à Conſtantino Porphyrogenito appellatur, non Jacobus, non Sophronius, & nullus tunc eo nomine deſignatus, Sedem Alexandrinam Jacobiticam tenuiſſe legitur.

Eutych. t. 2. p. 440. 455.

Eutych. t. 2. p. 284.

Conſt. Porphyr. Ep. p. 91.

De communione Alexandrinorum & Antiochenorum.

Sensit vir clarissimus quàm parum firma prima illa conjectura foret, unde ex communionis circa Orthodoxam fidem literis quas inter Alexandrinos Antiochenosque Patriarchas frequenter commeasse ab Elmacino didicerat, præsidium comparavit; ratus scilicet puram ab omni Eutychetis & Monophysitarum hæresi Antiochenam Ecclesiam fuisse, quia nullus Autor id prodiderat. Verùm ex Elmacino solo intelligi potest *Synodicas* illas, ut etiam Arabicè vocantur, Epistolas, nec ab aliis quàm Monophysitis, nec ad alios, quam qui Monophysitæ forent, scriptas fuisse. Uberem exemplorum copiam hæc nostra historia subministrat; & quæ inferiùs in vita Mennæ referetur, Joannis Patriarchæ Antiocheni, si quid dubii superesset, planè discuteret. Nulla prorsus earum de quibus Historici Alexandrini, aut Elmacinus meminerunt, ab hæreticis scripta non fuit: neque perspicuam non habuit unius in Christo naturæ professionem, cum anathematismis adversus Leonem Papam & Calchedonense Concilium. Nec illæ ad privatum officium pertinebant, ut novo Patriarchæ senior gratularetur; sed exigebantur tanquam communis fidei confessiones, sine quibus nomina novorum Patriarcharum ad altare inter Diptycha non recitabantur, quæ erat ex veteri disciplina communionis inter absentes significandæ ratio. Mitti præterea solebant per Episcopos, qui eam vocis suæ testimonio confirmarent; in Synodo Episcoporum legebantur, & in acta referebantur. Denique multas ejus generis Synodicas Epistolas habemus integras, fragmenta satis prolixa aliarum, quæ tam absolutam Jacobiticæ fidei explicationem continent, ut in libris ad eam confirmandam multis, præsertim in eo qui *Fides Patrum* inscribitur, post Scripturæ sacræ, & Ecclesiæ Doctorum testimonia, excerptæ ex illis Synodicis Patriarcharum autoritates referri soleant.

Duo Patriarchæ fuerunt Alexandriæ & Antiochiæ.

Quod Autor subjicit, à nemine proditum memoriæ fuisse Jacobitica vel Eutychiana hæresi infectam fuisse Antiochenam Ecclesiam, natum fortasse inde est, quòd Elmacinus Jacobita (quem ipse tamen Muhamedanum credidisse videtur) & alii ex eadem secta, Orthodoxæ fidei titulo Jacobiticam suam designant. Nihil porro certius quàm quod in Antiochena Sede Patriarchali, ut in Alexandrina, duo semper Antistites fuerunt, Orthodoxus & Jacobita, nisi quando Imperatores eidem sectæ addicti hæreticos intruserunt. Si porro Græcis & Latinis Scriptoribus pauca aut nulla de Antiochenis Jacobitis scripta reperiuntur; at multa Arabes

Christiani de illis nos docent; de Orthodoxis silent ut plurimùm. Ita vix de Jacobitis Alexandrinis Eutychius loquitur; vix de Orthodoxis Severus & alii: nempe quòd alteri alteros ut legitimos Patriarchas non agnoscerent. Sed neque soli Christiani Arabes Antiochenos Jacobitica hæresi infectos fuisse prodiderunt; cùm plerique belli sacri Historici id abundè testatum reliquerint. Itaque quod dubitabundus profert Autor de duplici illa Cathedra Antiochena, ex historia Orientali certissimè demonstratur; & cùm indubitata sit Antiochenorum illorum Patriarcharum, qui cum Alexandrinis communionem renovaverunt sæpiùs, in hæresi pertinacia, *Jacobitarum*, ut vocat, *resipiscentia* fabulæ, quàm veritati propior haberi debet.

De Tarasii Epistola.

Neque juvat quidquam Tarasii Epistola, cùm ea omnia, quæ pacem & concordiam Ecclesiarum designant, ad eam referenda sint, quam Constantinus & Irene convocato Concilio perfecerunt, factaque Episcopis potestate statuendi quæcumque ad sananda vulnera per Iconomachos fidei & disciplinæ inflicta spectabant, omnia in integrum restituerunt. Nam si aliquando Jacobitæ Alexandrini vel Antiocheni ad unitatem fidei reversi fuissent, quis existimet nullam tam insignis eventûs memoriam superfuisse, cùm Maronitarum ad Ecclesiam reversio, populi, si cum Ægyptiis comparetur, parvi & numerabilis, & à nostris & ab Orientalibus scriptoribus prætermissa non fuerit. Imò in ipsa, qualiscumque sit, historia Alexandrina, Gaianitarum, Barsanufianorum & obscuriorum quorumdam hæreticorum cum Jacobitis conversio consignata reperitur. Majus quiddam omnino fuisse reconciliationem cum Ecclesiis Græcis Orthodoxis, si quæ ulla unquam fuit, nemo non fatebitur: fieri autem illam ita potuisse, ut ne levis quidem memoria rerum ad eam perficiendam gestarum apud Latinos, Græcos & Orientales superesset, prorsus videtur impossibile. Verùm demus initam esse qualemcumque cum Jacobitis concordiam; aut illa statim dissiluit, aut nunquam fuit: nam semper continuata successione Jacobitæ suos Alexandriæ & Antiochiæ Patriarchas habuerunt, quorum illi se Dioscori, isti Severi successores & eorum fidei imitatores defensoresque professi sunt, simulque hostes Calchedonensis Concilii & Leonis Papæ. Quis tales homines ad unitatem fidei rediisse existimet; quod fieri non poterat, nisi damnata, quam profitebantur, fide, & pronuntiato adversùs eos, qui sanctorum numero apud eos huc usque fuerant, anathemate? Sed neque recurrendum est

ad intricatam & inexplicabilem Jacobitarum, qui Antiochenam Sedem tenuerunt, successionem; quippe quæ, si apud Græcos Latinosve Historicos agnosci vix potest, plana est nec interrupta in Jacobitarum libris, eo præsertim tempore, quo concordiam coaluisse Autor existimavit.

Unionis tempus assignari non potest.

Neque minùs laborandum conjecturæ illius vindicibus foret, in designando tempore quo Jacobitæ Alexandrini & Antiocheni ad pristinos errores suos redierint, in quibus eos perseverasse tam certum est, quàm quod maximè. In illorum historia nullius in melius aut in deterius mutationis memoria est: sed fides unius naturæ semper eadem; anathemata adversùs Calchedonense Concilium similia; cultus religiosus Dioscori & ejus successorum hæreticorum, ut Severi, Petri Gnaphei, tandemque Benjamini, quos omnes damnavit Ecclesia Catholica: nullam Latini vel Græci Orthodoxi cum illis Jacobitis communionem habuerunt, neque illi Jacobitæ cum Græcis aut Latinis; imò cùm Franci Hierosolymis regnarent, capitale & apostasiæ proximum inter Ægyptios Jacobitas crimen erat nimia cum ipsis familiaritas, ut in hujus historiæ serie manifestum erit. Tunc etiam Episcopi Orientales illi formulas diversas reconciliandis pœnitentibus hæreticis instituerunt, quales extant in Collectione Dionysii Barsalibi, & inter illas nonnullæ ad absolvendos Calchedonenses, sive Orthodoxos, referuntur; quod non communionis Ecclesiasticæque concordiæ, sed discordiæ dissensionisque certum argumentum est.

Si quid igitur communi consilio inter Alexandrinos Antiochenosque & Hierosolymitanos aut Constantinopolitanos Patriarchas gestum fuit, tum adversùs Iconomachos, tum adversùs alios hæreticos, de Orthodoxis solis intelligendum est. Nam licèt, Constantinopolitano excepto, qui in eamdem ac reliqui postremus calamitatem incidit, gemerent omnes sub Muhamedana tyrannide, distinctas tamen Ecclesias habebant Orthodoxi, suos Episcopos & sacerdotes, plebem propriam, nihil quidquam commune cum hæreticis. Cùmque tres Patriarchæ sub iisdem dominis essent, non modò communionem Ecclesiasticam inter se fovere poterant, sed etiam inter se consultare de iis, quæ ad communem fidem pertinerent, etiam ad Constantinopolitanos scribere.

De Ecclesia Hierosolymis constructa.

Tandem superest argumentum ex Ecclesia quam Macarius, is Ægyptius de quo Elmacinus, Hierosolymis ædificavit; ex quo nihil omnino ad Autoris sententiam confirmandam deduci potest.

Nam

Nam ex quo Muhamedani ſanctam urbem ceperunt, Chriſtianis omnibus cujuſcumque ſectæ aditus ad eam patuit, & ob peregrinorum frequentiam unaquæque ſuos illic Sacerdotes & aliquando Antiſtites habuit. Græci antiquitùs Patriarcham habuerunt, ea dignitate quæ per Canones Nicænos illi decreta eſt, Neſtoriani Metropolitam, Jacobitæ Epiſcopum, qui, ut ex vita Cyrilli filii Laklaki apparet, ab Antiocheno ſolebat ordinari. Ita ſtatim à capta urbe ſancta, omnibus cujuſcumque ſectæ & gentis Chriſtianis ſingulares ex Muhamedanorum Principum conceſſione Eccleſiæ fuerunt, ut etiam nunc obſervatur. Illic enim ſunt Græci, Syri tam Melchitæ quàm Neſtoriani & Jacobitæ, Armeni, Æthiopes, Colchi, Iberi, præter Latinos, quo modo ſub Francis Regibus fuerunt, quamvis tunc ſacra loca in iſtorum poteſtate forent, atque inde nonnullos excludebant, quod erga ſe factum aliquando Coptitæ queſti ſunt, ut inferiùs videbitur. At ſub Muhamedanis principibus qui Chriſtianos Orthodoxos aut hæreticos eodem loco habebant, liberum omnibus fuit Hieroſolymam adire ibidemque habitare, Monaſteria aut Eccleſias ædificare, modò autoritas principum accederet; nam Hieroſolymitano Patriarchæ, qui Græcus erat & Orthodoxus, prohibendi facultas nulla erat, cùm in ſuæ tantum communionis Chriſtianos jus haberet. Ita Macario illi licuit Eccleſiam conſtruere ea in urbe ubi religionis principatum Patriarcha Orthodoxorum amiſerat, extinctis cum Imperiali poteſtate Romanis legibus, per quas olim hæreticos coercere potuiſſet.

Certum itaque & exploratum eſt non modò ex Autorum Græcorum, Latinorum, Arabumque ſilentio, ſed ex indubitatis Coptitarum & Antiochenorum Jacobitarum monumentis, nullam inter ipſos, & Græcam Eccleſiam, communionem ſæculis octavo aut nono fuiſſe: ſed neque ullam poſtmodum uſque ad legationem Gabrielis ad Clementem VIII. de qua dicetur ſuo loco. Quòd porro Jacobus vocatus fuerit Patriarcha Alexandrinus, à quo Macarii filium revocatum ad vitam eſſe perhibent, teſtis hiſtoria Patriarchalis, ut Elmacinus & Chronicon Orientale; adeoque ſollicitandum nomen illud non eſt, ut in alterum, Jobi nempe, reformetur, quod Græci Scriptores, Conſtantinus ſcilicet Porphyrogenitus & alii retulerunt, ut Eutychius Arabicè ſcribens, qua in lingua major omnino literarum differentia eſt, quàm ut librariorum vitio commutari potuerint. De aliis, quas Autor Parergo

ſequenti tetigit, Coptitarum cum Eccleſia Orthodoxa conciliationibus, dicetur ſuo loco, de quibus obſervare poſſumus, nullam non magis quàm præcedentium exſtare apud Orientales memoriam: ut etiam legationes aliquot, quas ad concordiam ineundam pertinuiſſe Autor exiſtimavit, Jacobitarum non fuiſſe, ſed Orthodoxorum Græci Ritus.

JACOB Patr. L.

JACOB PATRIARCHA L.

Revelationes Jacobo factæ ante electionem.

CUm paulò ante Marci Patriarchæ obitum Monaſteria Vallis Habib ab Arabibus direpta & vaſtata eſſent, omneſque cellæ igne conſumtæ, Monachi qui barbarorum furorem evaſerant, (multi enim ab illis occiſi ſunt,) per civitates, pagos & Monaſteria tam inferioris Ægypti quàm Thebaidis, diſperſi ſunt: paucis admodùm relictis, inter quos fuit Jacobus ſacerdos ad S. Macarium. Is, cùm Arabes omnia depopularentur, in quoddam Thebaidis Monaſterium ſe receperat. Ibi cùm in oratione eſſet, aiunt apparuiſſe illi B. Virginem cum Angelorum multitudine, quorum unus Jacobi cuſtos illum monuerit, ut ad locum ſuum reverteretur; quod fecit: ſecundaque viſione monitus eſt à S. Macario, ut in priori factum fuerat, de proxima ſua electione ad Patriarchalem dignitatem, futurumque ut ipſius filios Monachos diſperſos colligeret. Aliam quoque revelationem attribuunt ei de inſtante morte Marci Patriarchæ, qui, cùm annos quadraginta Sedem Alexandrinam tenere debuiſſet, precibus obtinuit ut tantis calamitatibus ſubtraheretur. Idem Marcus, antequam è vita excederet, interrogatus ab Epiſcopis de ſucceſſore ſuo, reſpondere quidem ſtatim noluerat, ſed cuidam urgenti vehementiùs, ſubmiſſa voce Jacobum nominaverat, interpoſito jurejurando per Deum & Eccleſiam ne cuiquam id ſecretum aperiret, donec res opere perfecta fuiſſet. Poſt mortem ejus convenientes Epiſcopi, Sacerdotes & Laici diſquirere cœperunt, quis ad munus Patriarchale ſuſtinendum eſſet idoneus; multorumque nomina commemorata, atque inter alios Jacobi ſacerdotis: cùmque ea occaſione Epiſcopus ille cui Marcus prædixerat futuram illius electionem, ſecretum ſuum coram omnibus manifeſtaſſet, publica acclamatione dignus pronuntiatus eſt. Tum ad S. Macarium profecti, illum adduxerunt Alexandriam, flentem rogantemque ut è mundo transferretur priùs quàm tanto oneri ſuccederet. Deus verò eadem nocte illum con-

ſolatus eſt, dicens ei per ſomnium, ſicut Jacobo Patriarchæ, ne timeret in Ægyptum accedere, futurum illum ſecum & eum auxilio ſuo confortaturum, ſicut Dioſcoro & Severo, quorum ipſe mores imitabatur, olim auxilio fuerat. Illum igitur, cùm Alexandriam perveniſſet, ordinaverunt per manuum impoſitionem, totumque Eccleſiaſticæ ordinationis ſeu χειροτονίας officium, quam vocem Arabes retinuerunt. Cùm verò juxta conſuetudinem expanderetur ſuper caput ejus liber Evangeliorum, apparuerunt figuræ duæ, quarum una ex altera parte, alia ex altera librum tenebant, inſcriptis nominibus Severi & Dioſcori, ipſiuſque Jacobi inter utrumque, unde omen acceperunt futurum illum talibus ſimilem, quos ſingulari cultu proſequitur erroribus eorum miſerè involuta Jacobitarum Eccleſia.

Statim atque in Sede Patriarchali collocatus fuit, ſermonem habuit in quo refutavit omnes hæreſes, tum Synodi Calchedonenſis defenſores; Phantaſiaſtas etiam Gaiani ſectatores, qui negabant filium Dei verè in corpore paſſum fuiſſe. Erat autem apud Alexandrinos Jacobitas in more poſitum, ut ad feſta ſolennia, cùm majori pompa apud eos celebrabantur, Hæreticos advocarent, quò ſcilicet auguſtior quodammodo Eccleſia ipſorum appareret. Id fecerant, cùm Marcus Pontificale miniſterium accepit. Eos à fide Jacobitica alienos cùm ipſe intermixtos è ſuperiori loco animadvertiſſet, zelo ſuccenſus dicere cœpit verbis Pauli Apoſtoli: *Quæ ſocietas luci ad tenebras, aut Chriſto cum Satana: quænam pars fidelis cum infideli?* Tandemque edixit nullam etiam in rebus corporeis haberi debere ſocietatem cum illis, cum quibus nulla ſpiritualium communio intercederet: tandemque omnes ex Eccleſia ejecit. Ea occaſio fuit querelæ contra eum ad tributorum exactorem delatæ, apud quem unus ex illis hæreticis autoritate valebat: ſed cùm Marcus pœnam divinitùs immittendam prædixiſſet, quæ mox conſecuta eſt: (is enim in rixa cùm homicidium perpetraſſet, domus ejus ſpoliata) omnes magno metu perculſi ſunt, adeo ut ne mutire quidem coram eo auderent, & eum ſummopere obſervaret ipſorum Patriarcha.

Profeſſio publica fidei.

Erat inter ejus propinquos & concives vir quidam primarius, Macarius nomine, qui ex caritate in eum affectuque erga pauperes & Eccleſiam eleemoſynas largiſſimas faciebat, & Alexandriam mittebat quæ ad eorum ſuſtentationem abunde ſufficerent. Diaconus qui occaſione famis, dum Eccleſiæ res adminiſtrabat, parum

reverenter erga Jacobum se gesserat, subita morte punitus est, ejusque familia brevi tempore extincta.

Profectio ad S. Macarium.

Ineunte Quadragesimâ profectus est ad Monasterium S. Macarii, ut mos erat Patriarcharum, ibi jejuniis & orationi vacaturus. Illuc ad eum confluxerunt ex speluncis & montibus Monachi, quos persecutio Arabum fugaverat : & quia omnibus ad vitam necessariis spoliati erant, ipse illorum inopiam, quantis poterat eleemosynis, sublevabat. Dum esset in ordine sacerdotali, ædificaverat altare, sive Capellam, sub nomine S. Chenudæ ad Austrum altaris S. Macarii : cùm verò Ecclesiæ omnes dirutæ fuissent, ad S. Chenudæ altare Monachi synaxes suas agebant : illas igitur Ecclesias restaurare aggressus est ; verùm hæc omnia ejus consilia turbata sunt occasione cædis à Diacono ejus Syncello commissæ. Is enim vir durus & sævus, cùm discipulum quemdam in culpa deprehendisset, tam crudeliter verberavit, ut paulò pòst mortuus fuerit. Arabes Monasterium ingressi Patriarcham apprehensum jussèrunt homicidam exhibere, ut de eo supplicium sumeretur : cùm ille hominem apud se à pueritia educatum & quem carum habebat, periculo eximere conaretur, pecunias ipsi imperaverunt, quas cùm Episcopi contulissent, liberatus est. Postea in Sahid, seu superiorem Ægyptum, abiit ad visitandum Ecclesias & Monasteria, occurreruntque ei passim Monachi & Anachoretæ.

Ægypti calamitas.

Ut continuaretur societas inter Alexandrinos & Antiochenos Jacobitas, omnem operam impendit : verùm ne legationes Episcoporum aut literæ synodicæ liberè utrimque commearent, obstitit bellum quo Ægyptus per annos ferme quatuordecim vastata est, per Arabum & aliorum rebellium, Andalusenorumque, seu Hispanorum Abbassidis infestorum continuas deprædationes cædesque promiscuas, tum etiam sævissimam Abdel-Azizi tyrannidem, qui, dum Aminus, Almamon & alii post Haronis Rechidi mortem de Imperio decertabant, provinciæ partem armis occupaverat : quos divitiis spoliare vellet, eos occidebat : pecunias variis in locis defodiebat : conscios thesauri depositi, ne illum indicarent, interficiebat. Inter alia sævitiæ & avaritiæ argumenta postremum illud fuit quod, ut annonam incenderet omnesque Ægypti pecunias corraderet, frumentum omne comportari jussit in horrea, neque distrahi publicè sivit. Hoc verò consilium prætendebat; quòd ita Andalusenos, qui Alexandriam obtinebant, cum armis non posset, fame expugnaret. Hinc dira per totam Ægyptum

præsertim ea in urbe fames; quam obsedit interea, compulsis in interiorem murum copiis, ubi eas arctissima obsidione cinxit, adhibitis contra arcem machinis bellicis. Quærebat interea Abdel-Azizus Patriarcham, iratus quòd quemdam à se commendatum noluisset ordinare Episcopum, quia id per Canones non licebat: rogatu tamen Christiani cujusdam pii, fecit quod priùs renuerat. Abdel-Azizus juravit se Ecclesias eversurum, occisurumque Episcopos omnes, nisi in conspectum suum veniret Patriarcha. Dedit se ille in viam hortatu Macarii illius, de quo superiùs dictum est, qui omnia bona sua impensurum se pollicitus est, priusquam mali quidquam ille pateretur. Sed juxta Jacobi vaticinium, priusquam in castra perveniret, Abdel-Azizus lapide ictus obiit: cui successit Hali ejus filius. Famem magna annonæ vilitas secuta est. Monachi suis Monasteriis & Cellis passim restituti. Cùm autem altare S. Chenudæ, seu adjuncta Capella, eos ob nimiam multitudinem non caperet, ædificavit Ecclesiam sub titulo S. Macarii, eo in loco ubi est altare Benjamini Patriarchæ titulo appellatum, quia ille, ut superiùs in ejus vita observatum est, illud ædificaverat, &, quantùm fieri potuit, ornaverat, ejusque dedicationem celebraverat 1ª mensis Farmuthi; cujus tamen dedicationis commemoratio non eâ die, sed 8ª Tybi, agitur in Ecclesia Coptica, simul cum memoria depositionis ejusdem Benjamini.

Jacobus rogatu Macarii ad ejus domum venit, benedictionis impertiendæ causâ: ejus filius morbo correptus obiit: Patriarcha pectus ejus, frontem & alia ejus membra crùce signans, & preces ad Deum fundens, eum ad vitam revocavit. Ita narrant hanc historiam Jacobitæ, quam retulit Elmacinus: Macarius tertiam facultatum suarum partem orphanis, viduis & pauperibus distribuit. Cùm verò miraculi fama Hierosolymam usque perlata esset, in eadem urbe Ecclesiam ædificavit, ubi Jacobitæ hospitium haberent; quam Historicus testatur sua ætate superfuisse, vocatamque esse Ecclesiam Magdalenæ. Sed mira magis adhuc narratio est, quæ mox subjungitur: nempe quòd Macarius summa erga Theodorum Martyrem τὸν στρατηλάτην pietate commendatus cùm esset, Haronis Rechidi tempore Cahiram venit, pecuniam satis magnam, quæ ipsi imperata fuerat, tributi nomine in ærarium delaturus. In ipso itinere ædes magnificas sibi nunquam visas animadvertit, adeo ut aberrasse sibi videretur. Inde prodiens vir quidam augusta specie, eum quasi notum complexus, induxit in cubiculum interius, ubi

Miraculum.

P. 140.

magna pecuniæ vis; jussusque est accipere quantum ad negotium præsens opus haberet: postea ab eodem deductus ad Præfectum, statim admissus est; & expedito negotio cùm reverteretur, vir ille ex ejus oculis evanuit. Nec dubitavit Macarius illum fuisse Theodorum Martyrem, qui ejus angustiis subvenerat: nam magnam pecuniæ, quam ad ærarium deferebat, partem in via pauperibus distribuerat. His & similibus narrationibus fecerunt Jacobitæ sibi fidem apud illiteratos & durissimam servitutem servientes populos, quos auribus delinitos in errore retinent.

Gesta hæc esse apparet ex Autoris narratione, antequam in Ægyptum advenisset Abdalla filius Taheri, cum summa autoritate missus à Califa supremo Muhamedanorum Imperatore, nempe Almamone, qui jam rerum potiebatur. Venit autem Abdalla in Ægyptum anno Heg. 210°, J.C. 825°, & Pelusii, seu Balbaïsæ, substitit: anno sequenti Misram ingressus est: is autem turbas composuit, Andalusenos multis præliis attrivit; cùmque secundùm Religionem suam pius esset, ab injustitia alienus, sub ejus regimine res in meliorem statum restitutæ sunt. *Elmac. p. 136.*

Patr. Antiochenus in Ægyptum venit. Pacatâ eum in modum Ægypto, Dionysius Patriarcha Jacobitarum Antiochenus, qui dudum famâ Jacobi excitatus eum videre optabat, advenit, & dies multos apud illum cum mutua utriusque consolatione transegit.

Cùm à Præfecto vectigalium pecunia exigeretur tributi nomine, neque ob malam Archidiaconi administrationem, tum etiam quòd Christiani bellis impediti ad Ecclesiam liberè venire non possent, quidquam Jacobo superesset, unde solveret, vasa Ecclesiæ dare coactus est, atque inter alia calicem, quem cùm Præfectus ab aurifice coram se confringi jussisset, magna statim sanguinis copia effluxit: unde is, cùm paulò pòst in morbum quo obiit incidisset, jussit filio ut calix Patriarchæ restitueretur. Sit licèt hoc miraculum ex eorum genere, quæ, tanquam apud Hæreticos facta, non temerè à Catholicis explodi possunt: at alterius omnino generis est, quàm tot alia, quæ ad rem non pertinent: nam qui ita scribunt, credunt procul dubio inesse calici ex sacris mysteriis quibus servierat, quamdam consecrationem ex Christi sanguine; neque, etiamsi fabula sit, fingi potest ab aliis, quàm qui realem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Eucharistia firmissimè teneant. *Miraculum in calice.*

Mortuo Episcopo urbis Pham in Thebaide, venit ad Patriar-

cham vir quidam, postulans ut in ejus locum ordinaretur : cùm verò esset ipse sibi conscius morum qui tali dignitati non conveniebant, timeretque ne repulsam pateretur, Præfectum Alexandriæ adiit, petiitque præceptum de sua ordinatione. Patriarcha eum repulit; & quamvis multi ex suis hortarentur ut Præfecto satisfaceret, ne quid calamitatis Ecclesia eâ occasione sustineret, adduci non potuit ut contra Canonum dispositionem viro indigno manus imponeret : instantibus tamen, quod postulabant concessit, & eum Episcopum ordinavit : sed novus ille Episcopus, antequam ad sedem suam perveniret, obiit, sicut Jacobus prædixerat : qui etiamsi miracula edidisset, excusari non poterat ab immani sacrilegio, quandoquidem, ut de eo inferiùs dicitur, neminem Episcopum ordinabat, quin priùs vigilasset & preces ad Deum fudisset, post jejunia, ut, quæ illorum anteacta vita foret, divinitùs ipsi revelaretur. Non igitur poterat contra propriam conscientiam, contra disciplinam de illis repellendis qui favore Principum dignitates Ecclesiasticas ambiunt, infidelium maximè, talem absque summo scelere ordinare Episcopum : neque, etsi mortuos suscitaverit, morbos sanaverit, visiones viderit, potest excusari.

Jacob Patr. L. Episcopus jussu Præfecti ordinatus.

Consuetudinem habebat, ut commemorationem omnium Patriarcharum decessorum suorum celebraret à Marco Evangelista usque ad Marcum cui successerat, eorumque causâ Liturgiam celebrabat, quocumque in loco occurreret, in urbibus, in pagis & Monasteriis.

Paulò ante mortem apparuisse ei dicunt Christum Dominum cum Apostolis duodecim, invitantem eum ad requiem bono fideli que servo promissam : sed antea Archidiaconum illum suum, qui in officio suo, circa administrationem bonorum Ecclesiæ, nec diligens nec fidelis fuerat, Episcopum Bidæ ordinavit, prænoscens eum futurum vas electionis. Tandem obiit 14ª Mechir, eo die quo fit commemoratio obitûs Severi, quem ipsi cum Dioscoro instante morte apparuisse scribunt. Sedit annos 10, menses 8. consentit Elmacinus circa annorum numerum, ut etiam Makrizius : Canon apud Abulbircat assignat annos 18, menses 8. Ordinatus dicitur anno J. C. 826°, Hegiræ scilicet 211° : ita obitus ejus incidit in annum 221um aut 222um, nempe J. C. 836um aut 837um. Elmacinus illum obiisse anno Hegiræ 222°, qui 5us fuit Imperii Mutacimi : respondet autem anno Martyrum 553°, non 544°, ut habet Abulbircat.

Elm. p. 144.

Coptitarum rebellio.

Makrizius paucis, ut solet, verbis scribit, ejus tempore restituta fuisse Monasteria & ad ea redivisse Monachos; tum ædificatam fuisse Hierosolymis Ecclesiam ad quam diverterent peregrini Ægyptii; quæ fusius explicata sunt. Adjungit, eodem sedem Alexandrinam occupante, rebellasse Coptitas, & anno Hegiræ 216° Afschinum adversùs eos copias duxisse, neque subactos, antequam Almamon in Ægyptum advenisset; qui causâ cognitâ multos supplicio capitis condemnavit, fœminas & pueros vendi jussit; unde maxima multitudo in servitutem abducta: atque inde res Coptitarum adeo afflictas fuisse, ut nusquam adversùs Muhamedanos rebellare ausi fuerint. Eutychii, qui plura de illis scripsit, verba referemus.

T. 2. p. 429. *Post hæc tumultuati sunt Bimaidæ, ut Copticè dicuntur, cujus interpretatio est* progenies quadragenorum, *siquidem Romani, cum Ægypto discederent, occupante eam Religione Muhamedana, relicti sunt ibi viri quadraginta, qui liberis ibi genitis multiplicati sunt, atque in inferiore terræ Ægyptiacæ parte, progenie aucti, appellati sunt* Bimai, *id est* quadraginta virorum progenies. *Hi igitur rebelles facti, vectigal & tributum pendere noluerunt; quod cùm Almamoni nuntiatum esset, misit ille Almotasemum copiis instructum in Ægyptum, quem pugnâ exceperunt Albimaidæ, ut & ipse illos quos, & magna strage ipsorum edita, in fugam dedit, fœminasque ipsorum & liberos Bagdadum captivos abduxit.* Obscura sanè historia, & ad quam illustrandam subsidiis literariis majoribus opus esset, quibus huc usque caruimus. Et initio quidem nomen istud *Bima*, quod exhibet Codex Eutychii, quo usus est Pocockius & ex quo editionem suam adornavit, vocem nihili esse existimamus; neque enim significat τῶν quadraginta virorum progeniem: nam ad scripturæ Sinicæ formam, monosyllabis multa Ægyptii non significant, & σερίντα vulgò dicunt, quod nomen corruptum est, ut apud Græcos posteriores ex τεσσαράκοντα. Itaque, cùm ex punctorum diacriticorum defectu magna ubique sit in peregrinis vocibus Arabicè scriptis perturbatio, non dubitamus quin in hoc ipso corruptela sit, quod Codex Erpenianus Elmacini confirmat, nam ibi *Taima* non *Bima* legitur, utrinque malè. Neque locum, ut Erpenio visum est, Elmacinus designat; sed populum aut gentem aliquam ab aliis discretam, ut ne ex Ægypto egrediamur, præter Muhamedanos erant Rumæi seu Græci, qui pauci admodum captâ provinciâ remanserunt: Coptitæ seu veteres Ægyptii, iique non uni, nam Bsammyritæ, & alii quorum memoria

moria passim his in historiis occurrit, locis, genere, moribus plurimùm inter se discrepabant. Istos verò *Bimaios*, ut eos vocare Pocockio placuit, ex Eutychio intelligimus Romanam, seu, quod idem est apud Arabes, Græcam originem habuisse: quòd si à quadraginta patribusfamilias nomen habuerunt, certi sumus non *Bima*, sed *Nima* legendum, facili & quotidiana punctorum transmutatione: nam M litera in Ægyptiaco Alphabeto, ut in Græco, *quadraginta* significat, NI nota est pluralis: itaque dum τοὺς XL exprimunt, scribunt NIM; si NIMA scripserunt, XLI significare voluerunt. Inde judicamus non *Bima*, sed *Nima* scripsisse Eutychium, & ex eo Elmacinum: ita quoque scriptum invenimus in antiquissimo codice Regio, ut in Seguieriano Syriacis literis descripto. Sed quinam illi fuerint, scire huc usque non potuimus, ob historiæ illorum temporum obscuritatem. Cùm autem Romanos eos vocant, seu virorum Romanorum progeniem, dupliciter id potest intelligi, nempe quòd Græci fuerint, ut plerique Alexandrini, qui, ut in Benjamini vita dictum, capta Ægypto fugerunt; aut Romani, hoc est ex Romana vel Constantinopolitana Aula missi, quia, ut ex Isidoro Pelusiota alibi observatum est, Ægyptiis magistratus Alexandriæ gerere non licebat. Cùm autem facile fuerit quadraginta patresfamilias in Ægypto remansisse, & Melchitarum Ecclesiæ (nam & ipsi Orthodoxi erant) adhæsisse: fieri etiam potuit, ut intra annos ducentos liberis aucti, tribum quamdam fecerint, de qua Eutychius sit intelligendus, qui, utpote Alexandrinus & Orthodoxus, plura de illis sciverit, quàm Jacobitæ aut Muhamedani.

Adjiciendum est ex vita Yuçabi, Jacobum Metropolitam Æthiopibus ordinasse nomine Joannem, qui postea conspiratione inimicorum dejectus est.

SIMON PATRIARCHA LI.

SIMON Patr. LI.

DEFUNCTO Jacobo, ordinatus est ejus loco Diaconus quidam Monachus, nomine Simon, Alexandrinus, apud eum, & antea ab ipsa juventute educatus apud Marcum ejus prædecessorem. Cùm verò mensibus quinque tantummodo & diebus sexdecim Cathedram tenuerit, nihil de eo memoriæ proditum est. Obiit 3ª Paophi. Citat Elmacinus Vitas Patriarcharum, in quibus sedisse dicitur menses 7: sed nostra exemplaria 5 legunt; quam-

vis 7 legerit quoque Makrizius, qui secundùm quosdam ait eum sedisse annum unum, ordinatumque an. Heg. 222°, J. C. 836°, 13ª Decembris. Ecclesia Alexandrina tunc in pace fuit, expulsis Andalusenis & aliis qui Alexandriam occupaverant. Abulbircat contra omnes alios, tres annos & menses quatuor numerat. Quia verò nihil in hac Vita habetur præterea circa res Ecclesiasticas Jacobitarum, quæ ad Califarum successionem spectant, paucis prosequemur.

Almamon 7ᵘˢ Abbassidarum obierat, paucis annis ante Jacobum Patriarcham, scilicet an. Heg. 218°, J. C. 833° : solus imperium obtinuit ab an. Heg. 198°, J. C. 813°, post debellatum fratrem Al-Aminum, qui 6ᵘˢ inter Califas ejusdem familiæ numeratur. In Almamonis vita multa observatu dignissima sunt; quæ cùm fusè persequi non sit hujus loci, paucis verbis designabimus.

Almamon literarum studia promovet.

Præcipuum laudis, quam apud suos consecutus est, argumentum, ab ejus doctrina petitur. Nam cùm ante illius tempora tota Arabum eruditio linguæ propriæ studio, Poeticâ, Alcorano ejusque interpretibus occuparetur, si paucos excipimus qui aliquam Græcorum librorum notitiam à Syris habuerant; sub hoc principe ad externas disciplinas adjecerunt animum: ejus enim jussu & liberalitate plurimi Græcorum libri in linguam Arabicam conversi sunt, quorum hi sunt præcipui, Aristotelis, Hippocratis, Galeni, Dioscoridis, & præcipuorum Medicorum opera; Euclidis, Archimedis, Theodosii, & aliorum Geometrica; Ptolemæi magna syntaxis & opera ferme omnia; tum multa alia quæ commemorare longum esset. Versiones autem, etsi nonnullæ factæ dicantur ex Græcis exemplaribus, longè tamen plures factæ fuerunt ex Syriacis, quia dudum multi antiquorum libri eam in linguam translati fuerant, ex quo Græca illis in provinciis, quas Arabes occupaverant, obsolescere cœpit, nec nisi apud eruditos conservari. Erant præterea Syri multi doctissimi, præsertim Nestoriani, reliquis non quidem in interpretando fœliciores, sed Arabismi, qui in Yraca purissimus erat, peritiores. Ab illis illorumque discipulis interpretationes factæ sunt librorum Aristotelis in linguam Arabicam; ex Arabicis versionibus Hebraicæ factæ sunt bene multæ, sed nonnisi post annos circiter ducentos & ampliùs, quas deinde Judæi quidam Hebraicè expresserunt; & ex ejusmodi versionibus toties refictis, consarcinatæ fuerunt editiones Latinæ operum Ari-

ſtotelis, quæ diu apud nos in ſcholis expoſitæ ſunt, uſque ad ſtudii Græcarum literarum inſtaurationem in Europa factam, poſtquam Conſtantinopolis in Turcarum poteſtatem venit; ad eam Alexander Halenſis, Albertus, D. Thomas & reliqui è ſchola doctores commentarios adornaverunt ſuos, & cum ea Averroem, Avenpacen & alios interpretes legerunt.

Dedit etiam inſignem operam Almamon in Aſtronomia reſtituenda, non modò tranſlatis veterum Autorum libris, ſed etiam factis obſervationibus, ſecundùm quas Tabulæ ordinatæ ſunt accuratiſſimæ, quæ *Almamonis Tabulæ* dicuntur, ut Elmacinus cum aliis autor eſt: ſed in verſione locus corruptus, nam ibi ex mala punctatione legitur *Ventus Almamonis*, nullo ſenſu. Obſervationes illæ factæ ſunt in campis Sinjar, olim Sennaar, in Meſopotamia, cœlo libero, ab Aſtronomis peritiſſimis, atque ſecundùm illas tabulæ confectæ ſunt, ex quibus omnes ferme antiquæ, præſertim Alfonſinæ, prodierunt, tum aliæ multæ Arabicæ & Hebraicæ, quæ in Bibliothecis deliteſcunt; quas excéperunt Melikææ, ſeu quæ ordinatæ fuerunt juſſu Gelaleddini Melik-chah, Seljukidarum 3[i]; & deinde Tartaricæ. Inter alia memoratu digniſſima, quæ ad augmentum ſcientiarum ab Almamone procurata ſunt, celeberrima illa obſervatio fuit, ejus juſſu facta in iiſdem campis Sinjar circa menſuram terræ, à tribus fratribus Aſtronomis Muhamed, Ahmed & Hacen, filiis Muça. Illi enim obſervata accuratiſſimè elevatione poli ſeptentrionalis per planitiem progreſſi rectâ lineâ, fixiſque per intervalla paxillis, tria millia paſſuum, ſive paraſangam unam confecerunt: obſervata deinde poli elevatione, gradûs unius differentiam repererunt: unde comparata obſervatione cum antiquorum ſententia de ambitu terræ, ſtatuerunt eum eſſe viginti quatuor millium milliarium, ſeu paraſangarum octo millium. Iterum facta eadem obſervatio prope Cufam, cum priori exactè convenire deprehenſa eſt.

Almamon Aſtronomiæ apud ſuos reſtitutor.

V. J. Gravium Præf. ad Abulfedam, Golium in Alfrag. p. 139.

Ebn Chalikan Abulf.

Floruerunt ſub Almamone Aſtronomi majoribus noſtris notiſſimi Habas, Hamed filius Cotaïr, Farganâ oriundus, vulgò Alfraganus, Meſſahala Judæus, quorum opera Latinè extant, & alii complures. Neque Aſtronomiæ tantùm dabat operam, ſed Aſtrologiæ judiciariæ, in qua mirum eſt quanto ſtudio Orientales omnes cujuſcumque ſectæ ſe exerceant, adeo ut neque Muhamedana Religio, quæ gentiles omnes ſuperſtitiones impugnat, neque Judaica quæ ſyderum vanas contemplationes prohibet, nec ipſa

Aſtrologiæ ſtudium.

Christiana, quæ Mathematicos illos hariolos tot pœnis canonicis subjecit, eam vanitatem eradicare potuerint. Neque enim solùm Christianis hæc profana studia placuerunt, verùm aliquos ex diversis sectis legimus Aulicorum Astrologorum apud Sultanos officium sustinuisse.

Scientiæ novitates in Muhamedanam religionem invexerunt.

Ea peregrina studia multas in Muhamedanam Religionem novitates invexerunt, adeo ut apud multos malè audierit Almamon, quasi ita corruperit antiquam simplicitatem doctrinæ, quæ sola Alcorani & Traditionum observatione continebatur. Verùm præterquàm multarum suspectarum opinionum reus apud rigidiores Muhamedanos Almamon fuit, durissimam adversùs eos censuram exercuit, qui Alcoranum creatum esse negarent: nam ridicula hæc opinio de Alcorano non creato, tam multorum animos invaserat, ut plagas, supplicia, carceres, ipsam denique mortem subierint non pauci, potiùs quàm absurdam illam farraginem creatam esse faterentur: qua de re multa leguntur apud Arabes & Persas Historicos: hæ quippe nugæ seria duxerunt in mala doctores celeberrimos quàm plurimos. Nec in eo articulo constitit Almamonis cura, ut creationem Alcorani publicatis edictis stabiliret, & in eos qui aliter sentirent, graviter sæviret; verùm aliud quiddam publicavit an. Heg. 212°, J. C. 827°, circa dignitatem Halis, filii Abitaleb, quòd scilicet agnosceretur tanquam creaturarum præstantissima post Muhamedem, de qua etiam quæstione longæ & cruentæ fuerunt controversiæ. Apud Elmacinum utriusque rei mentio est, sed ita ut in Latina interpretatione sensus nullus sit. Verba sunt: ***Promulgavit Almamon locutionem per formulam Alcorani, & meliorationem Alis, filii Abutalibi, qui melioraverat formulam post Legatum Dei:*** quæ ita vertenda fuerunt: ***Promulgavit Almamon sententiam de creatione Alcorani, & præcellentiam Alis, filii Abitaleb: quippe qui esset præstantissima creaturarum post Apostolum.***

Elm. p. 136. 138.

Obiit Almamon an. Heg. 218°, J. C. 833°: successit ipsi frater ejus, Muhatecim Billa, qui fuerat sub ejus autoritate Ægypti præfectus, obiitque anno Heg. 227°, J. C. 841°, atque adeo illi supervixit Simon Patriarcha.

Ecclesia ædificata. *Eutych. t. 2. p. 431.*

Refert Eutychius sub Almamone ædificatam esse prope montem El-Moctam, qui Cahiræ vicinus est, Ecclesiam, quæ à duobus ejus cubiculariis Christianis nomen traxit, dicta *Kenisset El-Pharachin*; Ecclesia Cubiculariorum duorum, qui Græci, atque adeo Melchitæ seu Orthodoxi cùm essent, eam, ut proclive erat, suis

reliquerunt ; unde ea postmodum vocata est Græcorum Ecclesia, de qua loquuntur Historici rerum Ægyptiacarum. Ædificata autem fuit prope Palatium dictum *Kobat-el-hawat*, seu Turris desiderii, ut vertit Pocockius, ea ratione quòd nimiùm distarent aliæ Ecclesiæ ab Almamonis aula, cui addicti erant, ut multi Christiani cujuscumque sectæ in aulico ministerio sæpe fuerunt.

YUCAB, sive JOSEPHUS, PATRIARCHA LII.

YUÇAB Patr. LII.

Turbæ circa Patriarchæ electionem.

IN hujus Patriarchæ initiis assignandis dissentiunt Historici : imo & illi, quos interpretatus vel secutus est Severus, inter se non consentiunt: nam in præcedenti dictum est Simonem ordinatum fuisse statim post Jacobi mortem, (quòd etiam ab Elmacino & Makrizio scriptum est,) Autor verò vitæ Yuçabi ait vacasse Sedem longo temporis intervallo antequam Simon eligeretur, ob contentionem de successore deligendo : cùmque paucis mensibus Simon supervixisset, rursus pari discordia certatum fuisse, renuentibus quàmplurimis ne quisquam ex Alexandriæ civibus eligeretur, quia rerum sæcularium amore nimio, fastu & deliciis malè apud alios audiebant. In ista contentione venit quibusdam in mentem, ut Isaacum filium Andunæ, cognomine *Cid*, hoc est *Dominum*, virum nobilitate generis conspicuum, & divitiis affluentem, sed uxoratum, Patriarcham constituerent, autoritate Præfecti, qui tunc Ægyptum administrabat. Consentiebant Episcopi quidam, Alexandrinis placere potiùs quàm Deo studentes : atque inter eos fuerunt Zacharias Episcopus Wissim & Theodorus Episcopus Misræ, qui Isaacum adeuntes significaverunt, nullum se præter eum agnituros Patriarcham. Ex eorum consilio scripsit ad sacerdotes & cives Alexandrinos, multa pollicitus; atque inter alia, se, cùm Patriarcha constitutus foret, Ecclesias, quæ dirutæ fuissent, pecuniâ suâ restituturum, alia quoque ædificia ad eas pertinentia; sacerdotes & pauperes statutis largitionibus sustentaturum, à tributo immunes præstiturum, & alia ejusmodi. Ita multi ad eum inclinabant, sed obnitentibus aliis pietate & scientiâ commendatissimis, Chaile Episcopo Belbais, altero cognomine Episcopo Sa, Joanne Episcopo Bana, seu Panopoleos, qui cum aliis profecti Alexandriam, Episcopos Misræ & Wissim Alexandrinosque graviter increpaverunt. *Quomodo*, inquiebant, *abjecistis timorem Domini, & Canones violastis, adeo ut acquieveritis in*

Uxorati à Patriarchatu repulsi.

homine sæculari uxorem habente, ad eum collocandum super Sedem D. Marci Evangelistæ, præter consuetudinem, & contra quam Canones definiunt. Illi præ pudore nihil responderunt, atque interea in medio consessu quidam nominavit Yuçabum sacerdotem, præpositum Ecclesiæ D. Macarii in Valle Habib, cujus præclara vita cùm nota esset omnibus, missi sunt ad Monasterium qui eum adducerent, quod nonnisi per vim fieri potuit; nam injecta ei vincula ferrea, cùm lugens indignum se esse, per humilem confessionem testaretur. Postridie celebratâ Liturgiâ, susceptaque sacra communione, (nam agebatur dies festus Michaelis Archangeli 12ª Athir) accepta à Monachis benedictione, Alexandriam profectus est. Audita vox pone eum, hortantis ad patientiam calamitatumque tolerantiam, quæ omnes turbavit: nam intellexerunt novas ab Ecclesiæ hostibus persecutiones imminere. Cùm prope urbem advenissent, prodierunt obviam Alexandrini & Episcopi, eumque lætanter susceperunt. Verùm, cùm ad Præfectum Abdallam, filium Yezidi venissent, ut facultatem obtinerent illius ordinandi, negavit, nisi mille aureos, quos Isaac filius Andounæ pollicitus fuerat, exhiberent. Dixerunt illi se Fustatam, seu Cahiram, ituros, ubi nulla ipsius autoritas esset, & ab Episcopis Orientalis regionis ordinationem celebrari curaturos: atque ita tandem post longam molestiam facultatem illius faciendæ obtinuerunt. Itaque ordinatus est die 21ª Athir, an. 547° Martyrum, qui ex vero calculo respondet anno J. C. 831°, estque Hegiræ 216um. Ita errat Elmacinus, dum eumdem Martyrum annum componit cum anno Hegiræ 223°. Propiùs ad verum in Canone Chronologico Abulbircat, ordinatus dicitur anno Martyrum 548°. Makrizius post Simonis mortem ait vacasse Sedem annum unum, dies 27: ordinatumque Yuçabum an. 227°, quod falsum est, videturque error esse librarii: nam antea ordinationem Simonis refert ad an. 222um. Sedit ille menses 7, dies 16: vacavit Sedes annum 1, dies 21: fiunt annus 1, menses 8, dies 7: itaque aut vacavit Sedes diutiùs, aut ordinatus est Yuçabus ante annum 227um.

Yuçabi initia. Yuçabus natus erat in urbe Menuf superiori, parentibus inter Christianos primoribus, quos puer amisit; pupillusque relictus, à Theodoro quodam Nikiosita, qui Præfecturam obtinebat, adoptatus & educatus est. Juvenis factus, ab eo licentiam petiit in eremum proficiscendi vitamque Monasticam amplectendi; quam cùm ægrè obtinuisset, commendavit eum Theodorus per literas

Marco Patriarchæ. Ille Diacono Syncello suo eum instituendum commisit, à quo linguam & scripturam Græcam didicit: sed cùm amor solitariæ vitæ semper eum teneret, petitâ à Marco licentiâ, abiit ad Montem sanctum, seu Monasteria D. Macarii; & apud Hegumenum Paulum prophetiâ & miraculis clarum, vitam Monasticam amplexus est. Ibi cùm & doctrinâ & præclaris moribus in dies inclaresceret, Diaconus ordinatus, paulò pòst sacerdotio dignus judicatus est, & à Marco ordinatus, atque eo ministerio per annos plures functus est. Paulum Hegumenum longa infirmitate conflictatum diligenter observavit.

Rebellio in Ægypto.

Cùm primùm Ecclesiæ Jacobiticæ præesse cœpit, magnas Christiani calamitates à Præfectis Muhamedanis sustinuerunt: qua occasione narrat Autor quomodo Bschammyritæ malis fracti, tandem locorum, in quibus degebant, asperitate confisi, adversùs Muhamedanos arma sumserunt: quos ut compesceret Almamon, copias in Ægyptum misit, à quibus cæsa est ingens eorum multitudo. At si Elmacini & alterius vitæ Autoris calculo standum erit, hæc ad alium Patriarcham, nempe Jacobum, pertinent, sub quo etiam hæc contigisse ex illius vita ab aliis scripta superiùs diximus. Tamen si cœpit sedere Yuçabus an. Heg. 216°, quem respondere anno Martyrum 547° ostendimus, rectè prima illius tempora ultimis Almamonis conveniunt. Refert autem Autor, Patriarcham multis literis ad Bschammyritas scriptis, conatum esse eorum rebellionem compescere, monuisseque eum qui potestati resistit, Dei ordinationi resistere: sed illi, contemta ejus autoritate, non modò literis non obtemperaverunt, sed etiam Episcopos, à quibus deferebantur, contumeliosè habitos spoliaverunt. Inde vindicta in eos gravissima, cùm plerique gladio aut fame perierint; multi etiam in servitutem venum ierint.

Patriarcha Antiochenus Dionysius in Ægyptum venit.

Circa ea tempora adversùs Isaacum Episcopum Tanis, & Theodorum Misræ delatæ querelæ sunt à subjectis sibi Jacobitis ad Patriarcham; Tanitis minantibus se ab Jacobitica fide recessuros, nisi Episcopus suus deponeretur; aliis suum lapidaturos & occisuros. Illos cùm frustra placare aggressus fuisset & discordiam inter Episcopos & plebes componere, ad Episcopos scripsit, consilium petens. Interea Almamon in Ægyptum advenit, ad rebellionem Bschammyritarum compescendam, habebatque in comitatu Dionysium Patriarcham Antiochenum: erat enim, ut Autor hoc loco observat, Almamon doctus & curiosus circa Religionem Christia-

nam, habebatque apud ſe viros eruditos, quibus ad librorum interpretationem utebatur. Ad eum profectus eſt Yuçabus Fuſtatam, ſeu Cahiram, ut honorem principibus debitum ei deferret; magnamque voluptatem cepit, quòd Dionyſius, ad quem ob bella continua ſynodicas literas mittere non potuerat, adveniſſet: atque ita concordia, quæ à multis annis inter Jacobitas utriuſque Sedis erat, majorem in modum ex eorum congreſſu coaleſceret.

Juſſit Almamon, poſtquam didiciſſet quales literas miſiſſet ad Bſchammyritas ut eos ad obſequium reduceret, ipſum ſimul cum Dionyſio ad eos proficiſci, pollicitus præteritorum veniam, ſi reſipiſcerent. Verùm, cùm nihil profeciſſent, Almamon, miſſo Afſchino cum exercitu, eos internecione delevit, poſtquam commeatu omni prohibuiſſet. Præcipuam eorum arcem nominant; ſed vox ita ſcripta eſt in codice manuſcripto, ut, qua ratione legenda ſit, quive locus intelligatur, divinare non potuerimus. Mulieres, parvulos & vulgus imbelle atque alios, qui cædem evaſerant, in ſervitutem redactos, Bagdadum duci imperavit. Cùm educerentur, interrogavit eos Dionyſius Antiochenus, quæ cauſa ipſis tot malorum fuiſſet: cùmque reſpondiſſent factum id eſſe per Præfectorum in exigendis tributis ſævitiam; ille, eâ quâ pollebat apud Almamonem gratiâ, id liberè ſignificavit. Aderat Ibrahim, ejus frater, qui Ægypto præfuerat: unde Almamon conſuluit, ut eadem horâ Dionyſius proficiſceretur, ne Ibrahimus libertatem illam vindicaret, cùm tributis exigendis ipſe præfuiſſet. Ita Dionyſius, cùm Yuçabo valedixiſſet, abiit; &, poſt Almamonis mortem, ab Ibrahimo ad necem quæſitus, fugâ ſalutem quærere coactus eſt, adeo ut aliquandiu Eccleſia Jacobitica Antiochena Epiſcopo caruerit.

Cùm Iſaac filius Andounæ, qui Patriarchatum ambierat, Alexandrinos, apud quos plurimùm poterat, averteret ab obſequio Patriarchæ; is, ut animum ejus deliniret noviſque turbis omnem occaſionem tolleret, eum benignè allocutus eſt, ſignificavitque velle ſe uti ejus conſilio in adminiſtratione rerum ſpiritualium & temporalium, & ſigilli Patriarchalis curam illi commiſit: tum eum Diaconum ordinavit.

Epiſcoporum depoſitorum ſcelus adversùs Patriarcham.

Epiſcopi depoſiti duo, illi ſcilicet de quibus ſuperiùs dictum eſt, Afſchinum Præfectum adierunt, Patriarchamque accuſaverunt, quòd rebellionis autor Bſchammyritis fuiſſet; agitarique ab eo & ſuis conſilia adversùs Principes, atque ea de cauſa conventum haberi in Eccleſia. Iratus Præfectus fratrem ſuum in Eccle-

ſiam

ſiam miſit, ut occideret Patriarcham : quem cùm acinace petiiſſet, in columnam marmoream acinacis impactus, in fruſta diſſiliit : tum pugione eum petiit ; ictu veſtem & cingulum ejus diſcidit : ſed nullum vulnus inflexit, Deo illum conſervante. Poſtea violenter injecit in Patriarcham manus, eumque ad Aſchinum deduxit, apud quem ille causâ dictâ, oſtendit calumnioſè ſe à duobus Epiſcopis depoſitis accuſatum, quos pro meritis ſuis dignitate privaverat. Cùmque Aſchinus ſupplicium de illis ſumi juberet ; interceſſit & obtinuit, ut illis parceretur. Quod cùm Almamoni relatum eſſet, miratus illius clementiam, non modò liberum dimitti imperavit, ſed etiam Diploma ipſi conceſſit, quo tutus ab ſimilibus accuſationibus in poſterum foret, nec pro ſententiis quas inter Chriſtianos pronuntiaret, ordinationibus, aut depoſitionibus, in judicium trahi poſſet.

Almamon conquiſitos Bſchammyritarum reliquos deportari Bagdadum juſſit ; unde aliqui poſtea ſub ejus ſucceſſore in Ægyptum redierunt : alii ſedes eâdem in regione fixerunt, qui, ut teſtatur Autor hiſtoriæ, ad ſua uſque tempora illic perſtiterunt, adhucque nomen conſervaverunt. Scribit autem vocari eos Bſcharudæos inflexo nomine ; niſi, quod veriſimilius exiſtimamus, hæc immutatio facta ſit à Librariis.

Yuçabus deinde Epiſcopum Wiſſim ordinavit, Iſaacum filium Andunæ, quem Diaconum antea ordinaverat, loco ejus qui depoſitus fuerat : Demetrium conſtituit Epiſcopum Tanis : Miſræ verò ſedem vacuam reliquit, eamque ſimul cum ſua, adminiſtrationi Epiſcopi Wiſſim commiſit ; quam ad finem uſque vitæ retinuit ; cùm nemo ob ipſius apud Principes autoritatem, obſiſtere poſſet. *Epiſcopus duas Sedes occupans.*

Conſtitutis hunc in modum rebus, ad Nubiæ & Æthiopiæ Eccleſias ordinandas Patriarcha adjecit animum. Regnabat in Nubia Zacharias, ad quem Muhamedanus Ægypti Præfectus ſcripſit, uti tributum, quod ab annis quatuordecim fiſco debebatur, repræſentaret : ille cùm metueret ne ſe abſente, regio pateret Barbarorum incurſionibus, Georgium filium, ſucceſſorem deſignatum, in Ægyptum miſit, cùm priùs ſcripſiſſet ad Patriarcham literas, quibus ſignificabat, ſibi per continua tot annorum bella, quæ omne inter Nubiam & Ægyptum commercium abruperant, non licuiſſe, ut ad eum ſcriberet. Eadem Georgius confirmavit, qui benignè ab Yuçabo ſuſceptus, poſtea Bagdadum ad Califam profectus eſt. *Res Nubiæ.*

Is obsequium ejus gratissimum cùm habuisset, præteritorum annorum tributa remisit; honoreque & muneribus cumulatum, tum vestibus pretiosis, ut fert Orientalium consuetudo, exornatum in Ægyptum remisit. Georgius habebat in manu crucem auream, quam unusquisque osculabatur.

Altare portatile Regi Nubiæ concessum, à Patriarcha consecratum.

Rogavit Patriarcham ut sibi consecraret altare ligneum, super quod Liturgia celebrari posset; illudque in Nubiam deferri, & in castris ubicumque Rex esset, circumferri. Novum id tunc videtur fuisse; neque enim antea habebant Orientales alia altaria quàm solida, ut in aliis Ecclesiis: *Antimensiorum* verò, ut Græci ea vocant, tabularum nempe ex ligno vel corio, quæ altaris vicem supplerent, usum apud Ægyptios fuisse, nullus autor, quem viderimus, memoriæ prodidit. Extant quoque in Jure Canonico Orientalium constitutiones variæ de illis tabulis: sed hoc loco aliud quidpiam significari videtur, nempe altare ex ligno portatile, quod Nubiis & Æthiopibus concessum ab Alexandrinis Patriarchis fuit, cùm illæ gentes fermè semper extra urbes in tentoriis agerent, ubi Ecclesias & altaria habere non poterant. Earum autem tabularum, sive altarium portatilium, eadem omnino disciplina est ac apud Græcos τῶν ἀντιμινσίων, de quibus Balsamon ad Quæstiones Marci Alexandrini, & alii Græci Canonistæ passim, quorum plerosque indicat vir immensæ lectionis, amicus quondam noster, nunquam sine honore nominandus, Carolus Fraxineus Cangius in Glossario Græco-Barbaro. De iisdem Altaribus scripsit Jobus Ludolfus in Historia sua Æthiopica: sed parum accuratè.

Episcopi cum Rege Nubiæ: campanarum pulsatio in Liturgia.

Erant cum Georgio Episcopi aliquot ex Nubia, qui ei Liturgias celebrabant, & ex quorum manu ipse & qui cum eo erant communionem accipiebant. Cùm verò officia divina celebrarentur, campanas supra solarium arcis, in qua hospitium habebat, pulsari jussit, magno Christianorum gaudio, sicut in Ecclesiis fieri solet, nempe, ut ex variis Canonibus Coptitarum, Abulbircat & aliis autoribus intelligitur, quando elevatur Eucharistia. Patriarcha eum in itinere aliquamdiu comitatus est, non sine magno animi solatio, quòd post tantas calamitates, tria quæ in votis habuerat, consecutus fuisset: nempe quòd communionem cum Antiochena Jacobitarum Ecclesia non solùm per literas, sed cum ipso Patriarcha Dionysio renovasset: quòd Ecclesiasticis Nubiæ & Æthiopiæ rebus, quantùm opus erat, consuluisset; tandem

quòd Diplomata Imperatoria ad Ecclesiarum sibi subjectarum regimen necessaria obtinuisset.

Quod ad Ecclesiæ Æthiopicæ curam spectat, hæc Autor subjungit. Erat ordinatus à Jacobo Patriarcha Episcopus Æthiopiæ Joannes nomine, quem, cùm Habessinorum Rex ad bellicam expeditionem profectus esset, multi conspiratione facta expulerunt, aliumque temerè contra Canones electum, ejus loco constituerunt. Joannes in Ægyptum rediit, & in Monasterio dicto Primo, quod ex Makrizio discimus, dicatum fuisse Mariæ Virgini, habitavit, ubi olim monasticam vitam professus fuerat. Verùm quia scelus illud in Episcopum suum Æthiopes à communione Sedis Alexandrinæ alienos fecerat, illis non impunè fuit: nam peste non hominum modò, sed etiam pecorum ingens multitudo periit: Rex quoque infœliciter adversùs hostes suos cùm sæpè pugnasset, in patriam rediit, ignorans quæ se absente commissa fuissent, Reginæ autoritate, quæ tanquam altera Eudoxia Joannem contumeliosè expulerat. Igitur Rex scripsit ad Yuçabum veniam peccati postulans; quod Deus peste, siccitate aliisque flagellis vindicaverat: rogans præterea ut ad se mitteret, qui oraret super eos, & gratiam à Deo precibus impetraret. Accersivit Yuçabus Joannem Episcopum, eumque viatico instructum cum fidis comitibus in Æthiopiam misit, ubi à Rege honorificè susceptus est. Verùm ejus hostes tumultuati iterum, negaverunt se suscepturos Episcopum qui circumcisus non esset: *Omnes enim*, inquiebant, *in hac regione nostra præter eum circumcisi sunt*. Placuit hæc eorum expostulatio Regi, qui jussit illum circumcidi, quamvis senem. Verùm, cùm nudaretur, inventus est quasi octavo die à nativitate sua circumcisionem accepisset. Hoc ipse Episcopus ad Patriarcham scripsit, affirmans simul, se id huc usque nescivisse: unde nova autori historiæ, miraculi celebrandi occasio nata est: quasi inter Coptitas, quorum plurimi circumcidebantur, ut alibi dictum est, & dicetur inferiùs, miraculo tribuendum sit, quòd aliquis in pueritia circumcisus foret: quando & multos ab ipsis Muhamedanis per vim circumcisos fuisse legimus, quod adhuc sæpiùs fieri à fide dignis viris audivimus. Hæc Autor de duplici regno, Ægyptiacis finibus contermino, & quoniam traditio de illarum Ecclesiarum primordiis obscurissima est etiam apud ipsos Orientales, de illis pauca dicenda sunt; ne, quod viris doctissimis in hoc literarum exoticarum genere ni-

Res Æthiopicæ.

Circumcisio apud Abessinos.

mium sæpè contigit, narrationes singulares & in quibus aqua hæret, etiam eruditissimis, absque necessaria explicatione tanquam ænigmata lectoribus solvenda relinquamus.

Observata quædam de Nubiis.

De Nubiis jam dicta sunt nonnulla, ex quibus intelligitur ignorari penitùs an olim apud eos prædicatum Evangelium fuerit ante Arabum tyrannidem; an verò postquam in illorum potestatem Ægyptus venit, à Jacobitis Ægyptiis simul cum fide Christiana hæresin quoque didicerint. Omnino tamen verisimilius videtur, Nubios antiquitùs Christianos fuisse; ignorari verò quando & qua ratione fidem acceperint, quia apud Græcos & Latinos Autores Æthiopum nomine comprehenduntur; tum quòd, si Originum Æthiopicarum autoritatem sequimur, erant illæ provinciæ sub Regis Æthiopiæ potestate. Amplitudinem enim illius regni majorem omnino olim fuisse certissimum est, id testantibus non solùm Æthiopibus, sed Arabibus Christianis & Muhamedanis. Illorum Regum seriem qui tradiderunt primi, Damianus à Goez & Marianus Victorius eam non ita probaverunt, quin posterioribus vehementer suspecta fuerit: & ipse Jobus Ludolfus, qui res Æthiopicas pleno & laborioso commentario illustravit, de primis & antiquis regibus nihil fermè quod diceret reperit, nisi post illa quæ nunc illustramus tempora. Fieri igitur potuit, ut qui in Æthiopiâ regnabant, Nubiam quoque suprema cum autoritate obtinerent. Id tamen minus omnino certum, quàm quod ex hac historia & aliis multis intelligitur, Nubiam proprios reges habuisse: nam eorum mentio est in Historia Ommiadarum, primorumque Califarum, à quibus arma in hanc provinciam illata primis imperii Saracenorum annis, tributumque impositum communis opinio est. Factum id anno Heg. 31°, J. C. 651°, secundùm Elmacinum & multos alios, sub Abdalla filio Saidi, Ægypti Præfecto. Cum Rege pax inita est, magno captivorum numero imperato: mancipiis enim locuples, æris indigentissimus Rex ille, fuisse perhibetur ab omnibus historicis. Eo verò tempore, & proximis sæculis nullam adversùs Nubios expeditionem factam legimus: nam nihil ab imbelli populo timendum videbatur: intererat quoque novorum Dominorum, ut commercia quæ ex tota Africa inferiori per Nilum fiebant, non abrumperentur. Nam usque ad *Jenadel* sive Catadupas Nili, Nubii & Æthiopes navigabant: inde camelis per stationes diurnas decem, Assuanam quæ erat ultima Sahidæ seu superioris Ægypti urbs, merces variæ de-

P. 31.

ferebantur. Ita Geographus Nubiensis, Autor Mirabilium, Cazuinius, Abulfeda, Ebnelwerdi, Yacutus, Makrizius, Geographi Persæ duo, omnes tandem quos vidimus. Geogr. Nub. Clim. 1. P. 4. pag. 17.

Nubæ antiquitùs Christiani.

Jam autem Nubas Christianos fuisse, testantur omnes : neque esse aut fuisse in ea regione Muhamedanos præterquam paucissimos : quod sane argumentum est eos, cùm Muhamedani regionem penetraverunt, jam fuisse Christianos. Unde Geographus Nubiensis, nam de illis locus intelligendus est, *Dicuntur esse Græci, religionemque Christianam profiteri à diebus Coptitarum, ante exortam Muslemanorum sectam : verùm deficiunt à fide Christiana, sunt enim Jacobitæ.* Dici Græcos rectè scripsit, ad differentiam Romanæ religionis, quibus verbis absque dubio significatum voluit existimare illos se esse in antiqua Græcæ seu Orientalis Ecclesiæ fide : ab ea tamen declinare, quia Jacobitæ essent. Id verò præter hunc autorem testantur quoque Kazuinius, Abuselah Armenus, & alii, præter autores innumeros qui Nubiam collocant in Diœcesi Patriarchæ Alexandrini, ut alibi dictum est : quod instrumenta ejus electionis, & alia Acta publica ubi ejus tituli fusè describuntur, palam faciunt. Fieri autem potuit, ut à Frumentio & aliis, qui primi, vivente Athanasio, fidem apud Æthiopes Axumitas prædicaverunt, ad fidem Christianam conversi fuerint. Cùm verò Jacobitæ Alexandriâ, & tota ferme inferiori Ægypto pulsi sub ultimis Christianis Imperatoribus, in superiorem se recepissent, eamque totam hæresi sua infecissent, facile fuit, ut barbari incauti in eam traherentur. Nam statim atque memoria eorum occurrit in historia tam politica quàm Ecclesiastica, Jacobitis adnumerantur.

Postea Jacobiticam hæresin susceperunt. Eutych. t. 2. p. 387.

Quamvis igitur de Nubiæ Regibus vix plura scire liceat, nisi quòd fuerunt ante Muhamedem, & quidem Christiani : doceat quoque Eutychius Jacobitas factos Nubios fuisse eo tempore quo cathedra Alexandrina per annos multos absque Orthodoxo Episcopo fuit, ut superiùs observatum; non est cur de historicorum nostrorum sinceritate dubitemus, cùm Zachariam & Georgium Reges Jacobiticæ sectæ professores, & Jacobitarum Patriarchæ conjunctissimos fuisse testantur. De altaribus portatilibus dictum est quantùm satis : nec aliud notandum in hac disciplina, nisi quòd altaria ejusmodi incognita olim erant : nec nisi cum licentia Patriarchæ haberi poterant, aut in castris Liturgia celebrari : quod simili exemplo Turkestaniæ cuidam Regulo concessit Nestorianorum Catholicus. Hist. Nest. Mss.

Zachariæ, Georgiique ejus filii in Ægyptum, & postea Bagdadum missi, consecrati item altaris, & eorum omnium quæ historia Patriarchalis continet, meminit Abuselah Armenus in Chronico. Is Autor refert quoque expeditionem Kyriaci Regis Nubiæ contra Ægyptum, tempore Chaïlis Patr. 46ⁱ, de qua dictum est in ejus vita. Raphaelem Regem Nubiæ Christianum fuisse scribit, ædificasseque multas Ecclesias in urbe Dunkala, quæ secundùm Geographos est Nubiæ primaria, atque inter alias insignem unam, secundùm Architecturam Yrakensem : alias in urbe *Abrem :* præcipuamque B. Mariæ in qua testudo ingens, cui crux imposita. Tandem Georgium refert postquam in patriam rediisset, amplam Ecclesiam ædificasse, duxisseque secum Episcopos, Sacerdotes & Diaconos, qui ipsi sacra facerent ; obtinuisseque ab Emiro seu Califa, ut campanas haberent, quarum sonitu Christiani ad publicas preces convocarentur ; illæque, cùm Liturgia celebraretur, pulsari possent. Videnda etiam quæ de Nubiis dicta sunt in vita Chaïlis.

Zacharias & Georgius Reges Nubiæ.

De Æthiopica Ecclesia.

Quod Æthiopicam Ecclesiam spectat, qui in historia nostra Episcopus simpliciter vocatur, eum Metropolitam Provinciæ fuisse dubitare non possumus, qui scilicet Episcopos subjectos haberet, quorum tamen Diœceses ignorantur, sed ut ex antiquissima Orientalium disciplina in Canonibus qui Nicænis subjunguntur & dicuntur Arabici, Metropolitas alios ordinare non poterat, nec alibi quàm in Ægypto ordinari, de quo more erit etiam inferiùs dicendi locus. Neque Episcopis aut Clericis Æthiopiæ jus erat eligendi sibi Metropolitam, nam sufficienti numero non erant ut eum rite possent ordinare. Juris istius antiqui, quàm tenaces fuerint Alexandrini Patriarchæ Jacobitarum, multa exempla docent ; neque excusari poterant Æthiopes quòd Metropolitam suum expulissent. Verùm quòd remissum ex Ægypto Joannem suscipere noluerint, eò quòd circumcisus non esset, observatione dignum est. Hinc enim patet tunc apud Coptitas Ægyptios Circumcisionem in usu non fuisse, de qua deinde sæpè inter eos controversia fuit, eo tamen plerumque successu, ut inter indifferentia ille ritus haberetur, nemo ad circumcisionem cogeretur, imò post baptismum susceptum, criminis loco esset, ut ex variis Constitutionibus intelligitur. At inde etiam apparet, non adeo indifferenter circa hunc ritum Æthiopes se habuisse ; ac multis videtur, præsertim ex verbis quæ occurrunt in Confessione Clau-

Can. Ar. 36.

dii Regis Æthiopiæ, quam ante annos aliquot publicavit Jobus Ludolfus, nempe esse tanquam incisionem faciei in Nubia, aut perforationem auris apud Indos. Neque tamen negandum, ex tumultuantis populi facto, argumentum idoneum capi vix posse, quo demonstretur Æthiopes in periculoso illo errore versatos fuisse, quod Circumcisionem necessariam esse judicarent. Nam ad hæc usque tempora mittuntur ad eos Antistites Alexandriâ, quibus Circumcisio non imperatur. Neque tamen absolvendi omnino sunt Æthiopes à communi adversus eos autorum omnium accusatione, quòd Judaicæ isti observationi tam firmiter adhærcant.

Porro quis ille Joannes fuerit, cùm non occurrant catalogi Metropolitarum Æthiopiæ, dicere non possumus, nisi fortè is ipse sit cujus mentio est in Diptychis Liturgiæ Æthiopicæ Romæ editæ. Quod verò jam dudum ante illa tempora Æthiopes Christianam religionem profiterentur, non minus Arabes tradunt, etiam ipsi Muhamedani, quàm Scriptores Christiani. Neque prætereundum est Metropolitam illum, quem Joannem historia nostra vocat, Jacobum vocari à Makrizio, qui rem paucis narrat: ut etiam ab Elmacino, quem alter, ut solet, secutus est. *De Joanne Metropolita Æthiopiæ. Lit. Æth. p. 160. 3. Elmac. p. 145.*

Yuçabo postquam Nubiæ & Æthiopiæ res composuisset, visum est multos Episcopos ordinare, quos misit in Africam, Pentapolin, Cyrenen, seu Kirowan, Tripolin, Ægyptum, Æthiopiam & Nubiam, dicens periculum esse ne greges perirent, nisi multi pastores eorum custodiæ invigilarent. Hæc autem ordinatio Episcoporum plurimorum duplici ratione intelligi potest, vel quòd in sedes vacuas novos Præsules ordinaverit; vel quòd magis verisimile, Episcopos absque urbe, fixaque Diœcesi ad barbaras illas gentes miserit, novosque Episcopatus instituerit. Id enim persæpè factum est ab Patriarchis hæreticis, ut à Nestorianis maximè, qui in Turkestania, Chorasana, India, Sinarum Imperio Episcopatus & Metropoles instituerunt, quorum ne nomina quidem apud alias Ecclesias audita sunt. Ita ab Alexandrinis Patriarchis factum esse non dubitamus: nam cùm Lusitani in Oceanum Indicum penetraverunt, Christianos quosdam Jacobitas repererunt in Insula Socotra & aliis ad Mare Rubrum; qui cùm olim Orthodoxi fuissent, non aliam susceptæ hæreseos occasionem videntur habuisse, quàm cùm ob Arabum tyrannidem Græci Episcopi ad eos mitti non possent, Jacobitæ alios ex sua secta mise- *Episcopi ad varias provincias ordinati. Barros Decad. 3.*

rant, qui Catholicam fidem aboleverunt, ubi jam olim prædicata fuerat: ut Nestoriani in India suam mirum in modum propagaverunt. De Episcopis aut Ecclesiis in Africa interiori institutis, nihil apud Autores occurrit. Nam pauci qui ad Gregorii VII[i] tempora permanserunt, non Græcos ritus, qui in Carthaginensi Provincia nusquam fuerunt, sed Latinos sequebantur, Gothicos scilicet ex quibus ad nos illa officia pervenerunt, quæ Mosarabica appellantur, ab illis usurpata Christianis, qui sub Arabibus Africanis fidem suam servaverunt, ut in Hispania alii. Nam cùm Carolus V. expeditionem Africanam suscepit, Christianorum familias aliquot reperit, sed qui Latinos ritus conservaverant. Si verò per Africam ad quam Episcopos ut ad alias provincias misisse Yuçabus dicitur, intelligamus vastam illam continentem, quæ Oceano cingitur ad Australes usque remotissimas regiones, quæ Barbaris, Zingis, Fungis, aliisque ignotis gentibus habitantur, nullum apud illos repertum est Christiani cultus vestigium. Nam qui ad Maris oras reperiuntur, jam ab aliquot sæculis ex commercio cum Arabibus, quorum multi negotiationis causâ sedes ibi fixerunt, ad Muhamedanam religionem perversi sunt: Mediterranei verò, si paucos admodum excipimus, qui ex Nubiorum & Æthiopum vicinitate obscuram habent Christianismi notitiam, barbari plane & absque ullo exteriori cultu huc usque fuerunt.

Nova Jacobitarum calamitas.

Nova sub Almamone, ut videtur, vel Motasimo ejus successore, calamitas accidit: nam principis jussu (Ibrahimum vocat Autor, Almamonis fratrem, qui tamen nullam in Ægypto autoritatem obtinuit) venit in Ægyptum Eleazarus quidam Nestorianus, cum mandatis ab Imperatore, ut columnas marmoreas, præsertim quæ pretiosiores viderentur, auferri, & ad eum mitti juberet. Intelligendum est autem istum quem Nestorianismi incusant, Orthodoxum fuisse; nam statim Calchedonenses se eidem conjunxerunt, ut communicatis consiliis Jacobitarum Ecclesias spoliarent. Invidiâ majori eos accendebat, Ecclesia S. Mennæ in Mareotide, quæ sive columnarum pretium & raritas spectarentur, sive reliqua ornamenta, Alexandrinas omnes, atque adeo totius Ægypti longè antecellebat. Yuçabus contrà orabat, ut eam saltem intactam relinqueret, nec quidquam profecit: nam ablatæ sunt Eleazari jussu marmoreæ columnæ coloris varii, emblemata etiam quibus pavimentum distinctum erat, evulsa, & Alexandriam deportata. Patriarcha, conquisitis operariis, tabulas pictas,

pictas, & alia ornamenta substituit, detrimentumque quoad licuit, citissimè reparavit. Eleazarus hydrope correptus in summa egestate periit, ab ipso Patriarcha sustentatus. Verùm contradicit Autor Historiæ Sanutii, sive is ipse sit, sive alter: Joannes scilicet Diaconus qui ætate suppar fuit. Ait enim Eleazarum illum, quem in hac vita dicunt in summa egestate periisse, in Syriam vel Corasanam reversum obiisse, cùm filiis mandasset, ut ad Patriarcham Yuçabi successorem proficiscerentur, magnamque pecuniæ vim ipsi restituerent, in compensationem eorum quæ ab Ecclesiis abstulerat.

Sophronium tunc fuisse Calchedonensium seu Orthodoxorum Patriarcham scribit Eutychius, constitutum anno Motasimi 4°, Hegiræ scilicet 230°, J. C. 844°; Sedisse annos 13, fuisseque Philosophum & sapientem: quem tamen cùm pro defensione sanctarum Imaginum scripsisse adversùs Iconomachos dicit, verendum est ne nominum similitudine deceptus, quæ de Hierosolymitano dicenda erant, ad illum transtulerit. Neque enim istius Alexandrini apud Græcos & Latinos occurrit memoria. Ejus tamen, historia hæc nostra meminit, sed ita ut si vera referuntur, non omnino Orthodoxus credendus fuisse videatur. Dicitur enim arctam cum Yuçabo amicitiam coluisse, & ad ejus quodammodo sententiam accessisse, territum miraculo, edito adversùs Calchedonensem quemdam, qui ex Jacobitarum sententia blasphemaverat, quòd artificem Jacobitam audivisset, dicentem se *non posse laborare feriâ Parasceves magnæ, eò quòd ipsa die Verbum Dei crucifixum esset.*

Sophronius Orthodoxus Patriarcha.

Eutyc. t. 2. p. 440.

Anno post ordinationem ejus 7°, qui fuit Martyrum 554us, & rectè, siquidem an. 547° ea facta dicitur, J. C. 838°, in Oriente Cometes ingens Occidentem versùs apparuit in modum ensis: secuta est animalium mortalitas, adeo ut nec arari, nec seri terra potuerit: tum fames ingens, & pestis.

Mortuo Isaaco filio Andunæ Episcopo Wissim, ordinavit Yuçabus ejus loco Joannem Diaconum, rogantibus Misræ civibus ut eam Ecclesiam regeret, quam cum altera Isaacus retinuerat: Wissimæ Bekiram, qui paulò pòst obiit. Huic substitui volebat Theodorus Isaaci discipulus: sed eum Patriarcha ordinare nolebat sine plebis consensu, quæ eum rejiciebat. Theodorus à Præfecto Muhamedano petiit, numeratâ pecuniâ, ut ad ejus ordinationem Patriarcha cogeretur. Cùm negaret id posse fieri, Præfe-

Ordinatio Episcopalis per vim obtenta.

ctus Ecclesias Cahiræ, & primò eam quæ erat in Kacerelchema, seu Castro luminum, dirui imperavit. Jamque ad columnas usque perventum erat, cùm omnes rogaverunt Patriarcham ut Ecclesias ordinatione hujus viri à ruina redimeret; eum itaque ordinavit: tria etiam aureorum millia Præfecto mulctæ nomine repræsentare coactus est, quæ Christianorum Primores contulerunt: at ille adversùs Græcos missus, paulò pòst amissa exercitus parte, pessima morte extinctus est.

Diplomatibus calumniam repellit Patriarcha.

Lis ipsi apud Cadium seu judicem intentata postmodum, Episcopo Misræ & quibusdam aliis secretò conjuratis, ut ejus autoritatem imminuerent. Interrogatus à Judice quo titulo se super alios efferret, respondit, autoritate Dei, & Principum; simulque diplomata Almamonis & alia protulit; atque ita liberatus est. Ejusmodi Diplomatibus, quorum extant exempla varia, tuti erant Patriarchæ primis Muhamedani Imperii sæculis, atque ita rarissima erat ipsorum depositio: nam præcipuum ejusmodi privilegiorum fundamentum communi & antiquitùs observata lege nitebatur, ut Christiani suo jure suisque consuetudinibus uterentur, secundùm quas Patriarcha nonnisi à congregatis Episcopis deponi poterat. Verùm ex quo Turcæ rerum potiti sunt, nihil frequentius est, quàm ut solo Sultani nutu, Patriarchæ indictâ causâ deponantur, quæ vis ambitioni, fraudibus, & sceleribus omnibus viam aperuit.

Usus linguæ Copticæ.

Illud etiam in hujus narrationis serie animadvertendum est, quòd, cùm Yuçabus & Episcopi coram judice causam dicerent, & ille Episcopos contrariæ factionis adstantes vidisset, eos linguâ Copticâ allocutus est; quam Muhamedani quidam cùm intelligerent, verba ejus Judici retulerunt. Unde apparet adhuc in usu fuisse non modò inter Christianos, sed etiam in plebe, linguam illam veterem, quæ postmodum sublata prorsus ex communi sermone, in libris tantùm Ecclesiasticis conservata est.

Idem Judex, cùm prava adversùs Patriarcham consilia successu caruissent, ex mancipiis Ecclesiæ addictis, aliquot abreptos ad Muhamedanæ religionis professionem coegit, vehementer illo reclamante; tùm quòd Ecclesia ut bonis suis quondam ex Imperatorum Edictis liberè fruebatur, ita mancipia in ejus potestate esse deberent, præsertim cùm homines illi Christiani essent, sed nihil profecit apud iniquissimum judicem. Erant autem servi illi Græci, Nubii, Æthiopes, Africani.

Joannes Antiochenus Patriarcha. *Em. p.* 145.

Obiit interea Dionysius Parriarcha Jacobitarum Antiochenus; congregatique Metropolitæ, Episcopi, Clerus & plebs Jacobitica, elegerunt ejus loco Joannem anno Yuçabi 15°, Marryrum 562°, J. C. 846°. Is statim Synodicam Epistolam de unitate fidei scripsit, & per Athanasium Metropolitam Euphemiæ, & Timotheum Damasci, qui multos in comitatu Sacerdotes habebant, in Ægyptum misit. Yuçabus, ut eos cum majori pompa reciperet, Misrâ Alexandriam profectus est : ubi Epistola in publico consessu recitata est. Verùm eodem ipso rempore novâ calumniâ iterum accusatus, & à nefario illo judice verberari jussus, coram Metropolitanis illis Antiochiâ missis, magnum patientiæ specimen dedit. Postea datis ad Synodicas literas responsis, eos remisit.

Dionysii Patriarchæ Jacobitarum Antiocheni Epistola Synodica ad Chailem seu Michaelem Alexandrinum refertur in Tractatu *de fide Patrum* : is porro esse non potuit, qui an. 846° mortuus dicitur, si vera narrat historicus; dum ejusdem Dionysii obitum refert ad Yuçabi tempora. Potuit tamen falli collectaneorum illorum Autor : sed parum interest, cùm successionem Antiochenorum illorum Patriarcharum, nulla huc usque nobis monumenta satis expediant.

Monasteriorum status.

Magnam Monasteriorum curam gessit, præsertim eorum quæ sita erant in Valle Habib, quæ tunc florentissima erat magnâ Monachorum multitudine, inter quos non minus isto quàm præcedenti sæculo, si autoribus historiæ credimus, erant qui morbos, dæmoniaque oratione & signo crucis depellerent, qui futura prævidererenr; atque inter eos præcipuus Ammonas in Monasterio S. Joannis in monte Hermon, qui hujus vitæ scriptori prædixit, fore ut ad Historiam Ecclesiasticam quam legebat assiduè, continuandam, aliquando animum adjiceret. Erat quoque inter alios insignis Samaius Oeconomus Monasterii S. Macarii, cujus curâ & prudentiâ factum, ut Christianorum eleemosynis in pristino meliorem statum restitueretur, augereturque opibus, vinetis, olivetis, molendinis, torcularibus : omnibusque tandem ad vitam Monachorum sustentandam necessariis. Eò confluebant ob miraculorum frequentiam non modò Jacobitæ, sed etiam hæretici. Ædificavit idem Ecclesiam majori contiguam, sub nomine Discipulorum : quam cùm omnibus modis ornasset; invitavit Patriarcham ad ejus dedicationem, quæ perfecta est 1ª die Farmuti, anno ejus 17°. Sanutium

cùm magnopere commendasset, ob virtutes & curam Ecclesiarum quas instauraverat aut ornaverat, dedit illi baculum pastoralem quasi futuræ dignitatis notam, quippe is ad Patriarchatum pervenit, ut infià dicetur.

Præfecti insolentia. Anno 18° venit in Ægyptum Malek filius Nasser Præfectus, decessores suos nequitia & crudelitate superans, qui artifices & mercatores tam crudeliter vexavit, ut plerique ad summam inopiam redacti, urbes & patriam deseruerint, quærentes ubi vitam tolerare possent. Is Cellam Patriarchalem ingressus, non modò in ea cum concubinis suis comessatus est, verùm etiam ut locum Patriarcharum orationibus tanquam incenso consecratum pollueret, turpia cum fœminis patravit. Neque hac injuria contentus, eum in vincula conjecit, accusatione adversùs eum subornata, quasi ad Græcos scriberet, & ab illis pecuniam acciperet. Constrictum in angustissimo loco, quotidie multis plagis inflictis debilem, neque dormire, neque medicinam vulneribus suis adhibere permittebat, petens ab eo mille aureorum mulctam: tandem quadringentos solvere jussus est; & in alium carcerem conjectus, in quem detrusum se cum eo testatur Autor historiæ. Septimo post numeratam pecuniam die, mors Præfecti publicata est.

Mors Yuçabi. Paulò pòst Yuçabus febri correptus, septimâ postquam decubuerat die, obiit Dominicâ, cùm sacram communionem recepisset, 23ª Paophi, anno Martyrum 566°, J. C. 850°, qui est Hegiræ 236ᵘˢ, cùm sedisset annos 18. & menses 11. Sepultus est Alexandriæ prope alios Patriarchas. Elmacinus quamvis annum eumdem Martyrum numeret, mortem ejus assignat anno 242° Hegiræ sub Motewakelo; qui calculus, ut aliis in locis pariter peccatum est, stare non potest, secundùm Canonem de quo etiam ipsi Orientales consentiunt: numerandos esse annos Diocletiani seu Martyrum ab anno 284° J. C. qui est Imperii illius 1ᵘˢ, non à primo persecutionis, ut deceptus ab Ignatio Patriarcha Antiocheno Scaliger existimavit. Abulbircat annum 567ᵘᵐ morti Yuçabi assignat.

Res Muhamedanæ. Ut verò secundùm institutam methodum Epitomen rerum Politicarum cum Ecclesiasticis conjungamus, post Mutasimi mortem ejus loco constitutus est Haron Wathik-billa ejus filius an. Hegiræ 227°, J. C. 841°, qui cùm annos 5. menses novem regnasset, obiit anno 232° juxta Leb Tarich &

alios inter quos Ebn-Chekna : Elmacinus 231°, J. C. 245°. Successit ipsi frater ejus.

Mutewakel Jafar 10us ex Abbassidarum stemmate qui anno 247°, J. C. 861°, à sicariis occisus est, summissis, ut vulgaris opinio fuit, à filio Mustansiro. Fuit princeps ineptus, superstitiosus, crudelis, vinolentus ; tamen in bello adversùs Christianos strenuus. Contra avi & aliorum ferme omnium Abbassidarum morem, Haliadas odio prosecutus est, adeo ut sepulcrum Huceïni filii Halis dirui jusserit : sustulit quoque duram illam inquisitionem adversùs literatos, circa Alcorani creationem, ita ut liberum reliquerit unicuique eum librum creatum vel increatum existimare, cùm per annos fere quadraginta, nempe toto Almamonis tempore, gravissima persecutio instituta fuerit, tum adversùs eos qui ex communi superstitione putidam illam farraginem, tanquam Verbum Dei è rerum creatarum numero eximi volebant : tum adversùs alios qui Halin negabant esse creaturarum post Muhamedem præstantissimam. Reliqua ad illius Califatum pertinentia, quæ passim apud Muhamedanos Autores leguntur, ad Christianos nihil aut parùm pertinent : præter ea quæ à Makrizio referuntur, quasi sub Yuçabi Patriarchatu ; quamvis Autores Christiani nihil de iisdem memoriæ prodiderint, aut ad posteriora tempora retulerint.

Scribit Makrizius anno Hegiræ 235°, nempe biennio vel triennio postquam Califatum adeptus est Mutewakelus, publicatum esse edictum illius nomine, quo jubebantur tam Judæi quàm Christiani, quos vocant *Clientes & tributarios*, vestes coloris furvi induere, & zonis præcingi : tum etiam sellas jumentis, quibus veherentur, non alias imponere, quàm ligneas, & stapias ligneas : deferre etiam assumenta, seu fimbrias, diversi coloris in vestibus, ad mensuram digitorum quatuor : Mulieribus prohibebatur ne prodirent absque velo furvi coloris : æquè prohibitus viris balteorum usus. Jussit etiam Califa Ecclesias recenter ædificatas solo æquari, & ex earum fundis decimas exigi : super Christianorum domos affigi ligneas dæmonum imagines : vetuit ne ad ulla officia publica admitterentur : neve à Musulmanis literas doceri possent : ne crucem in Ecclesiis haberent : ne luminaria publicè prodeuntes accensa gestarent, ut in supplicationibus ex consuetudine fieri solebat : tandem, ut etiam erga mortuos sævitiam exerceret, sepulcra, quæ extabant, dirui præcepit. Anno 239°, J. C. 853°,

Nota Christianismi imperatæ.

confirmata priori lege de veſtitu, adjunctis etiam nonnullis, prohibuit ne Chriſtiani equitarent, ſed aſinis tantùm veherentur. Hæc ille, quæ, utpote accuratus rerum Ægyptiacarum ſcriptor, ſcire meliùs potuit; facta autem Motewakeli nomine ab Ægypti Præfectis credibile eſt: nam eâ lex ab ejus ſucceſſoribus ſæpiùs renovata, tandem per omne Imperium Muhamedanum invaluit, eritque de ea perſæpè dicendi locus.

Chaïl Patr. LIII.

CHAIL, ſeu MICHAEL PATRIARCHA LIII.

AB iſtius Patriarchæ vita incipit 3ª pars, & Tomus ſecundus Hiſtoriæ Patriarcharum ſecundùm codicem optimum Bibliotecæ Regiæ. Vocatur autem ille à Coptitis quidem in Catalogo Kircheriano Chaïl, & *Chaïal*; à Makrizio & quibuſdam aliis, *Michael*, quod idem eſt. Fuerat quondam ſcriba, ſeu, ut Græci vocant, Syncellus Yuçabi Patriarchæ, cùm eſſet in ordine Diaconorum, multaſque cum eo calamitates à barbaris præfectis ſuſtinuerat. Poſtea petitâ ab eodem licentiâ recipiendi ſe ad Monaſterium, Sacerdos ordinatus eſt, & paulò pòſt factus Hegumenus, ſeu Abbas, Monaſterii Joannis in Valle Habib. Erat autem in ſcripturis, & rerum Theologicarum ſcientiâ exercitatiſſimus. Igitur poſt Yuçabi obitum, votis omnium poſtulatus, ordinatus eſt Alexandriæ 24ª Athyr, cùm ſedes vacaſſet dies 30, ut ſcribit Elmacinus, & rectè; nam obitus alterius cùm inciderit in 23ᵃᵐ Paophi, qui eſt menſis immediatè præcedens, numerus ita convenit, ut electio præceſſerit uno die ordinationem.

Statim ab Ægypti præfecto, & iis qui tributo exigendo præerant ita vexatus eſt, ut vaſa ſacra diſtrahere cogeretur: unde vehementer afflictus, accedente infirma corporis valetudine, continuis precibus Deum interpellare cœpit, ut ſe tot calamitatibus per celerem mortem ſubtraheret. Profectus ad Deſertum ſanctum, hoc eſt Monaſteria Vallis Habib, ineunte Quadrageſima juxta morem Patriarcharum; ibi celebrato Paſchate, ægrotavit, obiitque 22ª Farmuthi, anno Martyrum 567°, cùm ſediſſet annum 1. menſes 5. vel, ut habent alii codices, annos 2. menſes 5. Sepultus eſt in Monaſterii S. Macarii Eccleſia, primus, teſte Elmacino, Patriarcha, qui ibidem ſepultus fuerit: atque ita Makrizius. Chronicus Canon apud Abulbircat anno Martyrum 568° mortem ejus aſſignat, & quidem rectiùs, ſi duos annos ſedit; ſed ſi unum &

menses 5, in an. 567um mors ejus incidit, nempe J. C 851um. De eo præterea nihil memoriæ proditum est. Vixit sub Califa Mutewakelo.

COSMAS PATRIARCHA LIV.

Cosmas Patr. LIV.

MORTUO Chaïle, Episcoporum & Populi consensu electus est Cosmas, Semnudâ oriundus, Diaconus Ecclesiæ S. Macarii : qui ordinatus est an. Martyrum 567°, 14a mensis Epiphi. Ita à decessu prædecessoris ejus, nempe 22a Farmuthi, ad eam diem intercurrunt menses integri duo, & dies 22 : qua ratione vacavit sedes diebus 81, non numerato inaugurationis die, quem numerum dierum sedis vacantis refert Elmacinus, & ex eo Makrizius, qui tamen ex falsa aliorum supputatione annum Hegiræ 242um, 1° Patriarchatûs Cosmæ alligat. *Elm. p. 152.*

Eodem anno cùm ad festum S. Mennæ maxima hominum multitudo ex more confluxisset, accidit ut duo viri nequam cùm in Ecclesia rixarentur, unus alterum strangulaverit. Ea occasione Præfectus Alexandriæ Ahmed filius Dinar, Cosmam in vincula conjecit; & variis tormentis cruciatum non priùs dimisit, quàm ab eo extorsisset omnia, quæ Christiani juxta consuetudinem ad Ecclesiam obtulerant, eleemosynarum nomine : tum vetuit ne Alexandriâ excederet. Interea duo Christiani Jacobitæ, unus Macarius filius Joseph, alter Abrahamus Severi, cùm primus in Divano Scribæ, alter in Officio Ærarii, coactoris Tributorum munus obtineret, effecerunt apud Ægypti Præfectum, ut Cosmas Cahiram vocaretur sub specie tributi persolvendi pro noviter adepta Patriarchali dignitate. Ita, cùm advenisset, habitatio ei assignata fuit ad urbis Orientalem partem in loco *Demira* dicto, ubi, præter Christianos, nemo habitabat. Postea duorum illorum favore, & aliorum Christianorum qui in Divano officia exercebant, res Ecclesiæ ex ejus voto compositæ sunt.

Statim scripsit Synodicam ad Joannem Patriarcham Jacobitarum Antiochenum, de fidei concordia : & eam misit per Episcopos duos, Severum & Chaïlem, adjunctis Sacerdotibus, qui cum gaudio & honore ab Antiochenis suscepti sunt. Ejusdem Epistolæ magna pars refertur in Tractatu de fide Patrum. Synodica ad Antiochenos. *Elmac. p. 152.*

Eo tempore missum est mandatum à Mutewakelo Califa, de quo dictum est superiùs ex Makrizio, qui illud perperam ad ulti-

ma Yuçabi Patriarchæ tempora retulit, quia scilicet deceptus parùm accurata comparatione annorum Martyrum, cum annis æræ Muhamedanæ, quæ apud Elmacinum & alios Autores extat; eam persecutionem adnotavit in loco non suo. Eo Edicto prohibitum ait Autor noster, ne Christiani Jacobitæ, Melchitæ, aut Nestoriani, ipsi etiam Judæi, albis vestibus uterentur; jussum ut supra domos eorum tabellæ ligneæ affigerentur; nempe cum figuris Dæmonum, ut Autores alii scribunt: ne publicum officium ullum tam in Aulico Ministerio, quàm in Divano exercerent, atque ut Ecclesiæ diruerentur. Ea persecutione factum, ut multi ambitionem & avaritiam anteponentes fidei, eam abnegaverint. Misit præterea in Ægyptum Abdel-Messiam quemdam, qui tributis colligendis præesset, adjunctis mandatis, ut, quemadmodum Bagdadi factum fuerat, ita in tota Ægypto Christianos persequeretur. Falli in illius Præfecti missi extra ordinem nomine Autores nostros verisimile prorsus videtur: neque enim competit in hominem Muhamedanum, ut Abdel-Messias, hoc est servus Christi, appellatus fuerit. Tum quod adjiciunt eum Persicæ Religionis fuisse, quamvis Muhamedanam, & quidem usque ad superstitionem, præ se ferret, convenit Hanbassæ filio Isaaci, qui circa eadem tempora, nempe an. 238° Hegiræ, Præfecturam Ægypti obtinuit à Mustansiro Motewakeli filio, vivo adhuc patre; sed qui illi Provinciam beneficiario jure obtinendam dederat cum aliis aliquot, ut apud Elmacinum videre licet, qui eam divisionem filiis à Motewakelo factam refert. Hunc autem Hanbassam fuisse Karegium, quod idem est ac Persicæ sectæ, testatur Ebnel-Verdi accuratus Ægyptiacarum rerum scriptor, quem alii sequuntur. Quia verò de Bagdadensi Christianorum persecutione nihil ferme apud Historicos legitur, pauca quædam ex Amro Mathæi filio, Nestoriano, quæ rem illustrant, in medium adducemus.

Persecutio Bagdadensis.

Narrat ille an. Hegiræ 238°, primo Sermenrayæ, ubi Califa potissimum commorabatur, Ecclesias dirutas, & Monasteria vastata; aucta Christianorum tributa; vetitumque edicto ne ad aulica aut publica ulla officia admitterentur. Inde, atque etiam aliis ex urbibus, ejecti Sacerdotes & Diaconi: vetitum ne Liturgia celebraretur; ne Christiani equis veherentur, ne coloratam vestem induerent, ne absque nota, quam in brachiis armillarum loco deferrent, prodirent; ne in publicum ullus procederet die Veneris,

Veneris, qui est Muhamedanorum festivus; ne pueri literas Arabicas docerentur; ne denique psallentium voces audirentur. Destructa sunt vi illius edicti Monasteria plurima, atque inter alia S. Joannis & Cyriaci, ubi ad festum Palmarum celebrandum magnus concursus erat: sepulcra solo æquata, & quorumdam, qui sanctorum loco à Nestorianis colebantur, ossa in flumen projecta. Hæc à Motewakelo facta Bagdadi & Sermenrayæ narrat Historicus Nestorianus, qui simul docet nos occasionem huic persecutioni dedisse suos, cùm magna inter eos esset de eligendo Catholico controversia. Jam autem eò res pervenerat, ut ambitu potiùs & largitione favoreque aulicorum ad Ecclesiasticas dignitates eveherentur Nestoriani, quàm liberis Episcoporum suffragiis. In aula porrò Bagdadensi, jam ab Almansoris ætate, magna fuerat quorumdam Medicorum gratia, qui plerumque Nestorianam sectam sequebantur, inter quos sub Motewakelo maximè floruerunt Bochtiechua, & Joannes filius Massoüia seu Mesue, qui diversas partes sequebantur. Hinc magnæ calamitates, dum unusquisque calumnias in alium intenderet, accedente diversarum inter se Ecclesiarum bello. Nam Melchitæ, & Jacobitæ Nestorianos impugnabant: hi utrisque nocebant, quotiescumque se offerret occasio. Ipse Bochtiechua, cùm Motewakelus ei cœnam indixisset, tanto apparatu principem excepit, tanta opum ostentatione, ut ab eodem fortunis omnibus spoliatus fuerit: ita scribit Abulfaragius ex Autore Historiæ Medicorum: Ipsi Medici celebres illi non adeo religionis cultores fuerunt, quin sæpè in Episcoporum offensionem incurrerent. Unde Honain filius Isaac, qui eo vivebat tempore, à Catholico excommunicatus fuit, quòd imaginem Christi conspuisset. Atque hæc sunt quæ ad Orientalis Ecclesiæ factam sub Mutewakelo Bagdadi, Sermenrayæ, & alibi passim, persecutionem spectabant. *Abulfar. Hist. Dyn. p. 171.*

Ille igitur novus Præfectus statim atque regionem ingressus est, cruces omnes ubique confringi jussit, nec eas in ipsis Ecclesiis superesse passus est: vetuit ne Christiani eas gestarent; ne in Ecclesiis orarent præterquàm submissa voce; ne defunctorum exequiæ cum precibus & reliquis ritibus Ecclesiasticis celebrarentur; tandem ne campanæ pulsarentur. Paulò pòst prohibuit omnino ne Liturgiæ celebrarentur: atque ut consilium nefarium suum perficeret, specie summæ in sua religione pietatis, jussit ne in tota Ægypto, præsertim verò Cahiræ, vinum emeretur aut *Vinum facititium ad Liturgiam.*

vendéretur : adeoque accuratè invigilavit, ut dolia effunderentur, neque importaretur, ut defecerit prorsus : atque ita factum est, ut Christiani non haberent unde Liturgiam celebrarent. In tali angustia ne penitùs sacrificio privarentur, palmites vitis, aquâ maceratos, exprimebant, atque eo succo ad Liturgiæ celebrationem utebantur.

Observatio de hoc vino.

Quod in summa necessitate factum est à Coptitis, non debet, ut à quibusdam Itinerariorum scriptoribus, aut aliis qui de religionibus scripserunt, factum est, ita accipi, quasi indifferenter illi usurpare soliti fuerint aut vinum, aut liquores alios quoscumque, si vinum desit, ut ex abnormis Protestantium Theologiæ regulis fieri posse Beza existimavit. Nam negant Theologi & Canonistæ Orientales offerri Eucharistiam posse, etiam in necessitate, ex vino ejusmodi per macerationem expresso : ita Michael, Episcopus Melichæ, Ægyptius, in Responsionibus Juridicis. Permittunt tamen aliquando recentiores alii, & id factitari apud Æthiopes, non Europæi modò, sed Asiatici quoque & Ægyptii Autores testantur. Non est verò existimandum ex sicco ligno, aquâ macerato, expressum liquorem ad calicis oblationem adhibitum. Verùm cùm vulgare sit illis in regionibus pensiles uvas cum ipsis palmitibus servare diutiùs, eas in aquam immittunt, tum iterum exsiccari sinunt ; mox torculari premunt, & ita fit vinum illud secundarium, quo in summa necessitate ad altaris ministerium usi sunt olim & utuntur etiamnum. An verò rectè faciant, nec nostra interest, nec est hujus loci disquirere ; cùm de illa disciplina dictum sit in Notis ad Coptitarum Liturgiam.

Idem Præfectus, sicut in Oriente factum erat, larvas dæmonum porcis insidentium, & similia terriculamenta in tabulis ligneis repræsentata domibus Christianorum & Judæorum superponi jussit : vetuitque ne albis vestibus uterentur, ne equis veherentur ; omnesque, qui in Aula aut Divano ministeria exercebant, expulit : tandem Christianos tot calamitatibus afflixit, ut plurimi fidem abnegaverint. Interea non solùm à Patriarcha, sed etiam à Monachis & Anachoretis continuæ ad Deum preces fiebant, ut plebem suam à tantis malis eriperet.

Miraculum in imagine.

Anno Martyrum 569, J.C. 853, venit alius cum potestate simili adhuc Christianis iniquior, à quo infinita mala perpessi sunt. Eo tempore imago Jesu Christi in Ecclesia Severi, latere aperto sanguinem emisit, quo cùm infirmi inuncti essent, sanati sunt. Imagines in

Monasterio S. Macarii, & in multis locis lacrymas effuderunt : signum nempe fuit futuræ calamitatis ; nam eo tempore Græci in Ægyptum exscensione facta Damietam & ipsam Cahiram populati sunt, ignemque injecerunt, abducta captivorum maxima multitudine, magnâque prædâ onusti recesserunt. Factum id an. Hegiræ 238°, J. C. 852°, secundùm Abulfaragium & alios. Ea occasione Præfectus, cùm classem adversùs eos comparat, iterum Christianos acerbiùs vexare cœpit : nam tributum duobus aureis auxit : præterea plurimos ad nautica ministeria inhabiles, coegit naves conscendere absque ulla mercede, vix ipsis cibaria subministrans : alios allegit in milites, arma suo sumtu unumquemque afferre jubens. *Hist. Dynast. p. 170.*

Missus est in tyranni illius locum Yezid filius Abdallæ, sub quo Christiani paulùm recreati sunt. Eo quoque Ægyptum administrante, Motewakelus urbes à Græcis direptas restaurari, & muris novis cingere aggressus est : Damietam scilicet, Tanis, Aschmoun, Taniat, Rechidum, Nesteruham, & Barles, quam Paralloou Ægyptii vocant, & quasdam alias. Ita etiam Elmacinus. Ducta quoque fossa ingens, ut aqua Alexandriam usque perveniret, navesque ad urbem commearent, & in ea navale tutum haberent qua ratione mercatores undique confluxerunt, & per maritima commercia urbs abundare & reflorescere cœpit. *P. 152.*

Patriarcha Demiræ sedem fixit, & in ea urbe per aliquot annos commoratus est summa tranquillitate, rerum, quæ ad Ecclesiam spectabant, curam gerentibus Macario & Abrahamo, inter Alexandrinos primariis, quorum operâ habebat ipse quæcumque necessaria sibi & suis erant : tum eleemosynæ in pauperes erogabantur, omnia etiam quæ ad Ecclesiæ cultum & ministerium pertinebant suppeditabantur. Nec modò Patriarchalia negotia, sed aliquot Episcoporum administrabant, summâ fide & diligentiâ ; quod onus, Macario extincto, Abrahamus aliquamdiu solus sustinuit, Monasteriorum quoque & aliarum Ecclesiarum curam habens.

Paulò ante morbum, qui supremus illi fuit, recepit se in locum quemdam Ægypti inferioris in Diœcesi Saca, dictum *Denuchtr*, ubi ædificavit Ecclesiam sub titulo S. Ptolemæi Martyris ; quam cùm perfecisset, obiit an. 21° Athyr, cùm sedisset annos 9, menses 5 : sepultusque est in eadem Ecclesia an. 575° SS. Martyrum, J. C. 859° : atque ita Hegiræ 245°, biennio ante Mo-

tewakeli mortem. Elmacinus, Chronicus Canon, Abulbircat, & Makrizius 7. annos, menses 5. numerant; & rectiùs: nam ab anno ordinationis, qui fuit an. 567us, undecimo mense Epiphi labente, ad an. 575um, non intercipiuntur nisi septem anni & menses aliquot.

Eutychii de ea persecutione testimonium.

Eutych. t. 2. 443.

Persecutionis sub Motewakelo meminit Eutychius Alexandrinus, qui ait: *Idem Bactishua* (ita scribere solet Pocockius; atque is est quem Boctiechua rectiùs vocamus) *medico iratus, in omnes provincias scripsit ut compellerentur Christiani zonaria induere, & vestibus suis pannorum segmenta assuere, à parte anteriori alterum, alterum à posteriori: atque equis vehi prohiberentur, & in sellis suis haberent funes, ac stapedibus ligneis uterentur, ædiumque ipsorum portis appingerentur Diabolorum imagines, vel*, secundùm aliud exemplar, *porcorum & simiorum*. Iræ erga Archiatrum causam retulimus ex Abulfaragio, nempe invidiam ex nimia divitiarum ostentatione: major adhuc, quod & ipse Boctiechua, & Honain, Tifuri & alii Medici, qui apud Sultanum plurimùm poterant, & omnes Ecclesias, & suam ipsorum conturbarent; suisque Antistitibus molesti, Jacobitis & Melchitis odiosissimi forent.

Referunt quoque ad ea Motewakeli tempora Eutychius, Elmacinus & Makrizius, initia turbarum circa cultum sacrarum Imaginum: quasi Theophilus Imperator eas ex Ecclesiis auferri jusserit, postquam didicisset esse in quadam Ecclesia Sacerdotem, qui ficto miraculo plebi illuderet, dum, immisso in imaginem Virginis plumbeo tubulo, lac ex uberibus ejus stillare faciebat. Omnes porrò Orientales, non modò cultum earum non exhorrescunt, aut idololatriæ proximum existimant, ut potiùs in illis colendis aliquando modum excedant. Exempla multa nobis suppeditat eorum Historia: & hoc ipso, de quo scribimus, Califa regnante, Honain filius Isaac, Medicus celeberrimus & famosus multorum Hippocratis & Aristotelis librorum interpres, à Catholico, supremo Nestorianorum Antistite, excommunicatus est, zonaque discissâ: (erat hæc Christianismi nota) eò quòd imaginem Christi conspuisset, ut citato loco refert Abulfaragius.

Hist. Dynast. p. 173.

SANUTIUS, ſeu CHENOUDA PATR. LV.

VARIE' hoc nomen apud Ægyptios ſcribi ſolet; in Copticis quidem libris, ut in Catalogo Kircheriano, Σινόδιος, Senodius: alii aliter: Arabicè vulgò ſcribunt *Chenuda*.

Cùm obiiſſet Coſmas ejus prædeceſſor, Epiſcopi & plebs Orthodoxa, hoc eſt Jacobitarum Laïcorum primores, Alexandriam convenerunt de ſucceſſore eligendo conſilium habituri menſe Cohiac, proximo ſcilicet poſt obitum alterius. Cùm eſſet verò magna inter Epiſcopos, Clerum Alexandrinum, & Laïcos ſententiarum diverſitas, ſoluto conſeſſu plerique Miſram venerunt, ubi iterum fruſtrà conſultatum eſt, multis Sacerdotibus & Monachis nominatis, auditiſque teſtibus eorum innocentiæ, caſtimoniæ, doctrinæque, & virtutum, quibus Patriarcham ornatum eſſe oporteret. Venerat tunc in urbem Sanutius Monachus, Oeconomus Eccleſiæ S. Macarii, de quo ſuperiùs dictum eſt, vir pietate & curâ Eccleſiarum, quas ornaverat aut ædificaverat, commendatus: & itineris cauſa alia non erat, quàm ut cum Abrahamo tranſigeret circa pecuniam fiſco debitam, Eccleſiæ nomine, cujus res adminiſtrabat. Finito negotio, ſtatim in deſertum redire feſtinavit, 27ª menſis Kohiac, ut in Eccleſia ſua feſtum Nativitatis Dominicæ celebraret, quæ in Coptico Calendario ejuſdem menſis 29ª celebratur: ea porrò dies reſpondet 25ª Decembris. Vix abierat, cùm votis omnium poſtulatus eſt tanquam præ cæteris Patriarchatûs honore dignus: miſſi, qui eum Miſram adducerent; & advenit in Eccleſiam S. Sergii eo ipſo tempore, quo, Anaphora incipiente, canebatur, *Dignum & juſtum eſt:* quæ verba, cùm ob neutrius generis differentiam, quæ apud Arabes & Coptitas nulla eſt, non minùs ad Præfationis Liturgicæ orationem, quàm ad Electi dignitatem commendandam pertinere viderentur, cum magnis acclamationibus ſæpiùs repetita ſunt: dignum eſſe eum dicentes, quem elegerat Dominus. Cùm ſe indignum, & verbis & lacrymis teſtaretur, vinctus eſt ferreis compedibus ne effugeret, & Alexandriam deductus comitantibus ſenioribus Monachis ex Valle Habib. Illuc pervenit 11ª menſis Tybi, quo die poſt ſiccitatem copioſus imber decidit, quod fauſti ominis loco acceptum eſt. Ordinatus eſt 13ª ejuſdem menſis anno 575° Martyrum, J. C. 859°.

Ejus electio.

Nomen Jesu Actis & literis præmissum.

Inter alia quibus Sanutii pietatem commendant, notatur ejus consuetudo, quòd nomen Domini Jesu Christi semper in ore haberet, primusque instituerit, ut initio literarum nomen ejus præmitteretur; quod Episcopi, imò Christiani omnes illis subjecti, secuti sunt. Et sanè in omnibus libris, aut Epistolis, quæ ad nos pervenerunt, & in Bibliothecis conservantur, semper initio nomen J. C. initialibus literis appingitur; & quidem apud Coptitas hunc in modum ΙC. XC. ΤC. ΘC. nam ita vulgò pro ΘΤ. quamvis ea quoque pia observatio apud alias omnes Ecclesias custodiatur.

Simonia impugnata.

Inter primas Episcopatûs sui curas nullam potiorem habuit, quàm ut, missis quacumque ad Episcopos & Sacerdotes plebemque literis, omnes vehementer dehortaretur à simonia, quæ jam invalescebat, commemorans apud ipsos pœnam Simonis Magi, Ananiæ & Sapphiræ. Simoniam, seu peccatum quod committitur, dum aliquid pro ordinatione, dignitate Ecclesiastica, aut alia ejusmodi promotione datur vel accipitur, vocant Arabes Christiani *Chartonia.* Ea vox detorta est à Græca χειροτονία quæ ordinationem sacramentalem cum impositione manuum significat, & pro ea etiam usurpatur in vetustis Canonum Syris & Arabicis versionibus. Quia verò peccatum idem totam χειροτονίας sanctitatem pessumdabat, factum est ut illa vox, pro ipsa malè data vel suscepta ordinatione usurparetur. Eam vocem intactam reliquit Erpenius interpres Elmacini, adeo ut sæpè de Patriarchis dixerit, quòd Sartoniam acceperint, obscuriùs quàm ut ab illis, qui Latinè tantùm hunc Autorem legunt, possit intelligi, cùm scribere debuisset eos pecunias pro ordinatione accepisse.

Synodicæ ad Antiochenos.

Scripsit Sanutius ex more Epistolam Synodicam de unitate fidei ad Jacobitarum Patriarcham Antiochenum, ad renovandam utriusque Ecclesiæ communionem: ea missa per Episcopos duos, Paulum & Joannem.

Quartadecimani in Mareoti le.

Erant in vico Mareotidis quodam hæretici infames Quartadecimani, qui negabant veritatem Passionis Dominicæ, aut Christum eam in corpore suo suscepisse, verùm eam sustinuisse tanquam somno sopitum affirmabant. Illi, cùm ad eos fama Sanutii pervenisset, ad eum venerunt, petieruntque ut formulam fidei sibi præscriberet: quod cùm fecisset, ejurarunt hæreses omnes suas & anathematisaverunt Gaïanum, Origenem, Apollinarium, Julianumque Halicarnasseum, omnesque perversas illorum sententias,

Tum dedit illis sigillum baptismatis sancti : Ecclesiam illis consecravit, & Sacerdotes ordinavit, qui illis Sacramenta administrarent. Veterum Quartadecimanorum reliquias fuisse illos hæreticos oportuit, quamvis de ea secta vix quidquam reperiatur illo, de quo scribimus, sæculo. Imò non tam ex illa secta fuisse, quæ tot errores non agnoscebat, sed ex Phantasiastarum, aut aliorum quorumdam residuis, qui ex Eutychiana secta cum Julianistis, Gaïanistis, Barsanufianis, & aliis prodierunt : atque post Muhamedanorum tempora Sacerdotibus & Episcopis destituti, multos insuper errores induxerunt. Quod autem hoc loco Autores hujus Historiæ scribunt, datum illis à Sanutio sigillum baptismatis, non de Baptismo, sed de Confirmationis Sacramento intelligendum esse multa suadent. Nam quamvis frequentiùs *Myrum* appelletur, voce Græca, quam, ut alias innumeras, usus Ecclesiasticus retinuit, ita quoque Σφραγὶς appellatur; quæ vox respondet Arabicæ à nostris Autoribus usurpatæ. Ut autem censeamus Quartadecimanos & Apollinaristas, quales erant hæretici illi, baptismo iterato receptos non fuisse demonstrat Canon 7us Concilii Oecumenici Constantinopolitani primi, quem, ut nos & Græci, habent Orientales in Collectionibus suis. Ait autem : τοὺς τεσσαρεσκαιδεκατίτας εἴτουν τετραδίτας, καὶ ἀπολλιναριστὰς δεχόμεθα διδόντας λιβέλλους, καὶ ἀναθεματίζοντας πᾶσαν αἵρεσιν, μὴ φρονοῦσαν ὡς φρονεῖ ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ καθολικὴ, καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία, καὶ σφραγιζομένους, ἤτοι χριομένους τῷ ἁγίῳ μύρῳ... καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Quartadecimanos, & Apollinaristas suscipimus, cùm dederunt libellos, & anathematisant omnem hæresin non eadem sentientem ac sancta Dei Catholica Ecclesia : signatos verò, seu unctos, sancto Chrismate... Eos verò obsignantes dicimus : signaculum, seu sigillum, doni Spiritûs sancti.* Itaque secundùm hanc disciplinam neque ut Quartadecimani, neque ut Apollinaristæ, multò minùs ut Gaianistæ & Julianistæ, baptisari debebant, quasi baptisma apud eos nullum fuisset. Accedit alia ex eadem Jacobitarum Ecclesia autoritas Pœnitentialis scilicet libri, cujus Autor est Dionysius Barsalibi, Episcopus Amidæ, qui Julianistas, quo nomine omnes Phantasiastæ comprehenduntur, per solam pœnitentiam recipi jubet, eisque reconciliandis, non minùs quàm Calchedonensibus, hoc est Orthodoxis, eamdem Orationem præscribit. Unde satis apparet quòd, si aliquando alia fuit Orientalium disciplina, (fuerunt

Confirmatio hæreticis conversis data.

Conc. Cp. I. c. 7.

enim qui Melchitas & Francos, seu Latinos, cùm ad suam Jacobiticam Ecclesiam venirent, baptisari vellent) factum id est posteriùs, & per impiam quorumdam hominum temeritatem & ignorantiam, qui contra leges Ecclesiasticas suis ipsorum libris stabilitas, tale baptismi iterati sacrilegium invexerunt. Origo illius novitatis non minùs absurda est: nam cùm in fragmentis, quæ extant Arabicè & Syriacè Conciliorum Africanorum, Carthaginensis sub Cypriano de rebaptisandis Hæreticis particulas reperissent, moti autoritate tanti nominis, ignarique prorsus historiæ Ecclesiasticæ, baptismum Hæreticorum nullum esse hujus Concilii testimonio probari existimaverunt. Eam tamen opinionem refellit Severus Antiochenus iis verbis quæ reperiuntur in Syrorum Nomocanone; ubi etiam asserit, baptismum Julianistarum suscipi, sicut & Calchedonensium.

Ejus ædificationes. Alexandriam reversus visitare cœpit Ecclesias, & loca in quibus ædificatæ olim fuerant, sed quas restaurarare non licuerat. Cella Patriarchalis, seu Patriarchium, eo in loco erat, quod aiunt Græcè vocatum fuisse χειροτονίας ubi pauperibus hospitium erat. Elmac. p. 161. Cùm verò aqua nulla ibi esset nisi salsa & amara, neque dulcem haberent nisi magno labore advectam; Patriarcha ut publicæ necessitati obviam iret, fossam duxit ab ea quam Motewakelus duci jusserat, ut Alexandriam usque navibus veniretur: atque ita magna aquæ salubris copia eum in locum deducta est. Aquam præterea deduxit per canales subterraneos in domos Alexandriæ, ut haberet unusquisque in puteis & cisternis suis refrigeratam & puram. De canalibus illis & fornicibus subterraneis multa leguntur apud Arabes, & recentiores Autores; quæ opera, quandoquidem ante Muhamedanorum tempora facta sunt, alii ad Alexandrum urbis conditorem, alii ad aliquos ex ejus successoribus referunt: ad quos potiùs, aut alios veteres opibus potentissimos, hoc opus sumtus infiniti pertinere videtur, quàm ad Copticarum Patriarcham sub durissima Arabum servitute quotidianis multis, & deprædationibus exhaustum. Sanè sunt Historici, qui hæc opera ad Motevaκelum referunt. Ædificavit etiam suo sumtu puteum in vico quodam Mareotidis, rogatus ab incolis, eò quòd milliari & ampliùs distabant ab aquis; unde magnum ipsis commodum ex dulcis aquæ abundantia.

Ep. Paschalis de fide Jacobitica. Attentus quoque Sanutius spirituali gregi suo, Paschales seu Hortasticas literas magnâ curâ scribebat. Inter alias laudant, quas

quas scripsit anno Patriarchatus sui 2°. in quibus οἰκονομίαν, seu Incarnationem Verbi, ex eorum sententia accuratissimè explicavit; ita autem ejus verba referunt. *Credimus etiam quòd in fine temporis; Deus, cùm dignatus est salvare genus nostrum à servitute, misit Filium suum unigenitum in mundum, qui incarnatus est, similis nobis in omnibus factus, ex Spiritu sancto & ex Maria Virgine, assumto corpore perfecto, absque peccato: corpore, inquam, animâ prædito, modo incomprehensibili; fecitque corpus illud unum secum, seu univit illud sibi, absque alteratione, commixtione aut divisione: ita tamen ut una natura fuerit, suppositum unum, persona una. Passus est in corpore propter nos: mortuus est & surrexit à mortuis secundùm Scripturas; & ascendit in cœlum, seditque ad dexteram Patris. Cùm verò dicimus, Deum passum esse pro nobis & mortuum, secundùm fidem intelligimus, eum pro nobis passum esse in corpore, cùm ipse sit impassibilis, Deusque ille unus; quemadmodum docuerunt nos Patres Ecclesiæ sanctæ. Quicumque verò per blasphemiam eum dividens, asseruerit Deum Verbum, neque passioni neque morti esse obnoxium; sed hominem ipsum esse qui passus & mortuus fuerit; atque ita diviserit illum in duo, Deum Verbum ex una parte, & hominem ex altera: ita ut in duabus naturis aut duabus personis constare eum existimet, quarum utraque operetur, quæ naturæ suæ consentanea sunt: ejusmodi homines ita introducere moliuntur fidem impuram Nestorii, Conciliique profani & obscæni Calchedonensis, contra Fidem Orthodoxam. Illos anathematisat Ecclesia universalis Apostolica; illos fugimus & execramur, anathematisamusque eos qui confitentur quòd Deus Verbum post unionem incomprehensibilem duas naturas habeat. Nos verò rectè confitemur, quòd Deus Verbum suscepit in se voluntariè passiones in corpore: neque enim dubium est, unionem omnino & in omnibus unam esse. Quippe naturæ, quæ primùm unitæ sunt, nulla omnino ratione separantur, Verbo ita dispensante, cùm sint inseparabiles, etiam in ipso passionis tempore, quam in corpore suo suscepit. Alioquin incideremus in errorem similem Photini & Sabellii, qui impiè asseruerunt divinitatem recessisse, humanitatem verò cruci affixam fuisse: quos, & sententias eorum impias, anathematisamus, eorum ἀνθρωπολατρείαν fugientes.* Hæ literæ, cùm ubique lectæ fuissent, magnâ reverentiâ auditæ sunt, cùm agnoscerent omnes, ut Autor existimat, in ejus verbis

puram S. Cyrilli aliorumque sanctorum Patrum doctrinam.

Querelæ contra expositam ab eo fidem.

Fuerunt tamen in Thebaïde, præsertim in pago quodam, *Belina* dicto, non pauci, qui apertè contradicerent, eumque depositione dignum dicerent, quòd divinæ naturæ mortem adscriberet. Quæ cùm ad Sanutium perlata essent, scriptis aliis literis eos, & quicumque eorum partes sequebantur, ad suam sententiam reduxit : unde veniam ab eo postulaverunt, per Episcopos ex Thebaïde ad eum missos. Illi in solennitate Paschatis coram tota Ecclesia in Monasterio S. Macarii, factâ publicè Metanoeâ, seu prostratione, errorem suum confessi sunt, eumque abjuraverunt. Cùm verò adessent Episcopi Semnudæ, & Moniet Tama, qui in eadem, ac Sahiditæ, sententia erant, nec ab ea resipuissent, subitanea & infœlici morte perierunt Panopoli, priusquàm ad Diœceses suas redirent, secundùm prædictionem Sanutii, qui de eorum perversa fide monitus fuerat, à quodam qui eos colloquentes, doctrinamque Patriarchæ quasi novam & peregrinam deridentes, audierat. Miracula enim huic homini non deesse voluerunt, sicut ejus prædecessoribus, Autores Historiæ, qui tamen hoc loco meminisse debuerant, illum, etsi signa talia edidisset ut montes transferret, graviter tamen peccasse contra fidem & Ecclesiasticam disciplinam, dum Episcopos accusatos ab idoneo teste, quòd adversùs dogmata, quæ Jacobitis Orthodoxa judicantur, apertè declamarent, intactos ad sedes suas reverti pateretur, & ad preces converteretur, ut à Deo miracula postularet, quibus vindicaretur Episcoporum impietas, quam ipse depositione aut pœnis aliis Canonicis coercere debuerat.

Miraculis annumerant, quòd eo tempore filii Præfecti, quem Eleazarum nominant, & cujus nomen variè omnino scribitur, à quo Yuçabus, sive Josephus, Patriarcha multa passus fuerat, in Ægyptum venerunt, cum magna pecunia. Eam patris mandato, quod antequam è vivis excederet illis dederat, Patriarchæ, aut ejus successori, restituere jubebantur. Is autem erat qui, cùm vasa Ecclesiæ auferri jussisset, calicemque coram se confringi, sanguinem ex eo profluentem viderat. Quo miraculo & conscientiâ pressus filiis imperaverat, ut restitutis, quæ per vim Ecclesiæ rapuerat, bonis damnum compensarent, veniamque à successore Yuçabi postularent. Erat ille in urbe Saca, cùm illi ex Chorasana venerunt : eos benignè excepit, offensam remisit, sed pecunias accipere recusavit.

Obitus Mutewakeli Califæ.

Circa ea tempora obiit Mutewakelus, scelere Mostansiri filii sublatus, cujus obitus cùm, ut superiùs notatum est, assignetur ab Historicis Muhamedanis an. Heg. 247°, qui est J. C. 861us; rectè circa 2um Patriarchæ hujus annum mutatio Præfectorum ascribitur; demonstraturque simul error Elmacini & aliorum, qui annos Martyrum parùm accuratè cum Arabicis composuerunt. Ait Autor Mostansirum, statim atque Califatum obtinuit, omnes Præfectos Provinciarum, qui à patre ejus missi fuerant, in ordinem redegisse, illisque successores designasse. Verùm hæc aliter accipienda sunt: nam cùm sexto mense Mostansirus perierit, neque Præfectos novos in Ægyptum misisset; factum id fuit, quia Ægyptum & alias Provincias beneficiario jure à patre possidendas acceperat: atque ita, qui ejus nomine Provinciam administrarent, ab eo designabantur. Amotus quippe fuit Hanbassa, is de quo dictum est, anno Hegiræ 242°, quinquennio ante Mutewakeli mortem: diciturque fuisse Arabum ultimus, qui Orationis in Meschita solenniter ex Ambone peragendæ, nomine Califæ, autoritatem habuerit. Yezid filius Abdalla filii Dinar, ejus successor, in dignitate à Mostansiro confirmatus, eam toto illius Califatûs tempore conservavit. Ita Ebnwerdi, Makrizius, & alii rerum Ægyptiacarum Scriptores. Is verò, de quo loquitur Historia Patriarchalis, vocatur Ahmed filius Muhamed, vir improbus, & sævitiâ omnes alios longè superans. Statim quippe duplicavit tributa, aut etiam triplicavit: Monachos censeri novumque ab illis vectigal exigi præcepit, ex herba, fructibus arborum, palmetis. Tum Patriarcham conquiri jussit, qui anxius, & quid consilii caperet nescius (verebatur enim ne se absente Monasteria & Ecclesiæ detrimenti quidquam acciperent): tandem fugiendi capto consilio, errare per loca deserta, & remotiora Monasteria cœpit, modò pedibus cum uno suo discipulo iter faciens, modò navigans. Præfectus, Oeconomos Ecclesiarum comprehendi, earumque suppellectilem omnem, bona quoque Episcoporum abripi jussit, & ad Divanum deportari, Ecclesias Misræ claudi; adeo ut Christiani ubi Liturgiam celebrarent, locum non haberent, præterquam in unica Ecclesia. Patriarcha mensibus sex, hiemeque sæpè locum mutare coactus, maximas calamitates perpessus est. Tandem cùm apud se constituisset offerre seipsum Præfecto, si fortè suo periculo Ecclesias liberaret, profectus secretò per avia itinera Cahiram pervenit, ubi apud Christianum latuit. Inde

Nova Ægyptiorû Christianorum persecutio.

scripsit ad Præfectum securitatem petens, quam etsi non obtinuisset, verùm acerbas & minaces literas retulisset, noctu tamen fiduciâ in Deum plenus, ad ejus januam adstitit. In Divanum introductus est cum Menna discipulo & secretario suo. Eo die blandè illum allocutus Præfectus dimisit. Triduo elapso, jussit ut pro Ecclesia sua quotannis duo aureorum millia tributi nomine solveret: Monasteriis duo millia & trecenta imperavit, coegitque ut duorum annorum tributum repræsentaret: quòd magnæ Ecclesiarum calamitatis causa fuit. Factum id anno Patriarchatûs 3°, Martyrum 598°, J. C. 882°. Consuetudo erat ut Misræ & vicinæ regionis Christiani duo circiter aureorum millia vectigalis titulo solverent: jam verò sex millia ab illis exigebantur, adeo ut per capita drachmas quinquaginta fisco penderent. Ea occasione multi ad summas angustias redacti, fidem abnegaverunt. Scripsit ad Episcopos, ut quo in statu suæ & Ecclesiæ res essent cognoscerent, simulque eos consolaretur, & mutuam ab illis consolationem expeteret. Venerunt Misram, collectâque, quantam potuerunt, pecuniâ, eam tamen, quæ Patriarchæ imperata fuerat, conficere nequiverunt.

Historia de Patrum scriptis combustis.

Subjungit Autor eodem tempore significatum esse Patriarchæ quòd in Sahide, sive Ægypto superiori, multi à fide Jacobitica declinarent, & in varios errores incidissent, seducti à sene quodam perverso. Illuc igitur, periculis & molestiis longi itineris contemtis, profectus, ad eos congregatos verba fecit, multosque ad suam sententiam reduxit, prolatis testimoniis, ex Cyrilli aliorumque Patrum operibus. Cùm verò Cyrilli autoritate senex ille premeretur, temerè in publico conventu dixit: Quid nobis cum Cyrillo. Ea propter Sanutius illum excommunicavit, simulque cum sectatoribus Ecclesiâ ejecit. Aiunt senem illum combussisse scripta SS. Patrum multa quæ errori ejus adversabantur, præsertim duodecim Cyrilli Capitula, ut quosdam Epiphanii & aliorum Patrum tractatus. Quid significent Jacobitæ hâc historiâ suâ, haud facilè assequi possumus: neque enim veram esse oportet, qualis describitur, nisi nova quædam hæresis orta intelligatur, quòd tamen non exprimunt. Sed si ejusmodi fuisset hæresis, quæ Christianæ fidei fundamenta convelleret, ut illa Abrahami, de qua superiùs, aut Quartadecimanorum, vel eorum tandem, de quibus suprà dictum est, Phantasiastarum, non erat cur id à Scriptoribus taceretur. Existimandum igitur sermonem hunc satis obscurum spe-

ctare ad aliquam cum Melchitis seu Orthodoxis controversiam, qui, quamvis in Thebaïde paucissimi essent, Jacobitis comparati, qui à schismatum initiis hæresin suam per Monasteria & urbes disseminaverant; erant tamen inter eos qui Jacobitas aggrederentur, eorumque errores refellerent. Fieri igitur potuit, ut eâ causâ Sanutius in Sahidem profectus sit, nempe cum homine illo disputaturus. Eum verò, qualiscumque fuerit, Melchitam non dubitamus fuisse: nam Jacobitis solenne est, ut Cyrillum quasi Melchitis refellendis opportunum scriptorem laudent magnopere, fuisque persuadeant, non minori invidia apud Calchedonenses, quàm apud Nestorianos contemni illum sanctissimum doctorem. Hinc occasionem habuit non minùs frequens calumnia, quasi Cyrilli scripta à Melchitis corrupta sint aut abolita, cujus specimen in hac ipsa narratione deprehenditur.

Diaconi insidias qui oblatâ pecuniâ postulaverat ut se Episcopum ordinaret, repulsusque insignem adversùs eum fraudem comparaverat, nempe ut syngrapham à quodam Monacho Syro, quem habitu Patriachali ornaverat, fingi curaret, quâ se debitorem grandis pecuniæ confiteretur, adhibitis Muhamedanis testibus: alterius ex eadem religione hominis monitu evasit; & impostori veniam dedit.

Eo tempore mortuus est Mustansirus, Mutewakeli filius, anno scilicet Hegiræ 248°, cùm sex tantùm mensibus imperium parricidio adquisitum tenuisset. Successit ei Mostaïen, ejus frater patruelis, qui anno 252° depositus est & occisus, Califatu in Mutazzum, Motewakeli filium, translato. Anno verò 255°, J. C. 868°, depositus est Mutazzus, & paulò pòst in carcere vitam finiit veneno aut inediâ; fuitque 14us Califa ex Abbassidarum Stemmate: mox inauguratus Mehtedi, filius Wathik, filii Mutasim. Sub istis principibus magna in Ægypto mutatio rerum facta est, de qua dicetur inferiùs. Narrat Autor durasse bella inter illos principes civilia usque ad annum, quo hanc historiam scribere aggressus est, Martyrum 582um, Hegiræ 252um, qui incidit in J. C. an. 866um, ineuntem à 21^a Januarii; quem calculum, ut accuratum, observare oportuit, quia omnes ferme annorum Arabicorum cum Ægyptiis compositiones, quæ huc usque occurrerunt, falsæ deprehenduntur. His bellis interrupta sunt commercia inter Ægyptum & Orientem; cùmque Præfectus eventum expectaret, ut victori se addiceret, negociatores commeare prohibuit: Califarum successio.

nec segniùs colligendis tributis intentus, ingenti calamitate populos, præsertim verò Christianos oppressit. Victor Motazzus in Ægypto proclamatus est, publicâ omnium lætitiâ, quòd ista victoria finem bello factura videbatur, tum etiam prædationibus quas in Thebaïdem effusi Arabes, nemine obsistente agere cœperant. Nomades eos fuisse, scribit Autor historiæ, qui in montibus & desertis habitabant, ex ea scilicet gente, quam nunc mutato nomine *Turcomanos* vocant, qui per desertum in Ægyptum penetrantes, tam Palæstinam quàm Ægyptum, huc usque latrociniis infestant. Magnas illi in Sahide strages fecerunt; monasteriaque multa vastaverunt, atque inter alia Monasterium Sanutii seu Chenudæ; Kalmon prope Fium: S. Pacomii circa Taka, prope locum dictum Birhowas: castella multa incenderunt, magnam cædem monachorum & sanctimonialium fecerunt, virginibus sacris vitium obtulerunt.

Diplomata Christianis tuendis concessa.

Abraham & Severus, viri inter Christianos primarii, ut tot calamitatibus, si fieri posset, finem invenirent: statuerunt ad aulam Sultani proficisci; quod consilium Sanutio significaverunt. Ille eos plurimùm hortatus, benedictionemque apprecatus per literas, eos dimisit. Ipsi per amicos Christianos qui erant in aulico ministerio admissi, sigillum obtinuerunt, seu Diploma Imperatorium, quo omnia quæ crudeliter, & contra privilegia Califarum adversùs Christianos commissa erant, irrita declarabantur. Diploma illud concessisse aiunt Mustansirum, nihilque defuisse præter subscriptionem; sed cùm mortuus esset, ad Mustaïenum ejus fratrem, vel potius agnatum, accesserunt Abraham & Severus, obtinueruntque, ut idem Divani sententiâ confirmatum, ab Imperatore subscriberetur. Illius mandati summa fuit, ut Christianis restituerentur Ecclesiæ, Monasteria, vasa, ornamenta, terræ, bona & quæcumque per vim ab ipsis ablata erant, utque suis legibus viverent. Videtur autem auctor hallucinatus circa Califæ nomen: neque enim sub Mostansiro qui sex tantùm mensibus imperavit, fieri hæc potuerunt: ut Abrahamus Sermenrayam, & Bagdadum proficisceretur, & Diploma ab eo Principe obtineret, qui tam diræ persecutionis Autor extiterat.

Rebus ita compositis acceptoque Diplomate, missa sunt ejus exempla per totam Ægyptum, cœperuntque Christiani restituere in pristinum statum Ecclesias & Monasteria: Monachi qui Arabum manus effugerant, ad ea undique confluxere. Misit quoque Sanutius

ad Episcopos literas consolatorias, cum exemplo Diplomatis, atque ita à Farma usque ad Assoüan omnia Christiano cultui dicata loca, reparari cœperunt.

Sequuntur quædam satis obscura, quæque explicari parum interest, nec omitti tamen debent. *Erant*, inquit Autor, *nonnulli qui Pascha eo anno quo Christus crucifixus est incidisse dicebant in diem 26um Farmuti*, qui mensis partim Martio, partim Aprili respondet. *Docuit autem eos Sanutius Resurrectionem J. C. Domini fuisse anno Mundi 5534o: crucifixum esse feriâ 6a, 27a Famenoth, quem Arabes vocant* Barmahat, *quo die Adam ex Paradiso ejectus est: resurrexisse 29a ejusdem mensis, die dominica.* Ita Eutychius, quantùm ad diem, aliter Abulfaragius & alii. Cùm verò quæstio hæc de Paschate primo Resurrectionis Domini, ad doctos potius & Chronologiæ peritos, quàm ad plebem aut ipsos etiam Episcopos pertineat, suspicari possumus, accidisse ut per fugam, continuasque persecutiones, quibus Patriarchæ obnoxii erant, omiserint aliquando Paschales Epistolas scribere, quæ ex veteri consuetudine Alexandriâ mittebantur, ut quo die Pascha celebrandum erat Episcopi docerentur, quod ex Athanasii, Theophili, Cyrilli, tum multorum Jacobitarum Epistolis patet, quæ idcirco Paschales seu Heortasticæ appellantur. Credibile igitur est Episcopos quosdam in computo Ecclesiastico aberrasse, & eo quidem prætextu, quod primum Pascha non rectè constituerent. Eaque ratione coactum Sanutium eos docere, quæ communi opinione in Alexandrina Ecclesia tenebantur, circa Epocham Passionis & Resurrectionis Dominicæ. De Paschatis celebrandi die legitimo.

Miracula quædam subjiciuntur: nempe quod post triennalem siccitatem precibus suis pluviam impetraverit, quod iniquum Sacerdotem qui viduæ injuriam in quodam negotio faciebat, frustra reprehensum ita puniverit, ut ager ejus, cæteris irrigatis aridus permanserit.

Novæ calamitatis illius, per siccitatem, non magis quàm miraculi certa fides est: nam eo tempore in multis quos habemus libris, præsertim Historia Nili & Ebn-Werdi legimus, Nilum ad justam mensuram excrevisse, qua ratione siccitas nocebat minimùm, nisi fortè de imbre illo æstivo locus intelligendus, quem *guttam* nunc vocant, qui ros potiùs, quàm imber ad puteos, & canales implendos idoneus est. Neque magis confirmare ex aliis autoribus possumus, quæ sequuntur, de rebellione cujusdam ex Calamitates aliæ Ecclesiæ vexatæ. *Ebn-werdi Ms. Ar. p. 1.*

civibus Alexandrinis, qui magnam Provinciæ partem Arabum copiis suffultus, vastavit, incensis Monasteriis, & Ecclesiis, atque inter multas, celebri illa S. Mennæ in Mareotide, S. Mariæ Athribæ, & aliis. Eam vastitatem Autor pluribus verbis prosequitur, sed ita ut tempus non assignet, quamvis Alexandriam ab illis rebellibus obsessam, civesque ad summam angustiam rei frumentariæ redactos scribat, qui tamen navibus Reschidâ missis, commeatum acceperunt. Ita servata civitas quam incolæ muro novo cinctam munitiorem reddiderunt. Intelligitur tamen historiam hanc secundùm Autoris sententiam referri debere ante annum Hegiræ 252um, J. C. 866um. Nam paulò pòst quasi in vindictam tot malorum quæ à Præfecto Misræ Ebn-Elmodir perpetrata erant, rebellatum esse adversùs Califas multis in provinciis scribit, præsertim in Arabia, occupata Mecca à quodam Principe, Muhamedanorumque sacrario profanato, adeo ut equi in templo stabularentur; interruptamque fuisse Muhamedanorum peregrinationem. Hæc autem de alio intelligi non possunt quàm de Haceno, Halis pronepote, qui anno Hegiræ 251°, J. C. 865°, in Deilema rebellavit; & conjunctis cum alio Haliada copiis, postquam Kazuinâ potitus esset, Raïam & Tabaristanam totam occupavit: mox in Arabiam duxit, Meccamque & Medinam obsedit, urbesque illas commeatu intercluso ad extremam famem adegit: tum peregrinos adortus, quorum magna pars siti & fame perierat, magnum eorum numerum occîdit: ipse quoque cum suis, pestilentiâ quæ famem consecuta est, periit anno Heg. 252°, J. C. 866°. Hacenum vocat Elmacinus: Huceïnum Ebn-Werdi: qui ad Ismaelem quemdam filium Yucephi, ex eadem Halis familia refert cladem Arabiæ illatam, Muhamedanamque peregrinationem tanto cruore violatam, quod Haceno Elmacinus adscribit: tanta est autorum inter se discrepantia.

Elmac. p. 158.

Præfecti Ægypti.

Aliam quoque temporis notam habemus, quod eo ipso tempore scribit Autor noster, Deum populi misertum fuisse: ità ut novus in Ægyptum Præfectus mitteretur Muzahem, filius Hakan. Erat ille Turcicæ originis: natus Bagdadi, patre Hakano Turcâ, Viziro Motewakeli, cum quo interfectus fuerat; sed cùm magna esset in Califarum aula Turcarum autoritas, dignitatem ille suam sub Mutazzo retinuit, & insignem præ cæteris, Ægypti præfecturam obtinuit, amoto Yezido filio Abdallæ, Turcâ pariter, qui eam per decennium obtinuerat. Unde intelligitur sæpè ut in hoc etiam

etiam loco Scriptores Christianos hallucinatos fuisse, dum Ægypti Præfectos vocant, non qui revera tales essent, quique Orationis publicæ jus haberent, sed eos qui Provinciæ tributis colligendis præerant, vel Misram gubernabant : nam Yezid ille toto decennio hanc dignitatem obtinuit. Muzahem cùm copias ex Oriente adduxisset, constantes ut plurimùm ex Turcicis militibus, quibus Ægyptii pares non erant; habitoque delectu, cùm eas auxisset, rebelles compescuit; magnamque illorum stragem edidit : cùm in tractu maritimo non solùm præsidia militaria multis in locis disposuisset, sed naves etiam quæ fugientes comprehenderent : qui vivi capti sunt, eos comburi jussit. Incendium inde ortum Mahilæ, multas mercatorum domos absumsit : qua occasione miraculum factum narrant, divitis cujusdam, sed avari, qui nihil in pauperes erogaret : alterius mediocris, qui omne lucrum in eos refundebat : prioris domus, & apothecæ arserunt : alterius servatæ sunt. Laudatur ab Autore nostro Muzahem, à probitate & pietate, quantùm in Muhamedanum cadere potest, æquitate & integritate. Sanè asperæ severitatis hominem fuisse testantur leges quas constituit circa mulierum modestiam, ne funerum prætextu, aut balnei petendi causâ, domo prodirent : ne quid in Meschitarum officio contra religionis præscriptum toleraretur : de quibus scribunt Makrizius, Ebn-Werdi & alii. Ea porro fuit illius diligentia & strenuitas, ut prædones, rebellesque omnes paucis mensibus deleverit, eosque in deserta superioris Ægypti loca compulerit; prædam omnem recuperaverit. Discimus porro ex iisdem autoribus Muzahemum in Ægypti Præfectura Yezido successisse anno 253°, J. C. 867° : obiisse sequenti, cùm anno uno & paucis mensibus provinciam rexisset. Successit ipsi filius ejus Hamed, qui post menses duos mortuus est : huic Argouz Turca, qui successorem habuit Ahmedem filium Toloun, ex eadem gente : is paulò pòst Ægypti Princeps factus cum summa autoritate, Principatum posteris suis transmisit, qui illum retinuerunt per annos ampliùs quadraginta.

Sub eodem Muzahemo videtur contigisse, quod Autor subjungit de vectigalium tributorumque exactore illo durissimo Ebn-Mondir : cùm scilicet tributum duplex exegisset, & præterea Patriarchæ pecuniam Monasteriorum & Ecclesiarum nomine grandem imperasset : illum à novo Præfecto amotum, substituto in ejus locum altero qui benignè Monachos & Ecclesias à tot vexa-

tionibus exemit, unde redierunt ad Monasteria multi qui Barbarorum manus effugerant. Ebn-Mondir servili veste indutus, in carcerem conjectus est; eductusque quotidie per menses aliquot, ut ardenti soli exponeretur: agnoscentibus omnibus justam Dei in hominem nequissimum vindictam.

Monachi à tributis immunes facti.

Venerunt præterea literæ publicæ Sultani sigillo munitæ, satagente quodam Monacho qui hujus rei gratiâ in Syriam profectus, obtinuit ut Monachi à tributo immunes essent; adjuncta erant diversa ex Alcorano testimonia, quibus probabatur eos qui mundo relicto in montibus habitarent, non debere cogi ad tributa persolvenda. Tam commodâ occasione usus est Sanutius, ut Monasterium S. Macarii desolatum, non modò in pristinum statum restitueret, sed illud etiam muro forti cingeret, ut eo in loco tuti Monachi & Christiani esse possent à barbarorum incursionibus. Cæmentis igitur & lapidibus magno labore collectis murum ædificavit, adjunctis turriculis; neque curam modò suam, sed laborem impendit propriis ipse manibus laborans, ut ædificium citò consummaretur.

Patriarcha in carcerem conjectus.

Neque tamen ita conquievit Ecclesia Jacobitica, quin magnum periculum paulò pòst adiverit ex calumnia Diaconi cujusdam, qui Præfecto persuasit ut Patriarcham in vincula conjiceret. Captus in loco quodam secreto, ubi per aliquos dies latuerat, Misramque ductus; carceri inclusus est, unico discipulo qui cibum inferret ad eum admisso, sed quem ex magna parte custodes rapiebant: ipse ex reliquiis, quæ supererant, captivis distribuebat. Comprehensi ejusdem mandati vigore Episcopi omnes, in Ægypto inferiore & superiore: Misramque ducti, sed spoliati Episcopali habitu suo, relicta tantùm ipsis Monachali veste: eosque deducebant asinis absque ephippio impositos, per totam viam contumeliosè tractantes, publicoque ludibrio exponentes. Patriarcha quadraginta diebus præter carceris incommoda, dolores etiam arthritidis gravissimos sustinens; tandem dimissus est, cùm pecunias quas nequam ille Diaconus eum habere testatus fuerat, nullas habere se probavisset. Episcopi quoque liberati sunt priusquam Cahiram pervenissent, restitutis quæ ipsis ablata fuerant, præter aurum & argentum. Causa odii adversùs Patriarcham, quod Diaconus ille cùm Monasticum habitum induisset, eum deposuerat; atque ea de causa repulsus à Sacerdotio fuerat. Veniam ab Sanutio petiit: qui ei concessit: absolutionis verò literas dari sibi postulavit: ali-

ter negans fieri posse, ut in quocumque loco à Christianis suæ sectæ aut ad Ecclesiam, aut domi susciperetur. Earum literarum hæc erat sententia, *solvi vincula hujus Diaconi ore meo, neque est quod prohibeat eum quisquam fidelium à communione Eucharistiæ.* Hanc absolutionis formulam ab ipso illo cujus intererat præscriptam, signo Crucis, quod erat sigillum Patriarchale, confirmatam, Diaconus ille nequam accepit. Nec ea humanitate contentus Patriarcha, viaticum ei, jumentum quo veheretur, tresque vestes dari jussit. Unde reprehensus à secretario suo Autore hujus historiæ, dixit: *Nescis fili, hominem peccatorem quando ausus est Eucharistiæ communionem accipere, antequam peccatum suum coram Deo confessus sit, remissionemque postulaverit, existimare se ex Eucharistiæ perceptione perfectum Christianum effici, quia eam credit remittere peccata, juxta illa Evangelii verba*, Hoc est corpus meum, edite ex eo semper in remissionem peccatorum: *cùm è contrario peccatum ejus magis augeatur.* Intelligi itaque voluit se tam facilè atrocissimam adversùs Episcopos, ipsum Patriarcham Monasteria & Ecclesias injuriam, absque pœnitentia condonare debuisse, ne impius ille percipiendo Eucharistiam peccata sua expiasse credens, eadem sacrilegio cumularet, quæ indulgentia absurda prorsus, & contra leges Ecclesiasticas censenda est, extortaque metu potius quàm secundùm disciplinam concessa. Neque enim jam eò Coptitæ pervenerant, ut de Confessionis & Pœnitentiæ necessitate apud eos dubitaretur, quod postea factum est, ut suo dicetur loco: neque statim ad communionem admitti debebat in omnibus Ecclesiis, qui illas omnes suo scelere turbaverat. Is autem postea calumniari Christianos non desinens, mercatoribusque qui Alexandriâ ad urbem Sa, ubi sedem habebat, commeabant, incommodus; à Præfecto in carcerem missus, post fustuarium, & taureas quibus ad necem ferme cæsus fuerat, odiosus omnibus, à quodam qui captivus cum eo erat plagis contusus, tandem paulò pòst liberatus est, gaudente Patriarcha quòd pœnitentiæ agendæ locum haberet.

Absolutionis formula.

Post brevissimi temporis pacem rursus in gravem calamitatem incidit, accusante eum nefario monacho ex Monasterio Abu Joannis, in valle Habib, qui Diaconatum ambiens, à principibus inter Christianos viris literas obtinuit, quibus Patriarcham rogabant, ut eum ordinaret. Non admissus, quia tunc gravissimis arthritidis doloribus Patriarcha vexabatur; Misram profectus eum

Nova calamitas.

accusavit, quòd magnam auri & argenti vim reconditam haberet; quòd Muslemanos ad fidem Christianam adduceret, eosque in Monasteria deserti missos secretò baptisaret. Hanc accusationem scripto comprehensam Præfecto porrexit, qui cum equitum mille ducentorum comitatu Alexandriâ Misram profectus erat, ut executioni mandaret literas à Califa acceptas, quibus jubebatur, ut omnes ad Muhamedanam religionem profitendam cogerentur. Accepta igitur potestate, in desertum cum duobus Turcis profectus est, venitque ad Monasterium Abu Joannis, ubi quemdam Monachum comprehendi jussit, quasi unum ex illis quos Patriarcha à Muhamedismo ad Christianam fidem converterat. Negavit ille, asserens se Christianum, ex Christianis parentibus natum: neque etiam si testes falsos adversùs eum nefarius ille comparasset, adduci potuit, ut aliud quid diceret. Patriarcha comprehensus est, cùm priùs per literas à suis monitus, fugere noluisset, tum fidei firmitate, tum quòd doloribus acutissimis vexatus loco se movere non posset. Aderant ipsi Simon Episcopus Panopoleos nuper ab eo ordinatus, & Macarius Diaconus apud eum à pueritia educatus, quos data benedictione dimittere à se voluit: at ipsi socii calamitatis esse maluerunt. Cùm ob infirmitatem moveri vix posset, eum ad navem tulerunt, paratam ut Misram deportaretur. Adjuncti sunt comites duo ligatis manibus & pedibus, aliique socii Patriarchæ, cujus Cellam nefarius Monachus spoliavit, ablatis vestibus, vasis & libris sacris, quorum cura maxima Patriarchæ fuerat. Habebat enim multos codices eleganter scriptos, ex antiquis exemplaribus, à peritis librariis; & ipsos codices auro argentoque vestiebat. Arcæ delatæ quasi in illis magna auri argentique vis esset, cùm præter libros nihil continerent, nisi vestes quibus ornatus prodibat in publicum, aut ad Liturgiam celebrandam utebatur, plerasque laneas & exigui pretii, nam sericeis nonnisi in festis utebatur. Ubi nihil inventum, à Macario & Episcopo Panopoleos quæsitum ubi esset pecunia: ipse delator in carcerem conjectus. Macarium plagis prope enectum, Patriarcha signo crucis sanasse dicitur. Tandem perspectâ calumniâ, post triginta dies ex carcere liberatus est. Nec cessavit orare pro crudeli illo Ecclesiæ persecutore, aut permittere voluit ut quæ furatus vasa & vestimenta fuerat, ab eo repeterentur; dicebat enim non illius hominis calumniâ sed peccatis suis propriis factum, ut in tantam calamitatem inciderent. Oravit etiam pro alio qui ex

Monasterio per vim eductus, tormentisque victus fassus erat, quamvis falsò, se Muhamedanum fuisse; is igitur cùm habitâ diligenti quæstione agnitus fuisset ab initio Christianus, libertati restitutus est. Autor tot malorum cùm primò aliquamdiu in Mareotide delituisset, metu Præfecti qui fraudem ejus calumniamque punire volebat; iterum ad Monasteria profectus, Monachos vexare cœpit, eosque ut priùs fecerat, spoliare. Cùm verò querelæ perlatæ de eo forent à Muhamedanis negotiatoribus, qui mercimonii sui causâ ad ea loca veniebant, jussu Præfecti in carcerem conjectus, catenisque oneratus, fustibus & loris cæsus, pœnas tot criminum persolvit.

Hoc loco, quandoquidem totius operæ nostræ finis est, ut fidei disciplinæque Ecclesiasticæ servata apud Orientales vestigia per tot salebras prosequamur, & si quando à veteri regula aberratur observemus, de istis Diacono & Monachis quædam dicenda sunt. Fuit sanè contra leges Ecclesiasticas, Canonibus comprehensas, ut publicus calumniator Patriarchæ & Episcoporum, Monasteriorumque prædator, absque pœnitentia reciperetur, quam adversùs tales pestes, Collectiones Canonum antiquorum, & recentiorum gravissimas statuunt. Verùm ea fuit tristissimis illis temporibus, estque etiamnum apud Orientales consuetudo, ut Patriarchæ, etiam contra Canones, multa sibi licere existimaverint, quia scilicet supremam sibi videbantur habere autoritatem. Ea verò ipsis peccandi occasio fuit, & color eversioni disciplinæ quæsitus, quod ejusmodi perditis hominibus nisi absolutio concederetur, aut majori odio adversùs Ecclesiam insurgebant, magisque audaces ex desperatione veniæ fiebant, aut quod ultimum erat sceleratis perfugium, Muhamedanos se profiterentur. Sed neutra causa satis idonea visa est, ut tam facilè absolverentur, præsertim qui aliis abnegandæ fidei causâ fuerant, aut qui ipsi eam abnegassent. Itaque quando hæc indulgentia præpostera locum habuit, egerunt Patriarchæ summo jure, cujus prævaricationis exempla multa sanè occurrunt, sed quæ tandem coercita sæpè sunt in hunc ferme modum. Quando ipsi vivebant, rarum omnino fuit, ut ad observandos Canones cogi possent: neque enim facilè Muhamedani patiebantur, ut conventus Episcoporum fierent, ad Ecclesiæ in capite & membris necessariam reformationem. Si quando facti sunt, plena omnia tumultu & calumniis fuerunt, quandoquidem boni illi Antistites, quos à pietate, doctrina, imò & mi-

Observatio de disciplina erga Apostatas: & eorum absolutionibus.

raculis sui commendant, non semel adversùs Coepiscopos autoritatem Principum infidelium imploraverunt, eâque intemperanter abusi sunt. Alio etiam modo privatas injurias ulciscebantur, nempe excommunicatione in contradicentes sibi pronuntiata: His malis hoc fermè remedium semper adhibitum est, ut vacante sede proponerentur ab Episcopis certa quædam reformationis capita, quæ maximè necessaria judicabantur; & illa scripto comprehensa confirmabantur à Synodo, statuebaturque simul, ut qui eligeretur Patriarcha, non priùs ordinaretur, quàm interposito jurejurando se obstrinxisset ad Canones illos observandos. Factum id tam apud Nestorianos quàm apud Jacobitas, ut ex sequentibus fiet manifestum; atque ea occasione institutæ sunt Collectiones variæ quarum adhuc nonnullæ extant, & quas *Synodos* Nestoriani vocant, quia in Synodis Episcoporum erant promulgatæ: Constitutiones Patriarchales à Coptitis vulgò appellantur, de quibus suo loco dicemus. Illæ verò Collectiones cùm nec integram contineant disciplinæ Ecclesiasticæ dispositionem, sed in paucis quibusdam capitibus occupentur, earum ratio nulla reddi potest, imò fragmenta potius inconcinna & imperfecta videntur esse, nisi sciatur ipsas non alio fine fuisse factas, quàm ut instantibus malis remedium adhiberetur, non ut integra Juris Ecclesiastici forma præscriberetur.

Facilitas absolutionis Apostatarum non semper eadem.

Quod superest circa facilitatem pœnitentiæ erga eos qui fidem abnegaverant, non aliam quoque originem habuit, quàm Patriarcharum aut socordiam aut ignorantiam: neque enim crimen ullum acerbiùs punitum est, quàm talis Apostasia. Sed primis Muhamedanorum temporibus, præter metum à dominis sævissimis æquè ac superstitiosissimis, qui non facilè patiebantur saluberrimam severitatem adversùs eos qui suæ sectæ nomen dedissent; tum etiam acriter sæviebant in eos qui de Apostasia pœnitentiam agebant: accedebat alia ratio cur non æqua & certa disciplina adversùs illos pœnitentes observaretur. Ea fuit quod cùm antiqui de Apostasia Canones Idololatriam respicerent, aut saltem hæresin, nulli propriè loquendo extabant circa abnegationem fidei, factam cum Muhamedismi professione. Neque enim Idololatriæ reus videbatur, qui ad eam sectam transiret, quæ Idolis & Ethnicæ superstitioni bellum semper indixerat: neque hæreticis injunctam reconciliationem sufficere arbitrabantur, ad eos recipiendos, qui Christum Deum abnegassent, & Muhamedi impo-

ftori pofthabuiffent. Hinc introducta nova difciplina, ut qui Muhamedanus factus fuiffet, iifdem pœnis fubjaceret, quas antiqui Canones præfcribebant adversùs eos qui fe facrificiis nefariis contaminaffent. Poftea etiam gravior, & multorum annorum fuit: tandem graviffima, adeo ut vix parem vetus Ecclefia agnoverit, dum nullam aliam reconciliationis viam Apoftatis reliquerunt, quàm publicam Muhamedis execrationem, eo ipfo in loco, ubi Chriftum abnegaverant. De ea difciplina dicetur adhuc fuis locis: unum adjiciemus; quod ex hac hiftoria & præcedentibus probari videtur, nondum apud Ægyptios Jacobitas conftitutum quidquam fuiffe, quod ad μαγαρισμοῦ, nam ita Græci vocant Muhamedifmi profeffionem, pœnitentiam pertineret.

Tandem Sanutius morbo oppreffus obiit 24ª Farmuti, cùm fediffet fecundùm autorem noftrum annis 21, menf. 3. Elmacinus, Makrizius, Chronicon Kircheri undecim tantùm numerant, ut & Chronicon Orientale: Canon Abulbircat rectiùs annos 21. & menfes 3. numerat, obitumque ejus affignat anno Martyrum 597°, qui eft J. C. 881ᵘˢ, Hegiræ 268ᵘˢ: atque ita emendandus Elmacinus; tum ubi de hoc Patriarcha loquitur, tum ubi de ejus fucceffore. *P. 161. & 176.* Quia verò magna mutatio Califarum fuit his temporibus, majorque omnino rerum Ægyptiacarum, quia tunc non amovendos ad nutum, fed perpetuos autoritate planè regia Præfectos Ægyptus habuit, de illis omnibus dicetur in fequenti hiftoria.

CHAIL II, PATRIARCHA LVI.

CHAÏL II. Patr. LVI.

ANTEQUAM hujus Patriarchæ hiftoriam quæ breviffima eft, aggrediamur, de Califarum frequentiffimis mutationibus, novaque fub Viziris aut Præfectis perpetuis rerum Ægyptiacarum facie pauca dicenda funt.

Mutazzus 13ᵘˢ Califa ex Abbaffidarum familia, cùm Turcas qui in Aula nimiùm poterant, compefcere conatus fuiffet, Bogamque unum ex eorum ducibus occidiffet, eorum rebellione depofitus eft, fubftitutufque in ejus locum Muhamed Abuabdalla Muhtedi, filius Wathiki, filii Mutafemi, filii Haronis Refchidi: anno Hegiræ 255°, J. C. 868°, qui anno fequenti ab iifdem Turcis occifus eft. Califarum illius temporis fucceffio. *Elmac. p. 159.*

Succeffit ei Mutamidus frater patruelis 15ᵘˢ Abbaffidarùm, qui imperavit ufque ad annum Hegiræ 279ᵘᵐ, J. C. 892ᵘᵐ; fed

ita ut præter Califæ nomen, nihil haberet, fratre ejus Muafico res administrante; provinciarumque Præfectis autoritate fermè regia eas obtinentibus. Accesserunt incommoda alia ex rebellione principum multorum, atque inter alios Jacobi filii Laith, qui Corasanam, Tabaristanam, Persidemque ferme totam occupavit, Safariorumque Dynastiæ Autor extitit. Habib quoque, non ut legitur apud Elmacinum ex mala punctatione, *Rihorum* princeps, sed Zingitarum seu Nigrorum, in Arabia rebellavit Basoram & multas alias urbes occupavit, contemtâ prorsus Califarum dignitate, cùm se ex familia Halis filii Abutalebi ortum mentiretur, & continuis per annos circiter quindecim bellis, & populationibus Mutamidum exercuit. Orta est præterea Carmatianorum furiosa illa factio, quos malè Erpenius Caramitas appellat, qui sub duce suo primo Carmato adversùs Abbassidas & eorum religionem Arabes multos excitaverunt, à quibus orta deinde fuit gens illa collectitia eorum quos *Hassissin* Arabes, aut Batinæos vocant, nostri scriptores Assassinos, qui viribus aucti, non tamen tantùm aperta vi quàm proditione nocuerunt, de quibus adhuc erit dicendi locus. Magna verò & præcipua eorum hæresis fuit, quod alios docuerint Califis Abbassidis nullam à fidelibus Muslemanis deberi obedientiam, cùm Imperium ad se per vim & fraudem transtulissent, quod Halis posteritati proprium esset. Ea enim origo prima fuit rebellionis eorum qui Fatimitæ deinceps appellati, novum in Ægypto Califatum instituerunt, atque in ea provincia spiritualem omnem sæcularemque potestatem Abbassidis eripuerunt.

Elm. p. 162. 166.

Autoritas Califarum precaria.

Verùm cùm hæc præcipua bella adversùs Califas Bagdadenses gesta, quibus dignitas eorum maximè imminuta est, non propriè ad Ægyptum pertineant, ut in ea consistamus, revertendum nobis est ad eum in quo desiimus Ægypti Præfectum Muzahemum: Is cùm obiisset, successorem habuit Ahmedem filium, cujus initia assignantur anno Heg. 254°: paulò pòst diem suum obeunti successit Argouz, sive Arjouz, filius Olug, filii Tarkan, ex Turcica etiam gente ut ab aliquot annis prædecessores eorum alii, verùm eodem ipso anno qui erat J. C. 868ᵘᵒ, amotus est, & in ejus locum venit cum summa autoritate Ahmed filius Toloun, ex eadem natione, vir magnus, qui sub Imperatoribus quales fuerunt Mehtedius & Mutamidus, stolidis, & nullius consilii, tantas opes, tantamque potentiam obtinuit, ut per annos sexdecim & ampliùs

Præfecturam

Præfecturam Ægypti conservaverit, & eam filio hæreditariam reliquerit; ita ut Califæ mandata nulla reciperet, spiritualem tantummodò ejus dignitatem veneraretur. Ea scilicet conditio Abbassidarum fuit, ut quod sceleribus, cædibus, ambitiosaque superstitione Imperium quæsiverant, post annos centum iisdem aliorum artibus aut amiserint sæpiùs, aut laceratum, nonnisi exigua ex parte retinuerint. Nam sicut majores eorum sub specie vindicandæ cædis Halis, cujus se progeniem videri volebant, adversùs Ommiadas rebellaverant, ita eodem titulo ubique ferme rebellatum est adversùs Abbassidas: atque convulso bellis civilibus Imperio duces multi aut præfecti provinciarum novas Dynastias fundaverunt, quales fuere Safariorum, Gourianorum, Samaniorum, quæ deinde ab aliis extinctæ fuerunt, ita tamen ut Califæ nihil adversùs eas possent, satis contenti modò in eorum clientela novi illi principes se esse profiterentur, vexillumque & vestem quæ investituræ signa erant, ab illis acciperent, & munera ad eos mitterent, quibus luxus inertium Califarum & inter pellicum greges consenescentium sustentaretur.

Antequam verò Califarum res in afflictissima illa conditione forent, cùm in frequenti principum mutatione, bellisque inter fratres civilibus, nullus non sibi à suis timeret, præsidium sibi quæsiverunt ab extraneis mancipiis, ex quibus custodes corporis, tum copiarum duces, præfectosque prætorio suo delegerunt. Nempe tutissima videbatur fides hominum, qui ex servili conditione assumti, neque cognatione, neque nobilitate quâ Arabes genuini plurimùm gloriabantur, reliquos antecellebant: verùm toti ex nutu Principis pendere videbantur. Attamen cùm plurimi ad summas dignitates, militares præsertim evecti fuissent, non quidem sub Almamone qui multos ad se ex Turquestania missos, literisque & moribus imbutos prætorianis cohortibus adscripsit, sed sub Haronis Reschidi successoribus res novas moliri cœperunt, neque solùm præfecturas inter se partiri, sed Califas deponere, imò & occidere non timuerunt. Ita dum à consanguineis principibus Califæ caverent, servis suis arma contra seipsos dederunt, & eorum tandem ambitione & audaciâ perierunt. Inter eos verò præcipuus tum dignitate, tum corporis & animi dotibus fuit Tolon Turca, qui Ahmedis pater fuit, sive naturalis ut quidam volunt, sive ut alii scribunt, per adoptionem. Hic Ahmed postquam amotus fuit, Argouz, sive Arjouz, anno illo qui apud Arabes quatuor Emiro-

A Turcicis mancipiis primùm eorum majestas imminuta.

rum dicitur, Ægypti præfecturam obtinuit à Mutazzo Califa priu, quam deponeretur, eamque retinuit usque ad annum 270um. J. C. 863um, quo mortuus est. Annus autem primus ipsius Præfecturæ, quatuor Emirorum vocatus est, quia eodem anno Muzahem obiit: Ahmed filius, paucis mensibus supervixit: Argouz paulò pòst abdicatâ præfecturâ, illam Ahmedi filio Tolonis vacuam reliquit. Antea quidem præter Præfectum qui toti Ægypto præerat, à Califis mittebatur alter, qui colligendorum tributorum autoritatem habebat: alii tandem cohortibus prætoriis præfecti: imò & quidam copiarum omnium duces designabantur, qua ratione difficiliùs rebellabant. Hæc omnia turbatis per Turcarum defectiones rebus, Ahmed Tolonis filius sustulit; contemtaque Califarum autoritate, ærarii, copiarum, negotiorum denique omnium potestatem ad se traxit: inimicorum factiones oppressit, tandemque Ægypti non jam Præfectus, sed Emirus seu Princeps: Syriæ quoque & vicinarum regionum maximam partem obtinuit. Ab eo tempore repetenda est origo Sultanorum Ægypti, ut Autores Latini & vernaculi nostri eos appellant, quamvis alia quando Tolonidæ sublati sunt, forma imperii fuit, ut suo loco dicetur. Jam igitur ab annis multis Ahmed filius Tolonis Ægyptum obtinebat, cùm obiit Sanutius: unde magna sanè esse debuit autoris ejus vitæ negligentia, qui de ejus rebus gestis planè siluit. Jam ad Chaïlem ejus successorem veniendum est.

Desinit hoc loco prima pars historiæ, non quidem plenæ & secundùm Collectorum divisionem, sed secundùm Autores qui eam aut scripserunt, aut interpretati sunt. Cùm enim initio Severus Episcopus Aschmonin dicatur ex Græcis Copticisque Monumentis, quæ servabantur in variis Ecclesiis, præsertim ad sanctum Macarium Vallis Habib eam historiam Arabicè digessisse & interpretatus esse, loquitur jam Michael Episcopus Tanis. Attamen cùm ultra centum annos vitam produxerit Severus, scire non possumus, an in priori vita desierit: an verò ut alias, ita istam & sequentes aliquot ex Coptica lingua interpretatus fuerit. Quamvis enim de Severo scribant Orientales multi, eumque laudent magnopere, atque opera illius multa recenseant, pauci tamen istius laboris quem in colligenda Patriarcharum historia posuit, meminerunt. In aliquot etiam præcedentibus observatum est Autores loqui de rebus quas scribunt, tanquam à se visis & auditis, quod argumentum esse potest eas vitas Copticè primùm scriptas, & à

Severo Arabicè redditas, qui bona fide retulerit ea quæ in antiquis exemplaribus repererat. Fieri igitur potuit ut eam quoque partem, cujus primus Autor est Michael, ipse etiam ut priores interpretatus fuerit, quod monendum sumus arbitrati, ut qui in codices Orientales inciderint, quærant quæ in nostris non repeciuntur, & de Autore ipso plura nos doceant.

Cùm Sanutius Patriarcha diem suum obiisset, *qui ædificaverat*, inquit Autor, *altare D. Marci Alexandriæ, quod annis centum quindecim substitit*, ordinatus est ejus loco Chaïl, de quo nihil aliud, antequam ordinaretur, occurrit : ut neque qua ratione electus fuerit, quo anno, & quo die. Elmacinus anno Califatus Mutamidi 8°, vel ut alii volunt 7°, qui fuit Hegiræ 263us, J. C. 876us, ordinationem ejus assignat : eumque Michaelem vocat : sed idem nomen est cum Chaïle : nam superiorem ejusdem nominis, Chaïlem & Michaelem promiscuè appellatum legimus : Michael quoque vocatur à Makrizio : Chaïl in Indice Kircheriano, & Abulbircat, apud quem ordinatio ejus dicitur facta eodem anno quo ejus decessor obiit, Martyrum 597°, qui est J. C. 881us, Hegiræ 268us; atque ita falsus est Elmacinus, ut in multis aliis. Nam quod ait vixisse eum sub Principatu Ahmedis filii Tolonis verissimum est, cùm ille biennio supervixerit.

Elmac. p. 176.

Prima inter multas calamitates quibus eum tanquam aurum in igne purgatum fuisse scribunt, hanc occasionem habuit. Erat Episcopus Saca vir improbus : cujus in Diœcesi erat pagus Denuschar dictus, insignis Ecclesiâ S. Ptolomæi Martyris, ad cujus consecrationem Patriarcha cum aliis Episcopis invitatus fuerat. Convenerant Episcopi & Laïci magno numero ; & cùm hora celebrandæ Liturgiæ instaret, Episcopus Saca ad Ecclesiam nondum venerat, parando hospitibus convivio occupatus. Cùmque longiorem moram traheret, rogantibus Episcopis & aliis, Patriarcha ad altare accessit, & Liturgiam inchoavit, à lectione scripturarum & earum interpretatione. Jamque *Donum* sive oblatam intulerat, nempe à Prothesi ad altare secundùm ordinem, cùm advenit Episcopus, qui furens quæsivit ab eo cur in Ecclesia sua, se absente, & absque ejus licentia tale quid præsumeret : insiliensque in altare, hostiam jam oblatam, accepit, comminuit & projecit, tum Ecclesiâ egressus est. Patriarcha acceptâ oblatâ aliâ, Liturgiam perfecit populoque communionem distribuit. Postridie con-

Facinus Episcopi Saca qui oblatam conculcat.

gregatis Episcopis, autor tanti facinoris Episcopus, communi omnium sententia depositus est, aliusque in ejus locum ordinatus. Alter ira & vindictæ cupidine æstuans, Fostatam sive Cahiram ad Ahmedem filium Tolonis profectus, & de illata sibi injuria questus, magnas opes Patriarcham habere falsò testatus est, adeo ut ad expeditionis quam iste parabat in Syriam, sumtum sufficere possent. Accersito, imperavit Ahmed ut quandoquidem Christianis præter alimenta & vestes nihil opus erat, pecunias quarum magnam vim habebat, supellectilem auream, argenteam, sericas vestes, operisque phrygionici, sibi daret, Califæ summo regionis domino deferendas, certus si ita faceret, gratiam omnem apud Principem & apud se consecuturum. Cùm testatus esset Patriarcha nullas se habere pecunias, omniaque per calumniam conficta fuisse quæ Episcopus Saca ad eum detulerat, in carcerem conjectus est : ubi anno integro detentus, vitam in jejunio & oratione duxit, socium habens virum quemdam ex Christianis nobilem Ebn-Elmondir, qui illi panem, sal & olera macerata subministrabat. Joannes & Abraham filii Mosis qui erant scribæ Ahmedis, frustrà ab eo petierant, ut è carcere educeretur, & in libera custodia domi suæ eum habituros esse polliciti, nihil obtinuerant. Idem meliori successu tentatum, & confectum est à Joanne Secretario Viziri, qui tandem ab eo obtinuit, ut Ahmedi filio Tolonis suaderet, ne ampliùs in Patriarcham sæviendo Christianos conturbaret, verùm conaretur ab eo quantam fieri posset; pecuniam extorquere. Postquam libertati restitutus est, consensit ut viginti denariorum aureorum millia duabus pensionibus persolveret, mediam partem intra mensem, alteram intra menses quatuor. Joannes & Macarius ejus filius nomina fecerunt, tanquam sponsores, atque ita Patriarcha illis commissus est. Ille in domum eorum divertere noluit, sed recepit se in Ecclesiam S. Mariæ prope Castellum Elchemah, quæ, inquit Autor historiæ, jam à Melchitis possidetur, atque in ea mansit diebus viginti. Veniebant interea ad eum quotidie primores Jacobitarum, cibaria alternis vicibus inferentes; & quæ ad vitam sustentandam opus habebat subministrabant. Jamque mensis elapsus ferme erat, cùm Patriarcha pecuniis carens, & consilii quo eas inveniret inops, ex eorum sententia, cùm decem Episcopales sedes vacarent, totidem Episcopos pactâ certâ pecuniâ ordinavit. Joannes & Macarius aliam à Mussemanis & ipso Viziro, fœnore acceptam ad ærarium Emiri

Simoniæ exemplum.

detulerunt, interposito jurejurando, quod ne quidem drachma ex facultatibus Patriarchæ numerata fuisset. Ita reddita est viginti millium aureorum syngrapha, confecta alia pro reliquo, cui præter Joannem & Macarium duo alii subscripserunt. Postea convenerunt ad Synodum Episcopi, statueruntque ut ad colligendam pecuniam mutuatam, & quæ Emiro debebatur, Episcopi in suam quisque Diœcesin profecti à singulis auri Keration exigerent; atque ita, ut Autor ipse fatetur, insuper habuerunt Canones Apostolorum & Doctorum Ecclesiæ quibus prohibitum erat, ne pro Dei dono, aurum vel argentum acciperetur, & quibus simoniam sub gravissimis pœnis prohibuerant. Ab Episcopis noviter ordinatis pecunia exacta est: ipse in Monasteria Vallis Habib veniens, vendidit loca quæ monachi orationis causâ in Ecclesiis obtinebant, quo nomine à singulis aureum unum exegit. Postea venit Alexandriam, & à Sacerdotibus petiit ut ornamenta Ecclesiarum accipere & vendere sibi liceret, pretiumque Sultano tradere: sed consentire renuerunt. Tandem post multas concertationes, permiserunt ut quasdam domos ad Ecclesiam pertinentes venderet, ea tamen conditione ut quotannis mille aureos eidem Alexandrinæ Ecclesiæ, tam ipse quàm ejus successores pendere pollicerentur, de qua re instrumentum confectum est, cui ipse subscripsit: atque ea consuetudo tenuit ad multa sæcula. In hunc modum tum ex domorum aliarumque possessionum venditione, tum eleemosynis, variisque exactionibus, conflatâ pecuniâ, decem aureorum millia Ahmedi filio Tolonis persolvit. Antequam ad reliqua progrediamur, observandum est ipsos Jacobitas, etsi nimios in Patriarcharum suorum laudibus, ingenuè fateri non posse excusari factum istius, qui Simoniæ Canonumque contemtui januam aperuerit. Tale enim exemplum secuti omnes ferme ejus successores, labem illam in Ecclesiam suam invexerunt, cujus neque modus neque finis fuit. Aiunt etiam illum ab eo tempore non se Michaelem, in puplicè scriptis literis appellasse, sed *Chaïa*; quæ, inquiunt, vox ultimum significat, quasi testatus præposterâ illa humilitate, ultimum se esse Ecclesiæ filiorum, quòd sacras ejus leges transgressus esset, illiusque bona vendidisset. Talis ferme sensus esse potest, nisi mendum est in codice, legendumque *Kaïal*, ut sæpè id nomen scribitur, quod inter alia multa *Oeconomum* & *dispensatorem* significat, quasi per ironiam & frigidum acumen, in æquivoco ludens œconomiam illam suam sibi exprobraret: sed

hæc tanti non ſunt, ut curioſiùs ea inveſtigare libeat.

Majoris momenti eſt facinus illud Epiſcopi Saca, quod paucis explicandum eſt : neque enim intelligendus locus ille eſt, quaſi dona jam conſecrata conculcaverit. Δῶρον enim, conſervatâ vo-

Δῶρον, Sive oblata.

ce Græcâ Chriſtiani Ægyptii vocant oblatam vel hoſtiam, ut nos appellamus, antequam conſecretur, & eam ſtatim atque altari illata eſt, non minori honore proſequuntur quàm ſacras imagines, imò præſtantiori quadam ratione venerantur, tanquam mox mutandam in corpus Chriſti : hunc enim ritum Orientales omnes habent cum Græcis communem. Cùm Liturgia inchoatur, defertur Euchariſticus ille panis à menſa quæ Προθέσεως Græcorum, *Credentiæ* noſtræ reſpondet, ad altare, eo ferme modo quo apud Græcos fit ea quam vocant μεγάλη εἴσοδος, & prima benedictione ſanctificatur. In eo igitur erant ut Anaphoram propriè dictam inchoarent, dum Epiſcopus ille irruit in altare, hoſtiamque rapuit & comminuit, ſcelus per ſe ipſum depoſitione vindicandum. Quantò verò majus futurum erat ſi factum id in conſecrata hoſtia fuiſſet, & Canones pœnitentiales, & Liturgici multi, tum alia exempla in hujus hiſtoriæ ſerie ſatis demonſtrant, quemadmodum alibi probatum eſt.

Poſtea refertur varia fuiſſe inter Græcos & Arabes prælia vario ſucceſſu, adeo ut ex utraque parte captivi multi facti fuerint : ea occaſione Ahmedem filium Tolonis ſcripſiſſe ad Leonem Romanorum, ſeu Græcorum Imperatorem, minaces blaſphemaſque literas : quibus Leo reſponderit, ſuo & Alexandri nomine & fragmentum literarum Autor recitat, cujus hæc fermè ſententia eſt, quod mirum ſit audere eum blaſphemare adverſùs Chriſtianam fidem quam neſciat:neque id factum à prædeceſſoribus ſuis qui in Muſulmanos Imperium obtinuerunt. De captivorum commutatione miſſos legatos, quibus temerè Leo ſacra Eccleſiarum vaſa, ornatumque oſtenderit, Cedrenus & alii ſcriptores poſt Theophanem teſtantur. Epiſtolæ ipſius quæ huc uſque quod ſciam, Græcè non extat, tranſlationem ex Chaldaico, qualemcumque dedit Symphorianus Champerius, de qua Baronius ad annum 911um, Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, eaque edita reperitur in Bibliotheca Patrum 1æ editionis.

Cùm Patriarcha ad Tanis urbem veniſſet, ut qua ratione poſſet pecunias colligeret, nam decem aureorum millia adhuc fiſco debebantur, venit quidam habitu Monachi in ejus conſeſſum; acce-

ptaque benedictione, sedens ad latus cujusdam ex ejus discipulis prædixit futurum ut post dies quadraginta, Patriarcha liberaretur ab inextricabili illo negotio; quæsitus ille per totam urbem, & Damietæ, non inventus est. Iis elapsis periit Ahmed filius Tolonis, cùm exercitum duceret in Syriam, Damascum versus, expendissetque in eam expeditionem trecenta aureorum millia. Obiit autem an. Hegiræ 270°, J. C. 883° : statim post ejus obitum Patriarchæ reddita est aureorum decem millium syngrapha. Successit Ahmedi Hamarowia ejus filius, de quo narrant eum profectum ad Vallem Habib voluisse ostendi sibi corpus S. Macarii, quod integrum repertum est : aliud etiam miraculum contigisse, nam cùm barbam sancti licentiùs attrectaret, istum aiunt oculos aperuisse; Hamarowiam timore ingenti perculsum corruisse: unctum oleo lampadis quæ ante corpus ardebat, sanatum esse. Adjicitur Pachomium Episcopum Saca fuisse Principi gratissimum; expeditos enim servos habebat plusquam trecentos jaculandi peritos, qui non modò Ecclesiæ possessiones, sed fines etiam provinciæ tutabantur ab Arabibus prædonibus : timebat autem Hamarowia Arabas, eò quòd se ex Muhamedis familia jactabant, & Fatimidas appellabant. Sed hæc omnia plane contra historiæ veritatem, ut dicetur inferiùs.

Obiit tandem Chail, cùm sedisset an. 27, 21ª mensis Mechir, sub eodem Hamarowia, Elmacinus 25. annos tribuit, supervixisseque ait Hamarowiæ : & ita Makrizius. Canon Abulbircat annos 21, & mortem ejus assignat anno Martyrum 625°, J. C. 909°, qui est Hegiræ 297ᵘˢ : nempe errat ut passim alibi : nam ab anno Martyrum 597° numerari necesse est annos 27 & menses aliquot, ut perveniatur ad an. 625ᵘᵐ. Jam autem eo anno & diu antea, obierat Hamarowias, occisus anno Hegiræ 282°. Itaque neque historici nostri neque Elmacini nec aliorum Chronologia conciliari cum præcedentium Patriarcharum annis potest. Nam si ordinatus est Chail anno Hegiræ 263°, & sedit annos 25. obiit an. 288°; atque adeo sex annis Hamarowiæ superstes fuit; quem tamen Michael Episcopus Tanis Autor hujus historiæ supervixisse Chaili testatur. Sed hæc omnia accuratiùs exponentur in vita sequenti. Obitus Chailis.

Cùm porro Elmacinus sit in omnium manibus, emendanda est ejus versio ad p. 176, ubi dicitur *vendidisse Judæis quartam templorum Alexandriæ partem :* vox enim quam ita interpretatus est

Erpenius, significat, *mansiones & possessiones Ecclesiis vicinas ad easque pertinentes*. Terra Habesch, seu Æthiopum, erat locus quidam ita dictus à Monasterio quod ibi erat Abyssinorum ; aut alii scribunt, à castris Abyssinorum Prætorianorum quæ vicina erant ; de quo Autores rerum Ægyptiacarum : neque enim hæc de Habassia propriè dicta intelligenda sunt, quod tamen exprimit Erpenii versio : in qua multa quoque alia peccata sunt quæ persequi longum esset, tum in versione, tum in propriis personarum locorumque nominibus.

GABRIEL Patr. LVII.

GABRIEL PATRIARCHA LVII.

Sedis Alexandrinæ vacatio.

VACASSE Sedem Jacobitarum Alexandrinam per annos aliquot, omnes historici consentiunt : Elmacinus quidem, & Makrizius annis 14, ut & Chronicon Orientale, Indiculusque Kircherianus, ex Elmacino desumtus. Idem Autor, dum hujus Gabrielis initia commemorat, ordinatum eum fuisse ait anno Hegiræ 301°, qui est J. C. 913us : auferantur anni quatuordecim, incidet obitus Chailis decessoris ejus in annum J. C. 899um, qui est Martyrum 615us : Quod si anno 288° Hegiræ, ejus obitus assignatur, ut suprà ex Elmacino notavimus, anni quatuordecim facilè reperiuntur saltem inchoati, usque ad annum 301um. Quod ait idem Autor periisse Hamarowiam anno Martyrum 612°, satis convenit : nam is est annus J. C. 896us, Hegiræ 283us : sed quamvis superiori anno mors ejus assignetur ab Historicis Arabibus ; contigit enim 26^{a} Tybi mensis qui incidebat in Januarium anni sequentis : annus Hegiræ à Martio mense jam prætererat : & in alium annum Ægyptiacum excurrebat.

De sedis vacatione nullum aliud testimonium habemus ex nostris historicis, quorum summa est hoc loco negligentia. Nam in fine vitæ superioris postquam narraverunt familiaritatem Pachomii Episcopi Saca, cum Hamarowia, quòd fines ab Arabum Fatimidarum incursionibus tutaretur, scribunt occasione vacantis Sedis Melchitas sibi Patriarcham ordinasse, superbèque admodum & insolenter adversùs Orthodoxos, id est Jacobitas, se gessisse. Id cùm audiisset Pachomius, munera deferens fructusque rariores ex provincia sua qui aliis in locis non facilè reperirentur, ad Hamarowiam tetendit. Cùmque ille quædam de Arabibus nuntiare Episcopum existimasset, alter dixit se didicisse Melchitas Jacobitis in

in fide contrarios, eò quòd Romanorum seu Græcorum doctrinam Jacobitis damnatam sequerentur, sibi Patriarcham constituisse: vereri se ne Græcorum Imperatori auxilium ferentes, ejus copias si navibus appellant, Alexandriam recipiant, seque illis conjungant. Hamarowia literas ad urbis præfectum scripsit, quas Pacomio tradidit, mandans ut quodcumque juberet Pacomius, exequeretur. Ille Alexandriam veniens, Patriarcham Melchitarum comprehendi jussit: apud quem sex suæ sectæ Episcopi reperti sunt, quorum ut & Patriarchæ vestes discidit: ipsius verò digitos manus dexteræ, quibus crucis signum benedictionis dandæ causâ formabat, abscidi jussit. Postea convocatis Episcopis, in Synodum profecti sunt omnes ad Vallem Habib.

Crudelitas Jacobitarum in Orthodoxos.

Jam verò observatum est secundùm Elmacini, Makrizii & aliorum calculos Hamarowiam occisum fuisse antequam Chaïl obiisset: qua ratione tota hæc narratio fabulæ loco habenda est, quod etiam ex Eutychio demonstratur; erat enim ille Patriarcha Melchitarum, quorum res ignorare vix poterat. Scribit porrò anno 256° mortuum esse Michaelem filium Bachami, Patriarcham Melchitarum, postquam 24. annis Cathedram tenuisset: nempe diu antequam Ahmed filius Toloni Ægyptum obtineret. Ei successisse Michaelem Romanum, vel ut alia exemplaria habent, Gazensem, aut Azzensem, qui 34. annis sedit: atque adeo usque ad annum Hegiræ 290um, quod ostendit quàm falsò Michael Episcopus Tanis factam ejus ordinationem scribat post Chaïlis obitum, vacante sede. Neque ullatenus verisimile est injuriam adeo insignem Patriarchæ suo illatam ab Episcopo sectæ contrariæ, taciturum Eutychium si scivisset, aut nescivisse si fuisset. Imò non ferebat Arabum Principum consuetudo, ut in Ecclesiarum Antistites præsertim summos ita sævirent. Ignoravit hæc quoque Elmacinus, Makrizius etiam, & Autor Chronici: unde suspectissima omnino videtur hæc narratio.

Suspecta videtur hæc historia.

Ut ad Gabrielem revertamur, ille à pueritia in Monasterio S. Macarii Vallis Habib vitam Monasticam professus fuerat; & postea in quodam Monasterio quod Dorothei dicebatur, magna cum laude vixerat: ubi consuetudo erat ut nemo sineretur dicere *Alleluia*, in publica synaxi, quin totum Psalterium memoriter teneret: atque ita Monachi omnes psalmos absque codice recitabant. Ibi erat senex Maximus: tum alter Dorotheus, quem aiunt, Gabrieli prædixisse futuram dignitatem. Cùm enim Monachi benedictionis captandæ gratiâ ad eum venirent, simulque expectarent,

Gabrielis primordia.

ut sermonem ad eos haberet, Gabrielem qui amore solitudinis & silentii abire properabat, retinuit, dicens fore ut sedere cogeretur inter maximam non modò virorum, sed etiam mulierum multitudinem.

Confessio fidei à novo Patriarcha scripto dari solita.

Cùm venisset Alexandriam ut ibi ordinaretur, petierunt Alexandrini, ut juxta consuetudinem exhiberet ipsis publicam fidei Confessionem manu sua subscriptam. Ille verò opus non esse dixit ut nova fidei formula conderetur, quam in hujus populi gratiam sua subscriptione firmaret: adhærere se symbolo fidei Orthodoxæ, quod trecenti decem & octo Patres Nicææ scripserant: nihil addi, nihil detrahi oportere. Hujus consuetudinis primum hoc in Jacobitica historia occurrit exemplum, scilicet ut novus Patriarcha scriptam, manusque suæ subscriptione firmatam fidei Confessionem daret: neque inter varios Canones, aut capita disciplinæ de Ordinatione Patriarcharum simile quidquam habetur. Solummodo præcipitur neminem eligi, de cujus rectâ fide non constet. Ridicula verò prorsus Gabrielis responsio, quasi non omnibus ferme hæreticis communis fuerit cum Orthodoxis professio Nicænæ fidei, quam non modò Jacobitæ, sed Nestoriani, sed tot diversi Monophysitæ qui ab aliis non recipiebantur, Orthodoxique præ cæteris acceptabant. Quamvis autem de fidei professione scripto tradenda nullum à nobis præceptum reperiatur; non est tamen cur dubitemus, eam consuetudinem in plerisque Ecclesiis viguisse, cùm multæ ejusmodi reperiantur in libris manuscriptis factæ à novis Patriarchis, & Episcopis, tum Jacobitis tum Nestorianis: & apud Jacobitas Antiochenos singularis lex observetur de pronuntianda fidei circa Eucharistiam confessione, de quo ritu dictum est alibi & in notis ad Liturgias.

Perpet. t. 4.

Postquam ordinatus est Gabriel, Alexandrini aureorum mille pensionem cui se decessor ejus suosque successores obstrinxerat, petierunt. Cùm pecunia deficeret, secutus pessimum Chaïlis exemplum, ordinationes illegitimas & simoniacas facere cœpit, adeo ut nemo Sacerdos nisi datis nummis ordinaretur. Confirmavit etiam *Denariatam*, ut veteri verbo barbaro exprimamus *Dinariat*, seu denarii aurei unius annuam ab omnibus Christianis, viris & fœminis exactionem. Colligebatur pecunia per Episcopos in sua cujusque Diœcesi & ad Patriarcham deferebatur, qui soluto debito, reliquam in eleemosynas impendebat.

Vita ejus in Monasterio.

Cùm juvenis esset in Monasterio, carnem jejuniis omnique pœ-

nitentiæ genere affixerat, ut tentationes quibus vexabatur superaret. In dignitate constitutus, graviùs tentatus, consilium à senioribus Monachis petiit, qui humiliatione & labore tali malo remedium quærere consuluerunt. Igitur nocte post orationem colobio absque manicis tectus, cellas exteriores circuibat, latrinas mundabat, nemine sciente : atque ita post biennium tentatione liberatus est. Toto Patriarchatus sui tempore mansit in Valle Habib; neque Misram aut Alexandriam venit, nisi urgentibus negotiis, statimque revertebatur. Sedit annis 11, obiitque 11° Mechiri, sepultus ad S. Macarium. Annus obitûs secundùm Elmacinum est 311us Hegiræ, J. C. 923us, qui respondet anno Martyrum 639°. In Canone Abulbircat annus obitûs ejus assignatur 636°, die 21a Mechir : Ordinatio 625° mensis Pachonis, die non apposito : tempus Patriarchatûs, anni 10, menses 10. Malè in Chronico 21. anni; nam annos 11. solùm numerant Makrizius, Canon Kircherianus & alii. Sed valde aberravit Kircherus, dum initium regiminis assignat anno quo obiit : neque ut id semel moneamus, quemquam movere debet illius Canonis autoritas. Eum enim habens Kircherus, nihil aliud continentem præter nomina literis Ægyptiacis & Arabicis, ex isto Catalogo Canonem Chronicum ut conficeret, conquisivit ex Elmacino, & ab Abrahamo Echellensi accepit epochas qualescumque potuit, easque nullo delectu apposuit. Ipse enim non minus quàm ejus interpres ignoraverunt dare se non Orthodoxorum, sed hæreticorum Patriarcharum indicem, ideo omnia sus deque miscuerunt. Certum verò argumentum lector inveniet, in illo ipso indice, qui ubi ad Macarium 69um Patriarcham perventum est, nullos jam annos adjunctos habet, quia illo loco desinit Elmacinus.

Docet Makrizius initio Pontificatûs Gabrielis, aut anno antè, siquidem ordinatus est anno 301° Hegiræ, J. C. 913°, periisse incendio majorem Ecclesiam Alexandriæ, quæ *Anastasis* sive *Resurrectio* dicebatur; eo ipso loco quo fuerat olim Saturni templum, à Cleopatra Regina ædificatum. Apud Elmacinum eadem historia legitur : & quod ait templum illud *Kamscia* vocatum esse, videtur librarii peccatum fuisse, ex voce quæ resurrectionem significat, alteram istam efformantis. Eutychius utroque & tempore & autoritate superior, ita scribit : *Conflagravit Alexandriæ Ecclesia magna quæ Alkaisaria* (Cæsarea) *appellata est, templumque fuerat, quod Cleopatra Regina Saturno sacrum exstruxerat.*

Ecclesia major Alexandriæ incendio consumta.

Eutych. t. 2. p. 503. T. 1. p. 300. t. 2. p. 387.

die lunæ 3° mensis Chewal, anno 300° : de quo etiam egerat alibi. Eam autem à Jacobitis occupatam per annos complures, Melchitis redditam cum aliis sub Cosma eorum Patriarcha idem Autor refert, ut superiùs observavimus. An verò ab illius tempore in eam restituti Jacobitæ fuerint, non planè liquet.

Res Melchitarum. Nihil de rebus Ecclesiasticis Jacobitarum sub isto Patriarcha occurrit præterea. Quod Melchitas seu Orthodoxos attinet, Michaelem eorum Patriarcham mortuum esse anno Hegiræ 290°, J. C. 902°, scribit Eutychius, postquam annos 34. sedisset, vacasse sedem annis quatuor : postea ordinatum fuisse Christodulum Halepo, sive Berrhoea oriundum, qui Hierosolymis ab Elia Mansuri filio ordinatus est : is autem erat Patriarcha Melchitarum Hierosolymitanus. Cùmque Alexandriam Christodulus advenisset, Alexandrini negaverunt se eum recepturos, nisi super eum repeteretur *oratio Patriarchalis*, hoc est oratio ad Patriarcham benedicendum : quod factum est anno 294° : seditque ille annis 26 ; atque adeo ad annum usque Hegiræ 320um, J. C. 932um. In magna sanè calamitate fuisse tunc Ecclesiam Græcam, quæ erat Alexandriæ, dubitare non possumus : tantaque est historiæ ex qua successio Antistitum designari potest, obscuritas, ut vix ubi pedem figere liceat habeamus. Eam quoque interruptam fuisse nec semel, certissimum videtur.

Successio Principum ex familia Toloni. Ut verò secundùm instituti nostri rationem paucis explicetur successio Principum Ægypti ex familia Tolonidarum, præclara illorum conditio fuit sub Hamarowia ejus filio, triginta filiorum quos moriens reliquit præcipuo, qui post ejus mortem, Ægypti, Syriæ, Antiochiæ, Adanæ, Mesisæ, Tarsi, & ditionum quæ his urbibus adjunctæ erant, principatum obtinuit, ab anno 270° Hegiræ usque an. 282um. J.C. 895um. Fuit admodum strenuus, multaque bella gessit adversùs Muaficum Mutamidi Califæ fratrem, salutati anno 256° : cujus imperium fuit annorum 23. Varia fuit bellorum illorum fortuna : sed ita tamen, ut Hamarowia, etsi clades aliquas insignes acceperit, semper summam in Ægypto dignitatem obtinuerit.

Califarum potestas imminuta. Successit Mutamido, Mutadidus ejus ex fratre nepos anno Hegiræ 279°, cum quo pacem habuit Hamarowia, missis maximis muneribus, promisso etiam tributo annuo ducentorum millium aureorum : datis quoque trecentis millibus, pro annis præteritis. Ea ratione accepit à Califa investituram omnium provinciarum

quas pater ejus, aut ipse possederant, eamque duraturam ad annos triginta : missa ad eumdem Hamarowiam cidaris, vestis, ensis, & reliqua principatus insignia. Id quippe solum Califis supererat ex pristina sua amplitudine, ut occupatas à variis ducibus, etiam ignotis quibusdam rebellibus Provincias, beneficiario jure possidendas concederent, ita ut in Califarum clientela essent, aut esse se profiterentur : Oratio in Meschitis publica, quam *Corbet* appellant, Califæ nomine fieret, nummus eorum nomine signaretur : pro literis Investituræ & in supremæ dignitatis agnitionem munera mittere solebant, & quidem amplissima. Pecunias tributi nomine, etsi Hamarowia contulerit, tamen rarius id postea factum est, à beneficiariis illis principibus, quales omnes fuere qui amplissimos postmodum principatus fundaverunt, ut Deilemitæ ex Boüiadarum stirpe, Seljukidæ, & alii, qui spoliatis omni seculari autoritate Califis, solam ipsis spiritualem jurisdictionem reliquerunt, cujus præcipua dos esse videbatur, ut Muhamedis terræ domini nomine, provincias distribuerent ducibus qui eas occupaverant. Aliter omnino se habuerunt Fatimidæ, de quibus mox dicendum erit, qui utramque autoritatem valere jusserunt, seque Califas appellaverunt. Verùm utrique à Califis nihil timebant : Hamarowia non item, qui non satis confirmatam autoritatem, hoc quasi religionis velo retinere satagebat, apud superstitiosiores, quales erant Syri & Ægyptii : tum etiam cavebat ne quis ex tot purpuratis in aula & exercitu potentissimis, qui fere omnes Turcicæ erant originis, Ahmedisque in prætorianorum militum numeris commilitones, ab eodem Califa Præfecturam Ægypti obtinerent. Eam itaque dignitatem armis & prudentia ita stabilivit, ut cum summa potestate per annos duodecim, vastas illas provincias obtinuerit. Adjunxit etiam sibi Califam per connubium cum filia sua *Katerelneda*, quam Motadido despondit. Erat is Muafiki filius, qui mortuo ex crapula Motamido suffectus est anno Hegiræ 279. J.C. 892°. Is Motadidus 16us fuit ex familia Abbassidarum, regnavitque annis 10, mortuus anno 282°, J. C. 920°. Hamarowia qui filiam suam Califæ filio collocare voluerat, eam ipsi Motadido libentiùs collocavit : tantaque nuptiarum magnificentia fuit, ut ærarium suum intempestivo illo fastu exhauserit. Mira de toto illo apparatu narrant historici, atque inter alia quòd à Misra usque Bagdadum in singulis mansionibus palatia filiæ ædificaverit, ornata pretiosissima suppellectile, cum ingenti servorum

numero : dona infinita simul misit : aiuntque Califam qui Hamarowiæ fastum & profusionem noverat, libenter ad has nuptias adjecisse animum, ut eum opibus spoliatum faciliùs in ordinem redigeret. Ingentem quoque pecuniæ vim effuderat Hamarowia in ædificia amplissima, quæ paternis adjunxerat, eo in loco quem *Katabia* vocabant prope Misram, usque ad montem Elmoktam qui est urbi contiguus. Præter arcem & palatium, magnum ambitum muris cinxerat, ubi milites prætorianos collocaverat, secundùm diversas nationes, diversa quoque loca ipsis attribuendo, ut tanquam in castris, sub ducum disciplina & oculis principis essent, neque facilè possent tumultuari. Ibi erat Hippodromus, & alia ædificia multa ad aulæ ministerium necessaria : equilia sex aut septem millium equorum capacia ; tum stabula ad camelos & alia jumenta innumera. His ædificiis multa alia superaddidit Hamarowia : Hippodromum aliò transtulit, & in eo loco hortos fecit, luxu tanto ut nihil ad voluptatem aut ad dignitatem deesse videretur. Exercitum habebat numerosum, & quotannis nongenta aureorum millia ad eum alendum expendebat : præter cohortes prætorianas ex selectis militibus, inter quos ipse pugnabat, nec semel cladem acceptam cum illis copiis reparavit, hostesque deleta exercitus sui parte victores, in fugam vertit. Sufficiebant his sumtibus amplissima Ægypti, & aliarum provinciarum vectigalia. Ex Ægypto jam ab Ahmedis filii Tolonis tempore colligebantur quater millies mille & trecenti mille aurei denarii : ita enim meliores Autores, non ut Elmacinus trecenties millies mille & trecenti mille aurei : qui error librarii, fraudi fuit viro clarissimo, dum in Bibliotheca sua Orientali annuum sub Tolonidis reditum Ægypti trecentorum millionum fuisse ait, quod omnem fidem excedit : neque enim talis ex tributis summa conficiebatur, cùm Arabes Ægyptum quam rapinis & tyrannide exhauserunt, integram obtinerent. Trecenti verò milliones aureorum, sexcentos milliones circiter librarum nostratium efficerent. Periit eo ipso anno nuptiarum filiæ Hamarowia, cùm esset Damasci, non conjuratione principum, aut immissis sicariis, ut quidam Autores scribunt ; sed in hunc modum. Erat perditæ in masculos libidinis ; cùmque in balneo turpia patrare in puerum ministrantem conaretur, isque injuriam pati noluisset, eum ad necem usque verberari coram se jussit. Conservi, odio tantæ sævitiæ, impotentisque libidinis dominum suum in strato dormientem obtruncaverunt, quod in Ægy-

Makrizi. t. 1. descript. Ægypti.

Bib. Orient.

pto vix potuissent. Habebat enim leænam mansuefactam, custodem corporis sui, ita edoctam, ut dormienti, ad pedes cubans, neminem etiam ex notioribus & magis familiaribus Eunuchis accedere pateretur, donec evigilaret : sed fida illa custos in Ægypto remanserat. Hic finis Hamarowiæ fuit, tam frequens, in historia illa barbarica, ut exempla inde maxima duci possint : parum valere absolutam illam, & tyrannicam principum autoritatem, qui nulla lege nisi voluntate sua obstricti, duri, crudeles, quotidianis cædibus terribiles, non modò subditos, sed ne quidem servos fideles habere potuerunt. Neque enim in omnium sæculorum historia tot occurrunt rebellionis, perfidiæ, cædiumque domesticarum exempla, quot in duobus vel tribus admodum Saracenicæ historiæ sæculis : aut magis insanarum libidinum in propudiosa illa religione, quæ greges pellicum habere sinit.

Occiso Hamarowia successit filius ejus Gisch, qui anno 283° depositus est à Tagagio Damasci præfecto, moxque occisus, substitutusque in ejus locum Haron frater ejus : qui dignitatem retinuit usque ad annum 292um, quo periit, occisus à patruis Schiban & Adi filiis Ahmedis filii Tolonis.

Anno 289° quo obiit Mutadidus, creatus est Califa Moctafi 17us Abbassidarum, qui obiit anno 295°. Is cùm labasceret in Ægypto dignitas Tolonidarum ob Haronis imperitiam & juventutem, tum avunculorum adversùs eum conjurationem, Schibano Viziri Ægypti munus contulit ; sed mox incautum oppressit, suffecto ei Muhamede Solimani filio, qui Emirus Ægypti à Califa institutus est. Ita pristinam autoritatem ea in provincia quodam modo Califæ recuperaverunt, sublatis Tolonidis : Eodemque anno Muhamedi subrogatus est Isa Nouchiri ; isti demum Muhamed filius Hali Halengi anno 292° Hegiræ.

Anno 295 Muctadirus Califa renuntiatus est anno ætatis 13°, regnavitque usque ad 320um, J. C. 932um. Tantæ paucis annis mutationes rerum fuerunt, ut nulla jam ferme Califatus antiqui forma superesset, lacerato per diversas rebelliones Imperio, occupata à Safariis, Tabaristana, Chorasana, & aliis vicinis provinciis : Carmatianis quoque Arabiam & alias regiones magna cum Muslemanorum strage vastantibus, exortis tandem circa eadem tempora Fatimidis, qui duce Obeidalla Ægyptum occupaverunt. Hæc fusiùs exponenda forent, si Orientalem historiam scriberemus. Verùm quando quidem res Ecclesiasticas, non politicas

prosequimur, hæc sufficiunt ut intelligatur quæ tunc esset Ægypti conditio.

Cosmas Patr. LVIII.

COSMAS PATRIARCHA LVIII.

PAUCA etiam admodum de hoc Patriarcha habet noster historicus, qui absque ullis rerum circumstantiis, aut temporis nota, eum ordinatum fuisse scribit, post mortem Gabrielis, nempe anno Hegiræ 311°, J. C. 923. secundùm Canonem Abulbircat anno Martyrum 636°, qui ut superiùs diximus, si Coptitarum calculi recti sunt, respondet anno J. C. 920°, qui est Hegiræ 308us, non 311us, etsi eumdem Makrizius assignat. Elmacinus non omnino constat sibi, nam annus Muctadiri 7us, quo Gabrielis initium definit, est Hegiræ 302us; à quo si undecim numerantur, primus Cosmæ erit 313us, non 311us.

Res Æthiopicæ.

Præcipuum argumentum hujus historiæ est, quòd Cosmas Patriarcha constitutus, in Æthiopiam miserit Metropolitam à se ordinatum. Cùm verò rara hæc admodum & singularis narratio sit, autoris ipsa verba apponere visum est. *Magna sanè*, inquit Autor, *& mirabilis res accidit ejus tempore, nempe quòd ordinavit unum ex Monachis Metropolitam Æthiopiæ. Ea autem regio vastissima est, atque ipsa est regnum Saba, ex quo Regina Austri ad Salomonem Regem Davidis filium venit. Cùm Rex circuire regnum illud suum vult, integrum annum consumit in itinere, dominicis diebus exceptis, donec ad locum unde profectus est redierit. Ea regio est Indiæ vicinisque provinciis finitima; estque subjecta Sedi Evangelicæ D. Marci ad hanc usque diem.* Ex illis porro verbis apparet, traditionem vulgarem illam quam hujus & superioris sæculi Autores omnes qui de rebus Æthiopicis scripsere, acceperunt, & nobis tradiderunt, jam ante aliquot sæcula apud Alexandrinos receptam fuisse, quòd scilicet Regina Austri ex Æthiopia propriè dicta advenisset, atque ex eo itinere prima cognitionis Dei Israelis indicia in patriam retulisset, unde etiam ritus Judaicos multos atque ipsam circumcisionem apud se originem habere scribunt Æthiopes. Videnda quæ de hac traditione primus scripsit Damianus de Goez in libello non contemnendo de Moribus Æthiopum, Franciscus Alvarezius in Itinerario, & deinde qui historiam & res Æthiopiæ præ cæteris illustravit Baltazar Tellesius Lusitanus Societ. Jesu in historia sua vernacula; tandemque Jobus Ludolfus,

L. 1. c. 4. & 5.

Ludolfus. Nec illi solùm, sed plerique Arabes testes sunt hujus traditionis, ut inter alios Abuselah Armenus, qui *Nejaschi* ita vocant Æthiopiæ Regem, quem *Neguscb Negulchat* sui vocant, hoc est *Regem Regum*, à Salomone per Menileck filium originem ducere existimant, atque adeo plerosque Æthiopas esse ex Israelitica stirpe, sed quosdam etiam se à Mose, per uxorem Æthiopissam prognatos gloriari scribit Abuselah.

Æthiopum traditio de Israelitica sua origine.

De ejusdem Regni amplitudine nihil refert Autor, quod non aliorum fermè omnium Autorum testimonio confirmetur: & quod aiunt Provincias illas omnes antiquitùs subjectas fuisse Alexandrino Patriarchæ, verè istud ab Alexandrinis dicitur, eos enim esse ex illa *Axumitarum* gente, ad quos Frumentius quem *Fremonatos* vocant, cum Ædesio ab Athanasio missus sit, omnes ferme consentiunt. Quòd verò ad Jacobitarum hæresin defecerint, non alia causa fuit, quàm vastitas finitimarum provinciarum per Muhamedanos facta; nam primis annis, & integro ferme post Ægyptum captam sæculo; cùm Melchitæ seu Orthodoxi, tanquam Græcæ religionis, addictissimi essent Constantinopolitanis Imperatoribus, apud Arabes in magna semper novarum rerum suspicione fuerunt. Unde usque ad Cosmam de quo dictum est superiùs, per annos ferè centum Patriarchis caruerunt. Interea Jacobitæ, qui ante Muhamedanorum dominationem, metu Legum Imperialium in Monasteria, & præsertim remotiora Sahid sive Thebaïdis fugerant, ibique Patriarchas & Episcopos habuerant, facilè in Æthiopiam conterminam penetrare potuerunt. Cùmque Episcopos non haberet Æthiopica Ecclesia, nisi quos Metropolita suus ordinabat: is autem à nemine præterquam ab Alexandrino Patriarcha ordinaretur, dubium esse nullum potest, quin Metropolitæ illi, si qui fuerunt à Jacobitis ordinati, eamdem sectam professi fuerint; atque ut Sacerdos, ità & populus Æthiopum barbarus, illiteratus, inscius rerum omnium quæ adversùs Hæreticos in Concilio Calchedonensi constitutæ fuerant, eamdem hæresin imbiberit, & huc usque servaverit. Ex ea etiam calamitate Ecclesiarum sine Episcopis, quam diuturnam fuisse verisimile est, cùm hujus Metropolitæ missio, quasi novum quiddam & inauditum prædicetur, aliud quoque malum natum est, quòd scilicet etiam Sacerdotibus Æthiopes caruerint, & in disciplina Ecclesiastica multis modis peccaverint, ut dicetur in singulari Dissertatione de Ecclesia Æthiopica. Porro si conje-

De regni amplitudine & ad hæresin defectione.

Reges Sacerdotes.

Vu

ctura locus est, non alia ratio fuit cur Reges Æthiopiæ & Nubiæ Sacerdotes fuisse à multis autoribus scriptum sit: præsertim ab Abuselah & quibusdam aliis. *Æthiopiæ Reges omnes sunt Sacerdotes*, inquit Abuselah, *Liturgiam celebrantes super altaria; & quamdiu regnum obtinent, nihil quidquam manu propria occidere solent: si quis contrà fecerit, amittit jus Liturgiæ, & leges omnes quas antea promulgavit irritæ fiunt.* Idem de Nubiis dixerat, quorum par omnino conditio in ea Ecclesiarum calamitate fuit. Non ignoramus, quàm multa à doctissimis viris scripta sint adversùs famosam illam Presbyteri Joannis appellationem, quæ ante ducentos & ampliùs annos passim ab omnibus Æthiopiæ Regi tribuebatur: quàm plerique laboraverint ut ostenderetur, nomen illud Presbyteri, ex aliquo alio detortum: cujus etymon dum in Persica lingua Scaliger invenisse existimavit, nugas effudit nugacissimas. Alii non adeo docti, cùm originem hujus nominis quæsiverunt, illudque Æthiopiæ regi convenire pertenderunt, etsi doctis delirare videbantur, habebant tamen testimonium ex Arabico libro ante annos quadringentos scripto, in quo res ipsa traditur, etsi non nomen Presbyteri, sed functiones tantùm ei attribuantur. Plura nos docere possent aut sanè deberent, qui integros & ponderosos de rebus Æthiopicis commentarios ediderunt, qui illud solummodo nobis demonstrant frustrà ingratum laborem trahi, in explicandis rebus obscurissimis, quando desunt literaria præsidia, ut in hoc genere desunt. Nam etsi nihil simile legatur apud Autores nostros, præterea nihil ex literatura Æthiopica Jobus Ludolfus agnoscere potuerit, non est tamen cur dubitemus aut ita fuisse, aut Abuselah, vel qui similia scripserunt ita credidisse. Neque erat quod eos offenderet, quia nihil obstabat quominus crederent eum qui regiam autoritatem habebat, potuisse Sacerdotem esse, cùm Sacerdotibus in tota Orientali Ecclesia uxores post Ordinationem retinere licuerit. Plura Autores non intellexerunt. Nos verò quantùm conjecturâ assequi possumus, existimamus Reges illos cùm ex illa quam Arabes intulerunt vastitate, non modò Metropolita, sed Episcopi & Sacerdotes deficerent, ex zelo, sed non secundùm scientiam, Liturgiæ quamdam speciem adumbrasse, ut ita regiæ majestati, ex Sacerdotio cumulata autoritas accederet. Ubi verò Sacerdotum & Episcoporum copia fuit, evanuit illud Regum Æthiopiæ Sacerdotium. Sciunt porro qui laboriosum opus viri clarissimi Jobi

Ludolfi legerunt, eum nihil omninò reperisse quod ad illorum temporum historiam illustrandam conferre posset. Jam reliqua prosequamur.

Metropolita Æthiopiæ à Rege susceptus.

Metropolita ille qui in Æthiopiam missus est, Petrus vocabatur: eum Rex benevolè suscepit, & in honore habuit. Postea cùm finem vitæ suæ appropinquare sentiret, accersito coronam tradidit, filiosque duos ejus curæ commisit, atque ita locutus est: *Tu es Vicarius Regis Christi Dei magni, in cujus potestate sunt omnia regna mundi: Regnum igitur meum & filios meos trado tibi, ut tu eos regas secundùm voluntatem Dei: eum ergo quem digniorem melioremque judicaveris, ipsum coronâ impositâ regem constitue.* Postea rex obiit, cùmque Metropolita juniorem filium, majore digniorem judicasset, eum coronavit. Interea venerunt in Æthiopiam Monachi duo, Mennas ex Monasterio S. Antonii, & socius ejus nomine Victor, vagabundi & regiones circumeuntes, qui Metropolitam adiverunt, pecuniamque ab eo postulaverunt. Cùm nihil obtinuissent, unus eorum sumto Episcopali habitu, falsas simul tanquam à Patriarcha Alexandrino literas exhibuit, quarum hæc erat sententia. Accepisse se quod impostor quidam nomine Petrus in Æthiopiam profectus esset, se pro Metropolita venditans literasque falsas deferens: monere igitur, neque eum verè Metropolitam esse, neque à se ordinatum, aut scriptas à se literas; verùm qui præsentem Epistolam deferret, eum esse Metropolitam: jubere igitur ut statim atque Epistolam perlegissent, Mennam in solio Metropolitanorum collocarent, Petrumque expellerent: præsertim cùm ut famâ vulgatum erat, contemto majore Regis filio contra jus & fas, minori regnum detulisset. Major principum privatam vitam agebat, paucis admodum ei conjunctis: sed cùm falsas illas literas accepisset, audacior factus copias congregavit, lectisque publicè literis, fratrem bello aggressus, cepit & in carcerem conjecit: tum Mennam quasi Metropolitam Petri loco constituit, quem in exilium misit. Postea relatum est Patriarchæ quidquid in Æthiopia à duobus nefariis illis Monachis perpetratum fuerat, fugiente in Ægyptum Victore, postquam Cellam falsi illius Metropolitæ socii sui spoliasset. Patriarcha re intellecta Mennam excommunicavit; eumque Rex Æthiopiæ occidi jussit. Misit qui Petrum ab exilio reducerent, sed jam obierat. Discipulum ejus comitem accersivit ut ejus loco Ecclesiam administraret. Petiit ille ut facultas sibi daretur proficiscendi in Ægy-

ptum, ubi ordinaretur, pollicitus se rediturum. Negavit Rex; eumque, quamvis ordinationem non accepisset, coegit pro Metropolita se gerere, atque ita permansisse aiunt usque ad Philothei Patriarchæ tempora: quod tamen videtur impossibile: nam etiamsi ultimo hujus Patriarchæ anno hæc contigissent & Philotheus statim Metropolitam Æthiopiæ ordinasset, anni intercurrunt fere septuaginta, quot Discipulum Petri vixisse in ista dignitate credi vix potest. Unde cùm ipse Autor historiæ, testetur quinque sequentes Patriarchas nullum Æthiopibus Metropolitam ordinasse, verisimile omnino est Ecclesiam illam absque Antistite, Episcopisque fuisse per annos multos, ut superiùs à nobis dictum est. Reliqua dicentur in vita Philothei: ubi magis lucere incipit historia Æthiopica. Nam in omnibus qui de ea scripserunt autoribus, nomina Regum nuda reperiuntur, sed quando vixerint, in obscuro est. Notandum etiam obiter quàm nulla Ludolfo fides adhibenda sit, qui in Historia sua Æthiopica, ut suæ Lutheranæ
L. 2. c. 9. causæ serviat, illud παράδοξον fusè probare conatus est, Regem summam potestatem habere circa sacra; quod nullo alio argumento adstruit, quàm ex iis quæ his postremis temporibus acta didicit, ab Æthiopiæ Regibus, quo nihil magis absurdum. Nam si ex eorum literis & precibus, ad Alexandrinos Patriarchas, pro Metropolitanorum ordinatione summa illa Regum in sacris autoritas probari existimatur quod viro doctissimo placuit, at vel eo solo exemplo, imò lege constanti & perpetuâ, hanc ejus opinionem everti contendimus. Certum enim est nunquam Regis de Metropolita judicium aut postulationem expectatam fuisse, verùm quandocumque missus Metropolita in Æthiopiam legitur, is fuit quem elegerat Patriarcha, non quem Rex designaverat. Aliter, nemo non fatebitur daturos statim operam Reges fuisse, ut haberent plures Episcopos & Metropolitas, quantùm secundùm Canones satis esset ad Metropolitam ordinandum; quod, ut alio loco dicetur, obtinere nunquam potuerunt. Et tamen maxima, si quæ unquam, Ecclesiæ Æthiopicæ necessitas id postulabat, ne per annos multos absque Episcopis essent, imò & absque Sacerdotibus. Magnum etiam Patriarchalis supra Regiam autoritatis in rebus Ecclesiasticis indicium est, quod omnes ad hæc usque tempora, quorum tanquam Æthiopiæ Metropolitanorum memoria occurrit, tam apud Arabes, quàm apud Æthiopes, alienigenæ fuerunt, juxta disciplinam quæ Nicænis Arabicis Canonibus con-

tinetur, contra mores omnium Ecclesiarum, commodaque regni publica : quam quidem consuetudinem sublaturos Reges fuisse, si suprema illa sacrorum jura habuissent, non est dubitandum. Sed enim id non audebant, gnari ordinationem nullam esse nisi per impositionem manuum Episcopalium, & cum illius Patriarchæ quibus suberant autoritate. Quòd si legisset Ludolfus ea quæ Rex cujus nomen ignoramus, fecit dum Petri discipulum coegit pro Metropolita Æthiopiæ se gerere, eo exemplo fortassis usus fuisset, tanquam argumento validissimo. Verùm quidquid contra leges factum est, & superiori judicio condemnatum, non potest transire in rem judicatam. Certissimum autem est Patriarchas Alexandrinos nunquam, attentata illa contra communem omnium Ecclesiarum disciplinam probavisse, neque ex paucis exemplis quæ necessitas & summa ignorantia produxerunt, quidquam secutum, nisi ut quando licuit, omnia in pristinum statum restituerentur, ut sub Philotheo Patriarcha factum videbimus. Quod verò hîc adjicitur jussisse Regem, ut successor Regni à Metropolita designaretur, tum quod scribit Abuselah Reges Æthiopiæ non aliter inaugurari, quàm acceptâ coronâ, & simul impositione manus à Metropolita, in Ecclesiis S. Michaelis & sancti Georgii sub illorum imaginibus, satis ostendit, quàm isti barbari alieni sunt, ab ea quam ipsis affingit Ludolfus, de regia super Ecclesiasticam potestatem autoritate, opinione.

Etsi porro Autores nostri duodecim annis sedisse Cosmam asserant, tamen præter ordinationem Metropolitæ Æthiopiæ, ne literam quidem de eo scribunt, nisi quòd obiit 3ª mensis Phamenot, anno Hegiræ 323° secundùm Elmacinum, cùm Macarii successoris ejus ordinationem eidem anno assignet, qui fuit J. C. 934ᵘˢ, atque adeo Martyrum 650ᵘˢ : ad quem calculum proximè accedit Canon Chronicus Abulbircat, qui obitum ejus refert ad annum Martyrum 649ᵘᵐ. Quia verò mensis Phamenoth in Kalendario, Martio ferè respondet, annusque incipit à Toth seu Septembri, idcirco hæc differentia non difficulter conciliari potest. At sedisse illum scribit Autor idem annis 13, nempe ab anno Martyrum 636°, quo ejus ordinationem assignat; quique fuit J. C. 920ᵘˢ. Hunc verò Cosmam planè omisit Catalogus Kircherianus.

Obiisse circa illa tempora Christodulum Melchitarum Alexandriæ Patriarcham scribit Eutychius, anno, ut ait, Hegiræ 320°, Christodulus Orthodoxorum Patriarcha.

qui est Diocletiani 649us; sed ut superiùs ostensum est, triennio fallitur, cùm Hegiræ 323us sit, J. C. 934us, Martyrum 650us.

Damasci Ecclesiæ spoliatæ. Refert Makrizius, postquam Cosmam annis 12 sedisse scripsit, anno Hegiræ 312°, J. C. 924°, Muslemanos Damasci Ecclesiam S. Mariæ Virginis incendisse, vasaque & ornamenta omnia abstulisse, quæ maximi erant pretii. Vicinas quoque Ecclesias multas pari modo spoliavisse, tam Jacobitarum quàm Nestorianorum. Eutychius hanc Ecclesiam fuisse ait, quæ *Catholica* appellabatur: & quæ aureorum ducentorum millium sumtu ædificata fuerat. Spoliata quoque Monasteria vicina, atque inter alia, Sanctimonialium. Remlæ duas Melchitarum Ecclesias diruerunt, sancti Cosmæ & S. Cyriaci; Ecclesias quoque Ascalonensem & Cæsariensem: querelâ ad Moctadirum delatâ, jussisse illum ut iterum ædificare eas liceret, testantur historici.

Elmac. p. 196. *Eutych. t. 2. p. 512. & 513.* *P. 515.*

Ex eodem Eutychio discimus anno 311° Muslemanos Tennisæ, Ecclesiam Melchitarum quæ erat extra arcem, diruisse; *quæ appellatur*, inquit Pocockius interpres, *Ecclesia Buthaur*; legendum, opinor, *Buctor*, hoc est Victoris, cujus titulo plures Ecclesiæ in Ægypto extitisse leguntur: Eam cùm reparare ex integro Christiani cœpissent, tumultuatos iterum Muslemanos, opus diruisse: Califæ tamen autoritate ad finem perductum fuisse.

Præfecti Ægypti. Sub Muctadiri ejusdem Califatu magna Præfectorum Ægypti alternatio fuit. Anno 293°, Isa El-Nuchiri restitutus, Emiri dignitatem obtinuit rursus ad annum usque 298um. Huic substitutus est à Califa per annos quinque; & anno 303°, Deka Rumeus, quo dejecto restitutus est Tekin anno 306°. Adversùs eum missus Mahmud filius Gemil anno 309°, postea Halalf Beder, anno 310°; quo deposito, institutus est à Califa, Ahmed filius Kiklage. Anno 312° Tekin artibus, pecunia, vi grassatus, quartò tandem Ægypti Præfecturam obtinuit, & tenuit usque ad annum 320um. In hunc modum Ægyptus multis modis vexata est; quamvis enim extinctis Tolonidis, videbantur Califæ pristinam autoritatem recuperasse; tamen cùm numerosos exercitus Emiri in potestate haberent, magnasque pecunias, quando exhausti erant muneribus, & auro ad Regiam Bagdadensem misso, accedebant Duces copiarum aliqui ex Turcica illa militia qui provinciam licitarentur, novasque à Califis literas impetrabant, ut suo periculo veteres Præfectos expellerent, & in eorum locum succederent.

Nihil enim Principes illi ad se pertinere arbitrabantur, an provincia rectè administraretur, modò suam in ea autoritatem conservarent; quod faciliùs futurum existimabant cùm pecuniis militeque exhausta foret, ut fuit sanè paucis annis post exactos Tolonidas. Sed barbara illa & tyrannica politica illis fraudi fuit: nec enim potior amissæ dominationis Ægypti, quæ nunquam deinde ad Califas rediit, causa existimanda est, quàm frequens hæc Vizirorum & Præfectorum mutatio. Nam dum illorum dignitatem & autoritatem ne nimia esset sicut Tolonidarum fuerat, imminuere satagebant, eosque absque ulla ratione deponere & spoliare cœperunt, fecere ut illi in favore militum præsidium quærerent; & paulò pòst Tekin moriens, apud illos egit ut filium suum juramento præstito Emirum Ægypti salutarent. Sed eum deponendum curavit Muhamed filius Taagi El-Akchid Farganensis; qui anno 320° pulsus ab Ahmede filio Kiklage, anno 323° dignitatem recuperavit, retinuitque usque ad an. 334.

Quantùm ad res Christianas præter illa quæ huc usque retulimus, nihil ferme occurrit apud Muhamedanos scriptores, nisi quod Autor Historiæ Ægyptiacæ Ebn-Werdi refert, ad annum Hegiræ 296um Muctadiri Califæ edicto prohibitum ne quis Christianis aut Judæis uteretur, præter quàm ad medicinam, & negociaturam, utque vestibus furvis induerentur, haberentque assumenta diversi coloris, de qua lege jam olim promulgata sub antiquioribus Califis jam dictum est. At vix credibile est, non aliam calamitatem sustinuisse Christianos, in tanta dominorum mutatione; sed deficiebant, ut videtur memoriæ rerum gestarum, quæ ad aliquorum hujus sæculi Patriarcharum Historiam spectabant.

Addit Makrizius Vizirum Isam anno 313°, cùm in Ægyptum venisset, tributum novum Episcopis, Monachis, & pauperibus indixisse: illos verò Bagdadum misisse & à Muctadiro Califa præceptum obtinuisse, ne quidquam ab illis ultra consuetudinem exigeretur.

Macarius Patr. LIX.

MACARIUS PATRIARCHA LIX.

Macarii ordinatio.

DE hoc etiam Patriarcha nihil habetur, nisi quòd ordinatus fuit post decessoris sui mortem, eodemque anno Martyrum 649°, qui est J. C. 933us, mense Farmuthi, die tamen non assignato: at quia mensis ille sequitur proximè eum quo alter obiit; sedes non ampliùs mense uno, & biduo minùs vacasse deprehenditur. Ordinationem ejus refert Elmacinus, & ex eo Makrizius ad annum Hegiræ 323um, qui est J. C. 934us, exiguâ sane differentiâ, sedisseque annos 20, omnes consentiunt, hoc est usque ad annum Hegiræ 343um, vel Martyrum 669um, mortuumque esse 24a mensis Phamenoth. Oriundus erat ex pago quodam regionis El-Rif, *Chebra Kebala* appellato: professusque erat vitam Monasticam in Monasterio S. Macarii ad Vallem Habib. Statim atque ordinatus est, Alexandriâ discessit, neque enim manere solebant in ea urbe Patriarchæ, ex quo Chail possessiones ad Ecclesiam pertinentes vendiderat. De eò nihil aliud refertur, nisi quod ad pagum ubi natus erat profectus est, matris quæ superstes erat visendæ gratiâ; ad quam cùm venisset, ornatu Patriarchali, comitantibus Episcopis, ea se loco non movit, nec ullum illi aut Episcopis honorem detulit; sed flens, dixit malle se ut ad eam mortuus in feretro delatus fuisset, quàm eum tali pompa & fastu ad se ingredientem conspicere: ea de causa se esse tristem nec lacrymas continere, quia cogitabat, eum de peccatis tam numerosæ multitudinis rationem Deo redditurum: ita confusus recessit. Plura de eo non leguntur, nec in historia Patriarchali, nec apud Elmacinum.

Res Muhamedanæ.

Quæ verò ad ista tempora pertinent, ita se habent. Muctadirus anno Hegiræ 320°, in prælio contra Munesum rebellem qui Mosulam occupaverat, occisus est, cùm regnasset annos 25, quod nemini Califæ ante eum contigerat. Bis depositus fuerat, & dignitati restitutus. Eo mortuo, in ejus locum substitutus est Muhamed Abulmansor Kahir billa, vulgò Kahirus. Anno 322° depositus est, adeoque contemtus, ut vitâ ei concessâ, ad Meschitarum ostia mendicare coactus sit. Sub ejus Imperio Ægypti præfecturam obtinuit Muhamed filius Taagi cognomine Akchid, qui provinciam cum absoluta autoritate, non modò quandiu vixit, tenuit, sed filiis etiam transmisit. Successit Kahiro Ahmed Abul Abbas, Elredi billa Elredi vulgò per syncopam

Elmac. p. 192.

ſyncopam dictus, aut *Arradis*, ut Erpenius, & alii, juxta leges grammaticas moroſi, efferre ſolent. Erat autem Muctadiri filius, & deceſſoris ſui ex fratre nepos. Obiit anno Hegiræ 529°. Porrò cùm magna rerum mutatio facta fuerit ſub illo Principe, qui præter Bagdadum amiſerat antiquam omnem Califarum ditionem, paucis explicandum eſt, qualis tunc foret ſtatus Muhamedanorum Imperii.

Califarum illius temporis conditio.

Califæ quidem etiam in proprio ſolo, nihil præter nomen & titulum *Imperatoris fidelium* ſupererat: nam Viziri autoritatem omnem ad ſe traxerant: eos etſi ſuſtulerit El-Redi, tamen novam in aula ſua dignitatem inſtituit, aliâ ſuperiorem, quàm Muhamedi filio Raiki contulit. Eum enim deſignavit Emirum ſupremum, ſeu *Emirum Emirorum:* nempe ut omnibus Emiris ſeu Purpuratis dignitate & autoritate ſuperior, non modò negotia omnia adminiſtraret, ſed etiam Califæ loco concionem haberet ex ambone in Meſchitis, & vexillum præ ſe ferri juberet. Ille verò & ejus ſucceſſores eam autoritatem nacti, Califis nonniſi titulos inanes reliquerunt. Alii quoque diverſarum familiarum principes qui Bagdado potiti ſunt, eam Emiri ſupremi dignitatem ſibi conferri ſatagebant, atque ita quaſi familiares Califæ & ejus Vicarii eos in poteſtate habebant. Quomodo autem multæ provinciæ occupatæ à diverſis familiis tunc fuerint, paucis verbis explicat Elmacinus. Ineunte, inquit, anno 325°, J. C. 936°, mundus erat in manibus victorum, qui reges terræ erant; nam quicumque regionem aliquam obtinebat, regem ſe appellabat, & ab alia cæteros depellebat. Baſora, Waſſit & Ahowaza erant in poteſtate Abu-Abdallæ Baridæi & fratrum ejus. Erat ille Veredariorum magiſter, qui eas regiones occupavit, ſed ejus familia poſt paucos annos extincta & in ordinem redacta eſt. Perſia erat in manu Hamadeddoulæ filii Bowiæ, & Mardawigeorum: primi totum fermè Orientem deinde occupaverunt, & Mardawigeos debellatos ſpoliaverunt. Mauſila, Diarrabia, & Diarbekra erant in manu filiorum Hamadani: qui ex Arabica origine ſummam per annos aliquot dignitatem obtinuerunt, fueruntque ex illa familia multi literarum & literatorum fautores, præſertim ſub Seifeddoula, quo principe vix ullus erga doctos præſertim Poetas magnificentior, aut doctior in Arabica literatura fuit, adeo ut celeberrimi Poetæ ex ejus aula prodierint. Poetarum autem nomine Arabes Perſaſque intelligimus, nihil ſanè minus quàm Poetas, ſed

Elmac. p. 203. Ebn-Chuknah. Makrizi. Præf. hiſt. Emir Cond. Leb Tavich.

versuum artifices: neque enim Poeticæ artis propriè dictæ, gustus ullus apud illos unquam fuit. Ægyptus & Syria in manu Muhamedis Akchidi filii Taagi. Mogreb, seu Africa Occidentalis, & Africa propriè dicta, in manu Kayemi filii Mehedi: Hispania in manu filiorum Ommiæ. Chorasana in manu Nasri filii Ahmedis Samanidæ, quæ familia magnum quoque in illis Provinciis principatum fundavit, ex qua primus Ismael, devicto, capto & ad Califam Mutadidum adducto Amro filio Laïth, Chorasanæ, Masanderanæ, Sistaniæ & vicinarum provinciarum Emirus factus est; quæ quidem familia à Bowiadis destructa est. Yemama, Bahrein, & Hajara Arabiæ, à Karmatianis obtinebantur. Hi autem qui non modò rebelles erant, sed etiam Hæretici, Meccam ceperant, & loca superstitionibus Muhamedanorum consecrata polluerant, peregrinos occiderant, & spoliaverant: neque Califæ solùm sed Muhamedanæ religioni bellum indixerant. Ita cessavit per annos duodecim Meccana peregrinatio & Carmatiani lapidem nigrum inde ablatum per multos annos apud se habuerunt. Hæc fuit Califarum conditio, qui ad ultima usque tempora nihil pristinæ dignitatis, vix ipsam urbem Bagdadum retinuerunt.

Eutychius Alexandriæ post Christodulum Orthodoxus Patriarcha. Elmac. p. 208.

Obiit Christodulus Melchitarum Alexandrinorum Patriarcha anno 320°, quem Eutychius componit cum anno Martyrum 649°, qui est J. C. 933us. Sederat autem annis 26, & mensibus 6. Sepultus est Fostatæ in Ecclesia S. Michaelis. Successit eidem in Cathedra Alexandrina, 1° Califatûs Kaheri anno, Sahid filius Batrik Medicus, Fostatæ Misiræ, seu Cahiræ, natus, appellatusque est Anba Eutychius, nempe à suis Græcis, Græco nomine quod Arabicum exprimeret. Annum ordinationis suæ ipse Eutychius scribit fuisse 649um Diocletiani, Hegiræ 321um. Qui annus incepit à 31^{a} Decembris, anno J. C. 932^{i}, & annus 320us, eodem quoque anno à 12^{a} Januarii. Obiit autem Eutychius secundùm Elmacinum anno Hegiræ 328°, cùm sedisset annos 7, menses 6.

P. 517.

Elm. p. 208. Testatur idem, continua inter ipsum & populum ejus diffidia fuisse, donec Akchid misit ducem quemdam ex suis Abulhacenum, cum militum manu Tanin, ubi obsignavit Melchitarum Ecclesias, vasa aurea & argentea, pretiosamque supellectilem: quæ omnia Misram ad Akchidum deportari jussit: tantumque auri & argenti pondus fuisse, ut majori libra ponderaretur. Episcopum Taneos obtinuisse per Ministeriales qui in Divano scribarum officia sustinebant, ut solutis quinque aureorum millibus Ecclesiæ

vasa & ornamenta restituerentur. Episcopum bona Ecclesiæ vili pretio vendidisse, ut hanc summam conficeret: Akchidum emtores coegisse, ut quod justo pretio deerat persolverent: Christianos cùm hæc sua dissidia tot malorum sibi causam fuisse, serò intellexissent, ad concordiam rediisse. Cùm verò celeberrimum sit apud Orientales Eutychii nomen, adeo ut non modò Christiani, ut Elmacinus licèt in diversa secta vixerit, Abusebah & alii eum cum laude appellare soleant, sed ipsi Muhamedani ut Makrizius qui diligenter eum legerat; nec, ut ex Willelmi Tyrii testimonio patet, autoribus nostris ignota ejus historia fuerit, de eo pauca dicenda sunt. Nam quamvis longam & doctam ejusdem Historiæ editioni Præfationem Edwardus Pocockius præmiserit, non deest tamen post amplam illam messem spicilegio locus.

De Eutychio Alexandrino.

Docet historia Medicorum Ebn-Osaibea satis celebris apud Arabes, eum Medicinæ operam dedisse: nec in Theorica tantùm, sed etiam Practica illius artis parte multùm valuisse, neque minus peritum fuisse scientiarum quæ apud Christianos commendantur. Electum fuisse Patriarcham anno ætatis suæ 60°, & obiisse eo quo diximus anno. Præter libros de Medicina, qui ad institutum nostrum non pertinent, scripsit *Disputationem inter Hæreticum & Christianum*: Historiam, cujus titulus est *Contextio gemmarum*, quam scripsit in gratiam fratris sui Isa filii Batrik Medici: *De scientia jejunii Christianorum & Paschatis ipsorum.* Nos in variis codicibus manuscriptis plura de illo autore non reperimus. Quæ verò Joannes Seldenus in longa præfatione ad librum, quem ipsi *Origines Ecclesiæ Alexandrinæ* appellare placuit, commentatus est, non tam juvandis Lectoribus quàm ostentandæ eruditioni cumulata sunt, quæ ut plurimùm ad rem non pertinet. Quid enim, amabo, Abumasari, & aliorum doctorum Astronomorum mentio, quid omnia tandem valent, nisi ad confusionem historiæ Orientalis in qua infantissimus erat Seldenus? Nam ut exemplo, ejus historica sphalmata designentur, dum Eutychium natum asserit, *Achmede Eben-Toloni Califatum obtinente Ægypti*, satis intelligitur eum nescivisse penitùs quid esset Califa. Neque enim, ut ex superiùs dictis omnibusque historicis manifestum est, Achmed filius Tolon, Califam se appellavit, sed erat Emirus, Califæ supremam autoritatem agnoscens, de ea parum sollicitus. Quod verò Seldenus Eutychium tantis laudibus exornavit, non aliâ causâ factum, quàm ut par-

ticulam ejus historiæ quæ Presbyterorum autoritatem ad ordinandum Patriarcham spectare videbatur, majori fide commendaret. At quot errorum portenta malè intellecto illi loco superstruxerit, norunt eruditi, apud quos contemtibilem omnino Eutychium fecit inanissimus Seldeni commentarius. Eum verò totum evertit, non ingenio sanè, sed autoritatibus, Abraham Echellensis in *Eutychio vindicato*, quam *Dissertationem lucifugam* dum vocat Pocockius, eam in manus ejus nondum pervenisse cùm scriberet, intelligere possumus. Nec ille tamen qui tot annis supervixit, nec Protestantium quisquam adversùs illam reponere quidquam huc usque ausus est. Habet sanè Eutychius unde commendetur inter Orientales, apud quos historia generalis nulla extat, quæ cum illius opere possit comparari. Unde non solùm Christiani, sed Makrizius & alii Muhamedani eam sequuntur, atque is ultimus eam ab utilitate sua laudandam existimavit, eamque descripsisse perpetuò deprehenditur. Mirum quippe est quanta sit Christianorum Orientalium in antiquis rebus inscitia. Cùm enim dudum perierint Versiones Syriacæ autorum Ecclesiasticæ historiæ, sed soli tituli apud eos conserventur, præter sacras scripturas nihil habent ultra Josephum Gorionidem, cujus exemplaria neque Græcis, neque Hebraicis, quorum nemo nescit quanta sit diversitas, neque inter se consentiunt. Nam plerique Codices Arabici Josephi Gorionidis nomine, interpolatam Maccabaicorum librorum versionem repræsentant. Et tamen qualiscumque illa Eutychii historia sit, præstat omnino aliis, ut ex hoc opere nostro satis manifestum est : unde Jacobitis celeberrimis cura fuit, ut illam circa Concilium Calchedonense, & res Eutychii & Dioscori refellerent, quod fecerunt inter alios Severus Episcopus Aschmonin, & Isa filius Zaraa, Autores inter eos nominatissimi. Sed nec historiâ suâ solâ Jacobitis displicuisse visus est : multò magis disputationibus de Incarnationis Mysterio adversùs illos suis, quarum specimen ea est quæ in edito codice occurrit initio Tomi secundi ; docta sanè & quæ nostros homines docere queat, in quo potissimùm consistat Jacobitica hæresis, quave ratione à Melchitis impugnetur : neque enim ex vulgari Theologia satis hæc intelligi possunt, multò minùs ex Thomæ Biatiensis Commentariis, qui tam aliena à proposito continent, ut fructum apud Orientales nullum facere omnino queant. Tandem ut id etiam obiter moneamus, tot nominum propriorum monstra quæ editam

historiam deformant, non tam autori qui ea rectè descripserat, quàm editori tribuenda sunt, qui absurdam religionem adhibuit, nihil ut quidquam in suis exemplaribus immutatum vellet: etiam ubi error manifestissimùs erat: aliter, opinor, facturus, si in meliores codices incidisset, ut sunt proculdubiò quos habemus in Regia, Colbertina, aliisque Bibliothecis.

THEOPHANIUS PATRIARCHA LX.

Theophanii ordinatio.

ÆQUE` obscura est, ac præcedentes aliquot, istius Patriarchæ historia: in qua statim nihil aliud circa ordinationem ejus occurrit, nisi quòd fuerit substitutus in locum Macarii. Ordinatio facta fuit eodem anno quo alter obiit, nempe Martyrum 669°, qui est Hegiræ 342us: Makrizius 345° ex Elmacino; & mense Mesori, secundùm Canonem Abulbircat, qui in eo loco satis accuratus est, ut in proximè præcedentibus Patriarchis. Jam autem Theophanius ad summam senectutem pervenerat, eratque præterea variis morbis vexatus. Solvit initio à Patriarchis aliis pendi solitam Alexandrinæ Ecclesiæ mille aureorum annuam pensionem; quæ cùm ipsi gravis admodum videretur, eam aut imminui, aut remitti ab Alexandrinis postulavit. Illi pertinacissimè negaverunt; cùmque eâ occasione magna inter illos jurgia intercessissent; quidam cæteris approbantibus objecerunt, illum præter vestem dignitati suæ convenientem nihil habere quo se super alios tam impotenter extolleret; qui ornatus, non illius esset, sed ipsorum qui illum dederant. Theophanius irâ tumidus vestem Patriarchalem humeris detractam humi abjecit, & coram illis conculcavit: statim verò arripuit eum immundus spiritus, adeo ut vinculis ferreis eum constringi oportuerit. Postea cùm illius curandi causâ statutum fuisset, ut Misram deportaretur, ne palam fieret ejus furor, eum in navis partem imam detruserunt. Ibi magis ac magis furiosus, blasphemare cœpit, eaque proferre quæ non nisi ab impiis & hæreticis dici possunt, imò secundùm autorem Chronici, Christum abnegare. Quidam verò ex Episcoporum qui simul erant Clericis, tantas blasphemias impatienter ferens ad eum noctu descendit, impositoque super os ejus cervicali incumbens, spiritu intercluso, eum necavit. Aiunt alii porrectum ipsi venenum: Chronici Autor scribit ipsum ab Episcopis occisum & in mare projectum. Atque ita pessima morte periit; & ut

titulus historiæ illius habet, gratiam & misericordiam ab eo Deus abstulit. Sedit annos quatuor, obiitque 10ª mensis Cohiac. Makrizius adjicit menses 6, Elmacinum secutus; atque ita Abulbircat, in eo diversus ab autoribus historiæ Patriarchalis, quod obiisse afferat 4ª mensis Phamenoth, anno Martyrum 674°, qui est J. C. 958us; atque adeo Hegiræ 347us, non 350us, ut ex Elmacini calculis colligitur.

Elmac. p. 229.

Successio Califarum.

Ut autem, sicut huc usque factum est, principum successio à nobis designetur, post Califam Elredi mortuum anno Hegiræ 329°, Califa salutatus est, frater ejus Ibrahim Abu Isaac Moctafi billa, vulgò Moctafi, depositus anno 333°. Nulla autem omnino fuit ejus autoritas, sed in Emirorum potestate fuit, pulsus etiam Bagdado à Berideis de quibus dictum antea fuit: qua urbe Nassireddoula eos quidem pepulit, sed ipse eam occupavit, pulsus paulò pòst à Buzuno Turca. Mox ubi depositus est Califa, Akchid eum in Ægyptum quâ potiebatur, invitavit; sed omni dignitate exutus, ad annum 357um supervixit.

Elm. p. 210.

Successor ei datus est frater ejus patruelis Mustacfi, integro nominum apparatu dictus Abdalla Abulcasim Mustacfi billa anno 333°, & anno sequenti qui fuit Æræ Christianæ 945us. Filii Bowiæ Bagdadum occupaverunt duce Muazzeddoula, à quo paulò pòst depositus & excæcatus Califa, obiit anno 338°, J. C. 949°. Erat autem inter Abbassidas 22us.

Elm. p. 214.

Substitutus est in ejus locum Abul Abbas Mutia billa, quem Mutium vocavit Erpenius anno 334°, quo etiam obiit Akchid filius Taagi Princeps Ægypti & Syriæ, cujus potestas non minor fuit quàm Tolonidarum: sed ita ut nulla in eum esset Califarum autoritas. Ei successit Muhamed Abuhur filius ejus, verùm Cafurus quidam servus emtitius, qui decem & octo aureis olim vænierat, Akchidi libertus, cùm negotiorum pondus sub domino suo prudenter & fæliciter sustinuisset, omnem autoritatem retinuit; etiam post Abuhuri mortem, cui anno 348°, J. C. 960°, successit Hali frater ejus. Maxima tunc potentia fuit filiorum Bowiæ, qui Persiam, Gailanam, Tabaristanam, Yracamque occupaverunt, & per annos 127. regnaverunt; tandemque à Seljukidis sublati sunt, Bagdado captâ. Ita res Orientis se habebant sub istis ultimis Patriarchis: nam Mutia Califatum deposuit anno Hegiræ 363°, J. C. 973°, & sequente obiit.

MINA, five MENNAS, PATRIARCHA LXI.

DE iftius electione legitur in Hiftoria noftra, quòd in fede Alexandrina conftitutus fuerit, Cafuro Akchidæo Ægyptum gubernante, anno Martyrum 673°, J. C. an. 957°: atque ita non convenit fupputatio annorum Canonis Abulbircat, qui ejus ordinationem affignat eidem anno, quo obiit Theophanius, nempe Martyrum 674°, menfe Farmuthi. Elmacinus eum conftitutum afferit anno Hegiræ 350°, quem comparat cum anno Diocletiani 678°, 2° Halis filii Akchidi, 17° Califatus Mutiæ. Annus ille eft J. C. 962us, Hegiræ 351us: qui calculus cum præcedentibus Elmacini ftare non poteft, nifi vacaverit fedes annis aliquot, cujus vacationis nulla occurrit memoria. Alium characterem Chronologicum affignat Autor Hiftoriæ, fed falfum, nempe quod conftitutus fuerit annis tribus antequam Fatimidæ Ægyptum occuparent: neque enim eam ingreffi funt ante annum 358um, ut ex Elmacino aliifque autoribus manifeftum eft. Ut verò ad Mennam revertamur, erat ille ex Sendala urbecula oriundus, Monachus ad fanctum Macarium, ubi per annos complures fumma cum laude vixerat. Cùm enim à parentibus uxorem ducere coactus fuiffet, eam hortationibus fuis ad fervandam caftitatem compulit. Paulò pòft eâ relictâ ad vallem Habib profectus, habitum religionis accepit, & in Cella dicta *Dernaba* per annos multos vixit. Cùm mortuo Theophanio conveniffent Epifcopi, Primorefque Chriftianorum ad eligendum fucceflorem, & fama fenis apud omnes vigeret, miffi funt qui eum accerferent. Excufabat ille fe ob ætatem jam ingravefcentem, quafi laboribus imparem, quos Patriarcham fuftinere neceffe eft: atque ea ratione fecundùm Canones mediæ ætatis homines eligere oportebat, ne in fenibus imbecillitas, in juvenibus carnales cupiditates prævalerent: fe tandem ineptum effe huic muneri teftatus, defignavit Mennam difcipulum, cùm alii proteftarentur, fe non priùs abituros, quàm aliquem nominaffet. Statim omnes clamaverunt ἄξιος, ἄξιος, fecundùm vulgarem approbandæ electionis rationem, quæ non folùm inter Ordinationis folennia, fed etiam fuffragia ferendo, approbationis confenfufque publici formula fuit. Illum igitur catenis vinctum Alexandriam deduxerunt. Contigit autem ut iter faciens ad patriam terram perveniret: ibique à fuis honorificè

P. 230.

exceptus est, prodeuntibus cum cruce thuribulisque in occursum ejus. Dum hic quiescit, vir quidam malus murmurare apud alios cœpit, & cuidam Episcopo quæstionem proposuit, an non ipsi satis scirent hominem uxoratum, non posse fieri Patriarcham. Id cùm Episcopus affirmasset, statim ille negavit Mennam ordinari posse, cujus uxor huc usque apud eos permaneret. Id Episcopus cum magno mœrore aliis significavit, qui præ pudore electionis, quam ab omnibus rejectum iri judicabant, magnopere turbati, silentium tenebant, cùm Mennas causâ intellectâ secretum suum & uxoris suæ manifestare coactus est: unde ingens omnium admiratio, atque ita tumultus conquievit.

Origo Fatimidarum Ægypti Califarum.

Statim Autor ad res Ægypti quæ novis dominis parere coacta est explicandas stylum convertit, sed eas parum accuratè describit, adeo ut alios Autores sequi necesse sit, cùm etiam in nominibus hallucinetur. Quia verò inutile foret, saltem ad rationem instituti operis quod est planè Ecclesiasticum, eam narrationem diligentiùs excussam ad veram historiam revocare, omissis illis autoribus sequemur meliores Muhamedanos, qui eam fusissimè tractaverunt. Igitur Fatimidarum qui anno 358° Hegiræ, J. C. 968°, Ægyptum occupaverunt, origo ex Africa petenda est. In eam venit ante annum Hegiræ 298um, J. C. 910um, Arabs quidam, ex eorum numero qui Dervisiorum seu Monachorum vitam profitebantur, nomine Abdalla. Is priùs circa Cufam & Basoram prædicaverat, vindicandam esse Halis & ejus filiorum nepotumque cædes, in familiam Abbassidarum, qui per vim & absque titulo, Imperium simulque Pontificatum occupaverant. Collectâ hominum ingenti multitudine, *Sunitas*, qui Abbassidarum dignitatem tuebantur, passim cædere, & in eos ferro flammaque sævire cœpit. Ita cùm animos suis fecisset, promisit Dei nomine *Mehedin* se, hoc est ultimum ex Halis familia principem quem Persæ adhuc expectant, mox exhibiturum: atque Obeidallam, veluti ex Ismaele filio Jafar procreatum, *Mehedin* appellavit. Mox ad invadendam Africam cum illis profectus est, atque ex ea provincia filios Agleb, qui à multis annis eam possidebant sub Califarum autoritate, prorsus ejecit, Kirowanamque occupavit. Erat urbs illa Africani Muhamedanorum regni caput, ædificata, ut vulgò scribunt Arabes, ab Akba filio Nosa sub Muavia ante annum Hegiræ 40um, triginta tribus parasangis distans à Carthagine ortum brumalem versùs, à mari duodecim. Ibi Obeidalla

Obeidalla sedem fixit, postquam omnes jurare in verba sua coegisset, circa *Imamiat*, seu Pontificatum Halis, & ejus familiæ, dissentientes occidi jussisset. Postea Mehediam, à suo cognomine appellatam urbem ædificavit, in qua ad finem usque vitæ regnavit. Successorem habuit Mansorem, mox Kayemum, & tandem Moazzum. Is cùm intellexisset quo in statu Califarum Bagdadensium res essent, adeo ut nihil ab ipsis periculi imminere videretur, cùm Cafurus Nigrita ex Nubia Eunuchus, sub Akchidi filiis provinciam fortiter administraret, nihil tentare ausus est, sed eo mortuo Jauherum cum magno exercitu misit; qui anno 358°, ut diximus, Ægyptum nemine obsistente occupavit. Autor hujus vitæ Jauheri adventum incidisse scribit in annum Martyrum 683um, qui est J. C. 967us; respondetque anno Hegiræ 357°: sed cùm ejus initium ducatur à 6^a Decembris, totus fermè ille annus incurrit in annum sequentem Julianum: atque ita nulla aut exigua differentia est. Statim Jauherus cùm Misram venisset, publicato edicto, omnes Muhamedanos coegit ad novam quodammodo fidei professionem, nempe circa Pontificatum, & Califatum. Facta enim est Oratio publica *Cotbet* vulgò dicta in Meschitis nomine Muazzi, qui se *Emir Elmoumenin*, sive *Imperatorem fidelium*, & Califam appellavit. Ita sublata est Califarum Bagdadensium in Ægypto autoritas, etiam spiritualis illa, quæ sola apud illos à multis annis supererat: & quæ non restituta est, nisi tempore Salaheddini, anno Hegiræ 567°, extinctis Fatimidis. Jauherus Kahiram ædificare cœpit eo ipso anno, nempe novam: vetus scilicet propriè *Misra* dicebatur, ante Muhamedanos dudum condita; quæque antiqua Memphis judicatur Orientalibus Geographis: atque inter alios Abulfedæ, Makrizio, Kazwinio & aliis: & sanè pars quæ in Occidentali ripa Nili sita est, adhuc *Mensf* appellatur. Ex adversa parte Amrus qui Ægyptum primus ex Muhamedanis subegit, eo in loco, ubi dum castra ante urbem haberet, tentorium fixerat, novam urbem condidit, *Fostatam* appellatam; quæ vox, inquiunt, *Tabernaculum* significat, ex Græco-latina barbara *Fossatum* ut videtur deducta. Hinc vulgò *Fostat* & *Fostat Mesr*, Misram seu Cahiram significat. His novis ædificiis alteram quasi arcem Jauherus adjunxit, quæ *Kahira* appellata: quasi *coactrix* & *jugum ferre cogens*. De ea extant multa apud Arabes volumina.

Anno tandem 362° Hegiræ Muazzus relictâ Kirowanâ, &

Mehediâ, ablatisque thesauris omnibus in Ægyptum venit : atque Kahira sedes Regni Fatimidarum facta est. Cùm verò Abbassidæ nigrum colorem proprium sibi fecissent, adeo ut vexillum Imperatorium, vestes, tapes qui amboni in Meschita imponi solebat, atri coloris essent, Muazzus album substituit, & is plerisque Africanis & Arabibus communis erat, qui mos huc usque perseverat. Ita Ebn-Chalican, Makrizi, & Autores omnes quos recensere non est operæ pretium. Narrat Autor hujus historiæ unum ex Akchidæis qui post Cafuri mortem provinciam regebat, Bschammyritas de quibus alibi dictum est, promissâ immunitate à vectigalibus, adhortatum esse ad Fatimidas fortiter repellendos : illos communicatis inter se consiliis noluisse periculoso huic bello se exponere : *Birum* quemdam, ab illis desertum, copiisque dissipatis, Damietam fugisse : tum navi Joppen pervenisse, ubi captus, & in carcerem conjectus est : detractaque ejus pellis, & fœno farta ad ludibrium in crucem sublata est.

Narrat etiam fuisse in urbe Tani, quam Tinis vocant, juvenes Muslemanos feroces & nefarios, qui omnibus pecunias imperabant, domosque spoliabant, interim quotidianis comessationibus vacantes : nec Muazzo obedire volentes. Scripserunt ad eum Christianorum primarii, ut ducem cum exercitu ad se mitteret : illi verò obsidionem aliquamdiu fortiter toleraverunt ; sed cùm aqua dulcis defecisset, quæ per novem menses navibus tantùm advehi poterat ; conditiones deditionis acceperunt, mediatore Kaschelamo viro in urbe præcipuo. Is cùm ad Ducem Fatimidam profectus esset, eas conditiones confirmatas obtinuit : centum ex illis latronibus qui supererant, decem denariis aureis acceptis, & veste splendida per triduum convivio excepti sunt : postea omnes ex muris suspensi. Tandem Fatimida urbem ingressus, mœnia solo æquari jussit, quæ adhuc dum Autor scriberet, diruta permanserant.

Fames in Ægypto : Patriarchæ fuga.

Postquam Muazzus Ægyptum occupavit, per annos septem maxima annonæ caritas fuit ; nam primo anno Nilus defecit, altero imbres ; sequentibus grando, aut locustæ sementes perdiderunt. Itaque ingens hominum multitudo periit, adeo ut Episcopales sedes vacuæ remanserint, quòd plebem non haberent ; & vicinis Episcopatibus adjungebantur, non ordinatis novis Episcopis. Patriarcha in regione Elrif quæ est inferioris Ægypti, manere coactus, in quodam pago qui *Mahalat Daniel* appellabatur, à divite quadam fœmina Dina sustentatus est cum

ſuis diſcipulis, quo tempore fames maximè ſæviit: eoque anno, nec Alexandriam ingreſſus eſt, neque ex more profectus eſt ad Vallem Habib, ut in Monaſterio S. Macarii, ſolenne officium conſecrationis Chriſmatis perficeret: ſed eo ipſo in loco ædificavit altare parvum, ubi Chriſma conſecravit. Nempe hujus conſuetudinis hæc origo eſt, quòd cùm ſub poſtremis Chriſtianorum Imperatoribus Alexandriâ præcipuiſque urbibus exularent, receperunt ſe in Thebaidem, præſertimque in S. Macarii Monaſterio latuerunt, ibique annuas ſolennitates celebrabant, inter quas non poſtremo loco cenſetur confectio ſacri Chriſmatis, quæ multis cum cæremoniis perficitur. Extat de eo ritu volumen integrum ſecundùm diſciplinam Eccleſiæ Alexandrinæ Copticè & Arabicè. Non alia autem ratio fuit cur illa conſecratio in Eccleſia S. Macarii fieret, quàm quòd ibi Quadrageſimam tranſigere ſolebant Patriarchæ, ut ex variis hujus hiſtoriæ locis obſervari potuit: tum ut liberiùs ſacris officiis vacarent illis in locis ubi Muhamedani nulli, qui Alexandriæ & Miſræ, nimiùm frequenter ea conturbare religioni ducebant. *Mſ. Bib. Reg.*

De Menna nihil extat præterea, niſi quòd obiit cùm ſediſſet an. 18. Elmacinus & Makrizius annos 11. Abulbircat 12. & menſes 8. numerant: hic mortuum menſe Cohiac, alii 15. Haturi. *Elm. p. 230.*

Quamvis autem nihil præter pauca illa quæ retulimus de Mina, hiſtoria Patriarchalis contineat, ſub eo tamen contigerunt nonnulla, quæ licèt ad Antiochenam Eccleſiam pertineant, tamen ob ſummam quæ per annos multos viguit conjunctionem illius cum Jacobitica Alexandrina, ad eam quodammodo videntur pertinere. Refert quidem Michael Epiſcopus Taneos in vita Zachariæ 64ⁱ Patriarchæ rem planè ſimilem: an eadem ſit poſtea diſcutietur. Sed autoritatem habet maximam Codex Seguierianus, multa Patrum teſtimonia continens de unius naturæ confeſſione, quibus Epiſtolæ Synodicæ ab Alexandrinis ad Antiochenos, & viciſſim, ſubjunguntur, quæ publicè ſcriptæ in Epiſcoporum Synodis, pondus habent inter eos non mediocre. Servavit igitur nobis codex ille Synodicam Joannis Patriarchæ Antiocheni ad Minam Alexandrinum ſcriptam, ut in fine notatur anno Alexandri Macedonis 1280°, hoc eſt J. C. 968°: quo tempore ſedem ille tenebat, ordinatus, ut dictum eſt, anno J. C. 958° aut 961°: variant enim Autores in aſſignandis ejus initiis. Sed *Res Antiochenæ.*

cùm annos undecim, vel etiam, ut alibi habetur, duodecim, aut decem octo, quod aliis placet, sedisse dicatur, ad eum scripta fuisse debet hæc Joannis Antiocheni Epistola. Titulus talis est: *Epistola Synodica Patris sancti Anba Joannis Patriarchæ Antiochiæ, ad Anba Minam Patriarcham Alexandrinum quando Romæorum, seu Græcorum Imperator misit, qui Joannem Patriarcham in vincula conjicerent; eumque Constantinopolin duci jussit: ubi in conspectu suo, præsente Constantinopolitano Patriarcha, & viris Imperii primariis, cum eodem Constantinopolitano de fide disputavit.* Quomodo res gesta sit, ita Joannes ipse narrat in Epistola.

Epistola Synodica Joannis Antiocheni.

Cùm Imperator Emessa Constantinopolin rediisset, meque priùs in eam urbem misisset, Patriarchæ Constantinopolitano mandavit ut nos coram se adduci juberet. Accersiti igitur ab eo fuimus feriâ vª ante Dominicam Palmarum, aderatque circa eum magna Ecclesiasticorum ejus multitudo: illi verò priusquam ad Patriarcham perveniremus, venerunt tumultuatim nobis obviam, clamantes & vociferantes, scilicet ut terrerent & perturbarent nos, antequam in illius conspectum veniremus: sed Deus acceptissimarum orationum vestrarum merito, patientiam nobis & fortitudinem dedit. Interjecto longo temporis spatio pervenimus ad Patriarcham, in locum consessus sui, ubi multitudo magna, & armati circa eum erant. Postquam eum salutavissemus, illeque nos salutasset, & sedere jussisset, interrogare nos in hunc modum cœpit. *Cujusnam loci Patriarcha es?* Respondi: *Patriarcha sum sedis Antiochenæ. Duo igitur*, inquit, *Patriarchæ estis super unam sedem constituti, & tamen inter vos scissura est: tu enim sedem unam tenes; ille alteram.* Respondi *scissuram sanè inter nos esse.* Tum ille: *Num constitutus es Patriarcha? & quis tandem Patriarcharum ordinationem tuam consensu suo approbavit?* Tum ego: *Alexandrinæ sedis*, inquam. *Quod est ejus nomen*, inquit? Respondi, *Dominus Minas.* Ad hæc Constantinopolitanus: *At ille hæreticus est, scripsit enim ad nos literas insulsas, & confessio fidei ejus de Christo prava est: tum habemus Alexandriæ Patriarcham Orthodoxum nomine Eliam.* Respondi: *Nos Patriarcham Alexandriæ novimus neminem, præter Anba Minam patrem & collegam nostrum in Christiano ministerio.* Tum dixit mihi: *Qualis est Confessio tua de Christo? an asseris eum descendisse de cœlo, habitasseque in sancta*

Maria Virgine, ex qua acceperit corpus secundùm naturam nostram: affirma aut nega. Ad hæc respondi: *Confiteor quòd Deus Verbum qui est ante omnia sæcula, filius Patris, descendit de cœlis, & habitavit in sancta genitrice Dei Maria, & assumsit ex ea personaliter corpus secundùm naturam nostram, animatum & anima rationali atque intelligente præditum: atque ita ex ea natus est Deus homo factus, absque immutatione aut alteratione.* Tum ille: *Numquid hæc eò spectant ut in Christo duæ naturæ sint?* Respondi: *Confitemur Christum compositum esse ex duabus naturis, sed post unionem, unam solummodo naturam agnoscimus, & personam unam Verbi incarnati.* Tandem post longam disputationem eo die recessimus.

Advenit postea Dominica Paschatis, qua die fuimus absque Liturgia, & communione & sine festo, sicut dictum est in Prophetia, *Festivitates vestræ convertentur in luctum &c.* Vocavitque nos Imperator ad se in majorem Ecclesiam illorum, cujus ornatum nobis ostendit, insignemque apparatum pretiosæ supellectilis, velorum & luminarium, tum maximam populi magnatumque multitudinem; existimans scilicet nos eo spectaculo rerum periturarum quibus pueri commoveri solent, delinitum iri. Cùm deinde Imperator Eucharistiæ communionem percepisset, & egressus fuisset, accersivit nos; & postquam nos verbis duris & gravibus increpasset, *An*, inquit, *divisus est Christus, ut secundùm Paulum unus dicat, Ego sum Cephæ; alius, Ego sum Apollo, alius aliter.* Deus autem eo momento dedit nobis per orationum vestrarum auxilium, ut convenienter ei responderemus ex tempore. Post multa quæ nonnisi multis verbis referre possem, dimisit nos cum viro quodam, cui ut nostri curam gereret mandavit, à quo in locum ubi priùs hospitati eramus, deduceremur.

Dominicâ novâ seu in Albis, accersivit nos Imperator, verbisque blandis & benignis nos allocutus est in hunc modum. *Muslemani*, inquit, *& Judæi nobis insultant, dicendo: Sunt variæ apud vos hæreses, cùm quidam Melchitæ sint, alii Jacobitæ, alii Nestoriani, præter cæteros. Cur igitur inter nos & inter vos dissidia sunt? congregamini ut simul vobiscum inquiramus in scripturis sacris, per mensem unum, duos vel tres, ubi tandem sit veritas, & eam sequamur omnes.* Existimabat scilicet se verborum blanditiis nos illecturum, opinatus veritatem tenere

se, & eam apud se esse. Respondimus statim, annuere nos eis quæ ipse dixisset; & cùm eo salutato discederemus, dixit nobis: *Apud quem mavultis fieri congressum vestrum: apud istum, an apud me; aut apud Patriarcham, aut apud Metropolitas, aut apud Monachos?* Respondimus, *Apud quemcumque Imperatori clementissimo placuerit: sumus enim apud vos & in vestra potestate: rogamus tantùm ne qua injuria nobis fiat, aut incassum laboremus.* Tunc recessimus ad eum locum ubi priùs diverteramus. Elapso biduo accersivit nos Patriarcha, apud quem aderant Metropolitæ, & magnates Imperii magno numero, & disputatio haberi cœpit. Illi porro ne verbum quidem ullum ex Scriptura sacra pro testimonio protulerunt, sed proprio sensu multa non sine ostentatione ad suæ sententiæ confirmationem differebant, ut probarent duas in Christo esse naturas. Respondimus illis, agnoscere nos *illum ex duabus esse naturis, ut asseruerunt omnes sanctæ Ecclesiæ doctores, sicut anima & corpus.* Verùm, inquiebant, homo est in duabus naturis. Respondimus nos non agnoscere nisi naturam unam compositam: unam à nobis teneri, sicut voluntatem unam & operationem unam: adeo ut operationes duplices in eo non sint. Cùm verò ex scripturis sententias illis proponeremus, non auscultabant, etiamsi multoties illis dixerimus, nos nihil à nobis dicere, sed ea referre quæ sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores veraces asseruerunt, unionem scilicet Christi Dei nostri, in quo post unionem non agnoverunt, nisi naturam unam Dei Verbi incarnati, ita ut post unionem duorum mentio penitus sublata & extincta sit.

Hæc cùm audiisset Patriarcha, dixit: *Quemnam Ecclesiæ Doctorum* producetis nobis ad confirmationem opinionis quam tenetis & propugnatis, & quam nobis exponitis. Respondimus ei: Sententias producimus omnium Doctorum qui fidem confirmaverunt, & Ecclesiam ædificaverunt, unusquisque tempore suo. Tum ille: *Potestis ex sententiis S. Cyrilli adducere testimonia ad confirmandam unionem illam quam commemorastis.* Id nos præstituros esse polliciti sumus, quod ille tamen existimabat præstare nos præ ignorantia non posse. Descripsimus igitur testimonia quæ in fine hujus libri referuntur, & quidem Græcâ linguâ, atque illi obtulimus. Ea cùm vidisset, accepit, & non legit. Dixi igitur illi: *Jubeat Patriarcha legi sibi hæc testimonia Doctorum Orthodoxorum, quorum autoritati nos & vos pariter acquiescimus, ipsi*

enim sunt Patres nostri: ita quippe intelligetis quid Patres dixerint, quidque nobis designaverint quando duas (in Christo) *naturas statuerunt, ante unionem, & post illam: amplectimur autem & approbamus ea quæ Patres pronuntiaverunt: & ista testimonia excerpta quædam sunt ex eorum sententiis. Cùm enim linguæ vestræ imperiti simus, brevitati studuimus, paucaque de multis selegimus, ut cognosceretis veritatem eorum quæ ad vos loquimur, & fidei quam tenemus: neque existimaretis nos imperitos illarum rerum esse, aut, quod judicatis, nos errore teneri.*

Illi nihil nobis responderunt, nisi quòd hanc quæstionem nobis proposuerunt. Gregorius Theologus in Epistola prima ad Cledonium, arguit Apollinarium eumque reprehendit, quòd negaret Christum assumsisse corpus perfectum, cum anima rationali & intelligente, asseritque duas in eo naturas, sicut corpus & animam. Ad ea nos diximus: Legite Epistolam ab initio ad finem, & agnoscetis quàm secundùm veritatem sanctus ille locutus fuerit, & quomodo ex ea Epistola, cujus testimonio utimini, regulam doctrinæ nobis definierit, dum ait: *Non est alius, & alius: absit: sed duo illa per unionem unum sunt:* neque tamen existimandum est S. Gregorium induxisse in Christo mistionem, & confusionem. Verùm hæc dixit ad confirmandam & explicandam unionem, ita ut unus sit cognitus in corpore, non duæ naturæ, ut vos asseritis. Illi more suo jactabundi dixerunt: Ecce sanè inducitis mistionem, & confusionem, divinitatemque passam asseritis, si unam naturam dicitis. Deus solus novit quæ in eo consessu transacta & dicta fuerunt, duodecies enim nobiscum congressi sunt, disputando de duobus illis testimoniis, quæ ipsis Græcè descripta dederamus, ad confirmationem doctrinæ S. Cyrilli. In primo occurrebant quæ Cyrillus refert ex Oratione Athanasii de Incarnatione Dei Verbi, in qua oratione refellit Diodorum & Paulum Samosatenum, & ait: *Sicut ipse est Filius Dei & Deus in spiritu, ita & ipse est filius hominis secundùm carnem.* Neque dicit duas esse naturas illius unius filii, quarum una adoretur, altera non adoretur, sed unam naturam Dei Verbi incarnatam, quam adoramus simul cum corpore suo, adoratione unâ & eâdem: tum alia quæ sequuntur vobis nota, quæque referre necesse non est. Iterum etiam ex Epistola ad Jovianum Imperatorem, in qua dicit Athanasius: *Unum dicere oportet, & confiteri naturam unam, & personam unam Verbi incarnati, ejus*

Testimonium Gregorii Theologi.

qui homo factus, humanitatem perfectam pro nobis adsumsit. Qui contrà sentiet, is inimicus est Dei, & sanctis Patribus repugnat.

Ita quoque legitur in Tractatu de fide Gregorii Thaumaturgi, ubi præcipua illius capita recenset. Ipse Deus verus, incorporeus, postea incarnatus est, manifestatusque est, perfectus omni quacumque perfectione vera & divina: non duo supposita, aut naturæ duæ; neque enim quatuor adoramus, scilicet Deum, filium Dei, filium hominis, & Spiritum sanctum: ea propter anathematisamus quicumque ita de eo credit, ut hominem illum esse dicat gloriâ divinâ cumulatum.

Hippolyti Portuensis.

S. Hippolytus Romanus Episcopus in Tractatu adversùs eos qui impugnant incarnationem Verbi Dei ob consubstantialitatem ejus (cum Patre): Virgo, ait, cùm peperit corpus, Verbum quoque peperit, & idcirco est Deipara: Judæi quoque cùm crucifixerunt corpus, crucifixerunt Deum Verbum; neque distinctio ulla inter Verbum, & corpus hominis occurrit in divinis scripturis; sed ipse est natura una, persona una, suppositum unum, operatio una: Verbum Deus, Verbum homo, quemadmodum erat. Item in Tractatu de Unione Corporis Christi & ejus divinitatis profitetur, illum qui creatus est, increatum esse per unionem: & illum increatum per eamdem unionem creatum fieri, quandoquidem natura una ex duabus illis integris partibus constat. Idem quoque in Epistola ad Dionysium Episcopum Cypri sic ait: Dum confitentur naturas duas, coguntur unum adorare, & alterum non adorant: in eo qui divinus est baptisantur, in eo qui homo est non baptisantur. Porro cùm in nomine Christi baptisemur, naturam unam confitemur, divinitatem impassibilem, & corpus passibile, ut baptismus noster sit in Deo & in morte Domini.

Προελθὼν δὲ Θεὸς μετὰ τῆς προσλήψεως, ἓν ἐκ δύο τῶν ἐναντίων σαρκὸς καὶ πνεύματος. Or. 38.

Οὐ δύο γενόμενος, ἀλλ' ἓν ἐκ τῶν δύο γενέσθαι ἀνασχόμενος. Or. 31.

Item Gregorius Theologus in Oratione de Nativitate Christi Domini. Prodiit Deus, cum eo quod assumsit; unum quid ex duobus contrariis carne & spiritu. Idem in Oratione de Verbo Dei ex Evangelio: Non factus est duo, sed unus ex duobus. Voluit ut Deus fieret homo perfectus; assumensque & assumtus, qui erant naturæ duæ, conjuncti sunt in unum.

Adduximus etiam Cyrilli verba ex ejus Epistola ad Acacium Malatiæ seu Melitenes Episcopum. Ea ex quibus unus ille constituitur, illeque filius & Dominus Jesus Christus, uno verbo comprehensa explicat, dicitque naturas duas unitas fuisse; & statim

tim post unionem operatio duorum tollitur, quia natura una est: credimusque in filium unum, qui incarnatus & homo factus est. Ista & nonnulla alia ex Cyrillo testimonia, quæ non modò pravè intellecta, sed parum fideliter conversa sunt, ut etiam quæ ex Gregorio Theologo proferuntur, alio loco expendemus.

Jacobitarum fidei confessio.

Tandem verò post pauca ita fidem suam Minas exponit: *Confitemur naturam unam & personam unam, perfectam ex duobus per unionem, absque alterutrius destructione, commistione, & corruptione, unius Verbi incarnatam. Testatur etiam Cyrillus in eadem sententia fuisse Patres antiquos & recentiores, eademque comparatione uti solitos; animæ scilicet & corporis. Credimus igitur, & affirmamus quòd unus est Christus filius Dei, ex duabus naturis, & personis divinitatis & humanitatis perfectis: quòdque factus est natura una, persona una Verbi incarnati & inhumanati. Neque omnino dicimus post unionem naturas duas, personas duas, voluntates duas; & operationes diversas: qui enim eam sententiam tenet, excommunicatus est, & damnatus à sanctis Patribus, præclarisque Ecclesiæ doctoribus, ut superiùs ostendimus: atque hæc est Nestorii sectatorumque ejus sententia.* Porro quoties de Nestoriana hæresi mentionem apud eos faceremus, indignatio eorum augebatur, valdeque se molestè ferre non obscurè significabant, aversarique Nestorium & ejus fidem, quam suo modo explicabant. Ea autem quæ suprà retulimus, & alia ejusmodi, pluries repetita, ipsis inculcavimus, quod narrare prolixioris operæ foret: at illi, solitâ suâ jactantiâ & contumeliis nos exceperunt, quasi superiores disputando fuissent: multa simul de Imperatore suo, ejusque miti dominatione ad fastidium ingerentes. Tandem cùm animadvertissemus eos non audire scripturarum sententias, nec veritati adquiescere, diximus illis: *Nos ex animi nostri consilio, ad vos non venimus, neque ut de fide vobiscum disputaremus expetivimus, sed Imperatoris autoritate, nos ut adessemus coegistis. Quod verò à nobis quæsivistis, ut quæ secta nostra foret, à nobis doceremini, id præstitimus, explicando vobis principium fidei nostræ, & id quod tradiderunt nobis SS. Patres doctores Orthodoxi, qui pastores fuerunt Ecclesiæ Dei, quique pro ea certaverunt, & fidem Apostolicam confirmaverunt. Vos porro illos nosque audire renuitis: complete igitur opera Patrum vestrorum, & eorum vestigiis insistite; nos majorum nostrorum vestigia sequemur.* Illi cùm animadverterent

frustrà esse ea omnia quæ ad nos commovendos, terrendos, aut à sententia dimovendos, adhibuerant, neque pollicitationes eorum aut præmia, debilibus nostris viribus ita prævaluisse, ut ad id quod volebant nos inducerent; sed quod in proposito nostro firmiter perseverantes, libenter nos inevitabili morti exponeremus; considerantes etiam quòd ad eam constanter sustinendam parati essemus, paululùm nobis molesti esse desierunt, sed postea nos in carcerem compegerunt, ubi etiamnum sumus, sperantes misericordiam Dei interventu orationum vestrarum. Interea cum fiducia in Deum, patientiam habemus, certi fore ut animi nostri nullo metu aut terrore quocumque modo perturbentur: innitimur enim ei qui non fallit sperantes in eum, qui nos non negliget, sed gaudium nobis & fœlicem tandem successum præstabit, judiciumque suum exequetur erga nos, & erga eos qui nos vocaverunt ad exponenda quæ hoc scripto continentur. Accepimus autem, nihil de nostra Constantinopolin profectione ad vos pervenisse, neque scire quomodo res gesta fuerit, quia quæ rumore perlata sunt, à veritate distant longissimè. Scimus etiam vos esse magnopere de nobis sollicitos, quia membra invicem sumus; & quando dolet unum membrum, totum corpus dolet: & uno spiritu agimur. Veriti autem sumus ne, quod Deus avertat, in dubium incideretis circa res nostras, ex illis quæ Satan maledictus disseminat, quæque tandem ad vos famâ perferri possent, per rumores incertos quos Diabolus facilè excipi facit, unde sinceris mentibus turbatio aliqua aut perplexitas, aut deceptio ingeri possent. Tum etiam curæ nobis fuit, ut quo in statu res vestræ forent, certò & verè cognosceremus. Reliqua ad officia mutua & benevolentiæ significationem pertinent. Commendant se quoque Alexandrinorum precibus, Episcoporum, Monachorum & aliorum; atque ab illis consolationem per literas petunt. Nominatim præterea salutant Alexandrinos, Mar Macara seu Macarius Scriba, seu Secretarius, quo titulo passim significatur apud Arabes Patriarchæ Protosyncellus, ut eum Græci vocant: Sergius Metropolita Euphemiæ: Jacobus Metropolita Semenduæ: Joannes Episcopus Abtoua: & Constantinus Episcopus Jerma; cum eorum discipulis Davide & Zacharia. Hucusque Joannis Antiocheni Patriarchæ Epistola.

De ea Epistola quid judicandum. Quin genuina sit, dubitare non licet, cùm omnes veri notas habeat, neque magis suspecta esse debeat, quàm tot aliæ Syo-

dicæ, quas liber unde eam descripsimus repræsentat. Annus etiam 1280us Alexandri, qui est J. C. 968us, congruit Mennæ temporibus. Quamvis enim de initio Pontificatûs Autor Historiæ Patriarchalis & alii non consentiant, tamen qui illud anno Martyrum 673°, J. C. 957°, alligant, quinque scilicet annis antevertendo Epocham ab Elmacino constitutam, cùm annos illi decem & octo transactos fuisse in dignitate testentur, ad alium hæc Synodica missa esse non potuit. Eo enim tempore Antiochia à Græcis capta fuerat anno 357° Hegiræ, J. C. 967°, secundùm Abulfaragium; nam fallitur Elmacinus qui id refert ad annum 364um, J. C. 974um. Ea enim urbs recepta est à Burtza sub Nicephoro Phoca, ut Cedrenus & alii testantur: obiit autem Nicephorus anno J. C. 968°. *Hist Dynast. p. 207. Elm. p. 233. Cedr. t. 2. p. 657.*

Joannes Antiochenus Patriarcha Jacobitarum qui fuerit, nam eo nomine plures occurrunt, non aliunde scimus quàm ex hac Epistola, quæ cùm ad Mennam directa sit, non potest ad alterum Mennam, qui quadragesimus septimus Alexandriæ Patriarcha numeratur, pertinere, qui obiit secundùm Elmacinum anno Hegiræ 159°, J. C. 775 : neque enim tunc Antiochia in Græcorum Imperatorum potestate erat, & Jacobitarum Patriarcha Georgius appellabatur, qui Athanasio successerat. Tunc etiam ob invasionem sedis Antiochenæ Jacobiticæ, contra Canones factam, de qua in vita Mennæ illius dictum est, desierant mitti Synodicæ inter eam & Alexandrinam Ecclesiam Epistolæ, neque commemoratio Patriarchæ Antiocheni in Diptychis Alexandriæ celebrabatur, abrupta prorsus inter utramque Ecclesiam communione. Itaque ad primum illum Mennam Synodica mitti non potuit, sed ad posteriorem, cùm jam redintegrata esset, utriusque Ecclesiæ concordia. Mirum tamen nullam ab Autore vitæ Mennæ 61^{i} illius fieri mentionem, quod tamen mirari desinet, quicumque ejusmodi historicorum indiligentiam perspectam habebit. De Joanne Antiocheno Jacobitarum Patriarcha.

Metropolitæ illi qui in fine Epistolæ nominantur, non magis noti sunt, quàm illorum sedes, si Euphemiam excipimus; nam alibi hujus Metropoleos, quamvis Græcis incognitæ, nomen occurrit : alia ne divinando quidem assequi possumus. Verùm id levioris momenti est, cùm in tanta bellorum quibus Oriens vastatus est diritate, multæ Episcopales urbes eversæ sint : plures cùm proprios in Orthodoxa communione Episcopos non habe-

rent, alios à Jacobitis acceperint : nam ipsi ut etiam Nestoriani novos Episcopatus, novasque Metropoles instituerunt, adeo ut Notitiæ Ecclesiasticæ, Græcæ & Latinæ, cum Jacobiticis & Nestorianis nullatenus conveniant.

Similis prope historia occurrit in vita Zachariæ.

Præcipua porro difficultas est quòd in vita Zachariæ Patriarchæ Alexandrini Jacobitæ 64[1] legitur eadem ferme historia de Joanne Antiocheno Patriarcha Constantinopolin accersito per Græcorum Imperatorem, & in carcerem detruso, adeo ut similia multa & prope eadem occurrant, nisi quòd Synodicæ hujus Epistolæ quâ calamitatem suam Joannes exponit, nulla memoria est. At quo tempore Zacharias Sedem Alexandrinam tenebat, Antiochenam Jacobiticam Joannes alius obtinebat. Certum id ex Synodica illius ad Zachariam & altera istius ad eum Epistola, quæ insertæ sunt Tractatui *de Fide Patrum*, unde alterius Joannis Synodicam transtulimus. An verò posterior ipse Joannes eadem à Græcorum Imperatore sustinuerit, quæ alter ejusdem nominis, expedire non possumus. Nihil sanè vetat quin satis longo temporis intervallo quod annorum plusquam quinquaginta fuit, Græcorum Imperatores, quibus non immeritò suspecta erat Jacobitarum in officio constantia, cùm tam ipsi quàm Nestoriani statim ad Muhamedanos in Syria & Ægypto defecissent, potuerint Antiochenos Patriarchas illius sectæ ad se accersere, quos dudum Antiochiæ manere non sinebant. At cùm nulla rerum illarum apud Græcos historicos memoria occurrat, divinare quisque, statuere certi quidquam nemo potest. Quòd in vita Mennæ de ea Epistola nihil reperiatur, alicujus momenti foret, si non paris indiligentiæ in eadem historia exempla multa suppeterent, quæ lector facilè per se deprehendet. Quidquid sit tandem, totam illam Epistolam suo loco retulimus, quam comparare facile erit cum ea historiæ parte, quæ in Zachariæ vita referetur inferiùs.

Alia Joannis Antiocheni Epistola.

Præterea extat in eadem Collectione Epistola Synodica ejusdem Joannis ad Mennam de communi Jacobitarum fide, scripta proculdubio statim post electionem Joannis juxta vetustam à Severi temporibus consuetudinem; sed caret notâ Chronologicâ, ut omnes aliæ, si eam quæ Constantinopoli scripta est excipimus. Incipit à confessione fidei circa Trinitatem : de Incarnati Verbi mysterio hæc habet, quæ quoniam Jacobitarum sententiam accuratè explicant, referre visum est operæ pretium.

Descendit de cœlis (filius unigenitus) in fine temporum pro-

MINA Patr. LXI. Epistola Joannis ad Mennam altera.

pter nos & propter nostram salutem, & incarnatus est de Spiritu sancto, & Mariâ, quæ est verè Θεοτόκος & semper virgo, accepitque ex ea corpus simile nobis secundùm naturam, & passiones, præditum anima rationali & intelligente : assumsitque illud corpus per unionem omnis commistionis expertem : nullâ intercedente divisione post ejus assumtionem, aut transmutatione à divinitate sua immutabili. Id factum est absque commistione, divisione aut alteratione: & quod intelligentiam omnem, similitudinemque superat, hæc ipsa unio est per quam ex duabus naturis, divina & humana, fit filius unus, Christus unus, Verbum incarnatum & inhumanatum perfectè : ita ut perfectus sit in divinitate sua, sicut perfectus est in humanitate sua ; secundùm doctrinam Patrum Orthodoxorum, qui eam sententiam confirmaverunt per inspirationem & adjutorium Spiritus sancti. Amplectimur etiam utiliter doctrinas, Basilii Magni, oris benedictionis : Athanasii viri Apostolici, turris fidei, fodinæque intelligentiæ : Gregorii Theologi: Gregorii Nysseni ; Joannis Chrysostomi ; Cyrillique sapientis. Illi enim fidem de Christo Domino veram explanaverunt, confirmaverunt & probaverunt : neque triumphare siverunt Arii deliria temerè impugnantis divinitatem Verbi, neque neglexerunt sanare Apollinarium : sed asseruerunt & exposuerunt Christum esse ex duobus perfectis, hoc est divino & humano, ex quibus summo miraculo conjunctis factus est. Idcirco rejecerunt, damnaverunt & confutaverunt opinionem Nestorii, qui nova hæresi introducta statuit duos esse, Christos nempe duos, dominos duos, naturas duas, personas duas, & supposita duo. Circa hæc omnia attendimus ad Cyrilli doctrinam libro Apologiæ & aliis expositam, qui magno nobis præsidio sunt, non minus quàm reliqui scripti de doctrina Orthodoxa. Suscipimus quoque librum Zenonis Imperatoris Henoticon dictum, in quo veritatem religionis optimè explicat, rejicitque Synodum Calchedonensem, quæ cùm Eutychis causâ congregata fuisset, Nestorii sententiam amplexa est, quâ ἀνθρωπολατρείας induxit, fidemque corrupit, asserendo Christum esse naturas duas, secundamque naturam inducendo in numerum, juxta professionem Nestorii. Tum etiam ad fucum faciendum, per fraudem, simulationem & hypocrisin prædicavit Christum esse filium unum, dominum unum, absque divisione, alteratione aut separatione : suscepitque præterea scriptum Leonis Romani adversarii fidei & pertinacis, illudque basin fidei appellavit, eo

quòd duas in Christo distinctas naturas constituit. Verumtamen Christus est potentia & sapientia Dei, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, & quamvis de eo secundùm dispensationem dictum sit quod ignoraverit diem supremum judicii, nihil aliud voluit, nisi ut nobis assimilaretur, & cogitationes nostras coerceret, neque imaginaremur ea quæ humanam nostram naturam excedunt; aut susciperemus opinionem Juliani Halicarnassæi, perversæ & phantasticæ sententiæ Autoris, qui ita statuit: corpus creatum à Deo ex terra & pulvere cui animam indidit rationalem & intelligentem, esse ex natura sua impassibile & immortale, gratiamque Christi in eo esse nullam. Scilicet existimabat, creaturas non ex natura sua, sed ex rebellione morti obnoxias factas fuisse, cùm scilicet primus homo serpentis consilio acquievit, qui est Manis error. Cætera quæ prolixiora sunt omittimus, cùm ad historiam non pertineant.

Ephræm Patr. LXII.

EPHRÆM SYRUS, FILIUS ZARAA, PATRIARCHA LXII.

Ephræmii natales, ordinatio.

MORTUO Menna convenerunt Episcopi Ægypti superioris & inferioris, scribæ Divani Misræ, qui ut plurimum Christiani erant, & Sacerdotes Alexandrini; & per dies multos de ejus successore deligendo inter se convenire non potuerunt. Erat tunc in Ægypto vir Syrus negotiator, nomine Ephræm, qui alio nomine Abrahamus appellatur: pius, in pauperes beneficus, moribus inter omnes commendatus, Muazzoque Califæ gratus, cum quo familiaritatem habebat, mercimonii sui causâ. Conveniebant in Ecclesiam SS. Sergii & Bacchi Misræ, quæ alio nomine vocabatur *Catholica*, in Kasser El-Chemah, quasi dicas *Castrum luminum* seu *cerei*: nempe ut doctis videtur atque inter alios Jacobo Golio quia olim illo in loco πυρεῖον fuit, delubrique antiqui, quod adhuc *Babelion* vocabatur, ruinæ: unde *Babylonis Ægypti* nomen manasse, haud inanis conjectura est. Cùm in eam Ecclesiam ingressus fuisset Ephræm orationis causâ, quidam ex primoribus alteri significavit hunc hominem esse qui Patriarchatu dignus esset. Vocatus in medium quasi aliud ageretur, statim omnium suffragiis electus est: tum catenis constrictus, Alexandriam ductus, ibique ordinatus: secundùm Elmacinum anno Martyrum

Not. ad Alfraganum.

Elm. p. 246.

693°, Hegiræ 367°, Azizi qui Muazzo ſucceſſit anno 3°. Annus Martyrum 693us, eſt J. C. 977us : atque adeo ſtat hoc in loco Chronologia autoris, quem ſæpè in annis inter ſe ſecundùm æras diverſas componendis hallucinatum deprehendimus, nam idem eſt annus Hegiræ 367us. Abulbircat ordinationem aſcribit anno Martyrum 687°, J. C. 971°; atque adeo biennio poſt mortem Muazzi quæ contigit anno Hegiræ 365°, J. C. 975°. Attamen Autor quem ſequimur de eo loquitur, quaſi vivo adhuc Muazzo conſtitutus fuerit; aſſerens ordinationem ejus ipſi fuiſſe gratiſſimam, frequenter ab eo accerſitum fuiſſe, deque ſuis rebus conſultum.

Ephræm ſtatim atque dignitatem ſuſcepit, facultates ampliſſimas ſuas Eccleſiæ donavit : ſimoniacas pro ordinationibus exactiones, quæ debitorum ſolvendorum titulo continuabantur, ſuſtulit : magnam pecuniam in eleemoſynas impendit, atque ita deceſſorum ſuorum memoriam rerum piè geſtarum gloriâ ſuperavit.

Inoleverat apud Jacobitas perverſa conſuetudo, ut concubinas haberent, quod diſtrictè prohibuit. Uno qui officium ſcripturæ in Divano exercebat refragante, neque ſuas dimittere volente, etiam poſt frequentes Ephræmi commonitiones, ipſe ad ejus domum profectus eſt. Cùm alter fores occludi juſſiſſet, eumque per horas duas pulſantem contemſiſſet, anathema in eum pronuntiavit. Limen etſi ex lapide Soanite duriſſimo, fractum eſſe dicunt : concubinarius paulò pòſt miſerè cum familia tota periit. Zelus adverſus concubinarium.

Apud Muazzum conſiliarii locum habebat Judæus quidam Abu Yacoub Ebn-Kalas quem ex Africa adduxerat, diligebatque, eò quòd Muhamedanam religionem ejus hortatu profeſſus fuerat. Judæus alius Moſes qui illi familiariſſimus erat, petiit ut ſibi coram principe facultas daretur diſputandi de fide adverſus Patriarcham. Noluit tamen Muazzus, permiſitque tantùm ut ſi vellet, aliquem ex ſuis Epiſcopum deſignaret, qui cum Judæo congrederetur. Elegit ille Severum Epiſcopum Aſchmonin, virum ſummâ Arabicæ linguæ peritiâ celebrem, *cujus*, ut Autor ait, *extant opera varia, diſputationes, & ſermones : ex quorum lectione, doctrina ejus & eloquentia facilè agnoſcuntur.* Cùm in conſpectum veniſſent, negavit Severus dignitati principis convenire, ut coram eo ſermo cum Judæis haberetur, quos ſuus ipſorum Propheta Iſaias, brutis inferiores eſſe dixiſſet, quod pro- De Severo Epiſcopo Aſchmonin.

lato ex scriptura loco confirmavit. Neque ulteriùs processit disputatio. Narrant eumdem Severum facilis fuisse ingenii, & faceti : quodque cùm esset aliquando apud supremum Judicem, prætereunte cane interrogatus est, num iste canis Christianus esset an Muslemanus. *Quære ab eo*, inquit Severus, *respondebit ipse pro se.* Mox subjecit: *Hodie*, inquit, *feria 6ª est quam Christiani jejunando observant, nec carnem manducant : vesperè cum jejunium solvent, parum vini bibent : Muslemani non jejunant hodie nec vinum bibunt. Objicite igitur huic cani carnem & vinum : si carnem vorat, Muslemanus est ; si eam refugit, & vinum bibit, Christianus.* Quantum verò laudis consecutus in Ecclesia sua Severus fuerit, non modò ex hujus autoris testimonio intelligitur, sed ex Elmacino qui ejus meminit, magisque ex ipsius Severi operibus quorum multa extant in Bibliothecis. Præcipua sunt Historiæ istius Patriarchalis pars 1ª quam ex Copticis & Græcis exemplaribus transtulit potius quàm composuit. *Expositio Christianæ fidei* secundùm sectam Jacobiticam : *De Paschate & simul de Eucharistia ; De exercitiis Christianorum : Expositio Legis Mystica : adversùs Judæos & Motazalios : De Dei unitate. Adversus Said filium Batrik Alexandrinum Melchitarum Patriarcham. Adversus Nestorianos. Tractatus de Judiciis, ad Abulyemen Cosmam Mennæ filium. Contra Fatum. De pellenda tristitia, & moribus rectè instituendis. De statu animarum. Sessiones sive Colloquia. De statu infantium, tam Christianorum quàm Infidelium. De differentiis Schismatum, seu de Hæresibus. Judicia. Explicatio mysterii Incarnationis. Commentarius in Evangelia. Instructio de Confessione peccatorum. Ordo rituum Ecclesiasticorum, præsertim in Liturgia. Quæstiones & responsiones, ad filium Giaroud. Explicatio fundamentorum Christianæ fidei. Expositio fidei brevior. Parabolæ & ænigmata. De Ordinibus Ecclesiasticis. De Quatuor primis Conciliis Synopsis Historica.* Hæc sunt opera quæ vel reperiuntur in Codicibus Mss. vel laudantur ab Abulbircat, aut ab Ebnassalo in Collectione Principiorum fidei. Opusculum verò de Paschate & Eucharistia tanti æstimatur, ut occurrat in plerisque Codicibus ; qui tractatus continent de præparatione ad communionem.

De ejus operibus scribitur etiam in vita Philothei, p. 92.

Miraculum. Narrant præterea, quòd Judæorum istorum secretis machinationibus Muazzus ad vexandos Christianos impulsus, accersitum

Ephræmum

Ephræmum interrogaverit, num verè in Evangelio ſcriptum eſſet eos qui fidem haberent, quaſi granum ſinapis, ſolo verbo effecturos ut mons in mare jactaretur. Fatenti, imperavit ut tale coram ipſo miraculum ederet; comminatus, ſe Chriſtianum nomen deleturum, ſi res non ſuccederet. Patriarcha in ſummis anguſtiis conſtitutus, trium dierum inducias dari ſibi poſtulavit. Interea convocatis Eccleſiaſticis, Monachiſque aliquot ex Valle Habib, qui tunc Miſram venerant, juſſit ut omnes per illud triduum orationibus continuis in Eccleſia congregati vacarent. Illi jejunaverunt, noctu ſolùm parum panis cum ſale guſtantes: Patriarcha toto triduo jejunus permanſit, ſtans, flens & preces ad Deum fundens, adeo ut præ nimia defatigatione loco ſe movere vix poſſet. Convenerant autem omnes in Eccleſiam vulgò *Muallaca* dictam in *Kaſſer-el-chemah*: cùmque dies tertius illuceſceret, Patriarcha jejunio, vigiliis & continua oratione fractus, in terram cecidit, paululumque obdormivit. Somnianti oblata eſt ſpecies Virginis Deiparæ, quæ de cauſa mœroris eum interrogaret. Reſpondentem, & minas Sultani de excidio Chriſtianorum referentem bono animo eſſe juſſit, ſurgere & egredi per portam quâ ibatur ad majorem plateam: fore ut illi occurreret homo luſcus, vas aquæ portans, ab eo miraculum quod Princeps petebat perfectum iri. Statim profectus, hominem ſibi in viſu deſignatum reperit, & retinuit: qui cùm ſe peccatorem diceret, alter revelationem ſibi factam narravit; tum oblatâ ipſi cruce, ſub anathematis pœna præcepit, ut quis eſſet ſignificaret. Faſſus tandem eſt, ſe oculum quo carebat ſibi eruiſſe juxta Evangelium, quia oculos contra Dei præceptum ad res illicitas converterat, potiuſque habuiſſe, cum uno oculo intrare in paradiſum, quàm duos habentem mitti in gehennam: ſe tinctori operam locaſſe, tota die laborare, neque ſibi quidquam præter panem reſervare, reliqua pauperibus diſtribuere: noctu aquam haurire quam illis præberet: reliquum tempus orationi impendere: rogavit etiam ne hæc cuiquam aperiret, verùm ad Muazzum ſecurus iret, & ad montem deſignatum, cum crucibus, Evangeliis & thuribulis procederet, adeo ut Chriſtiani hinc, Muſlemani inde conſiſterent, ſe ponè eum in turba futurum, ne quis eum agnoſceret. Tum longo ſpatio omnes debere inclamare *Kyrie eleiſon*, & in terram procumbere; quod cùm ter feciſſent, ipſe Patriarcha faceret crucis ſignum contra montem, tuncque viſu-

rum gloriam Dei. Observatis his omnibus, postquam Muazzus cùm Viziro suo, primariisque purpuratis magnaque copiarum parte ad locum venisset, orationesque cum signo crucis factæ fuissent, mons loco moveri cœpit: unde exterriti Muhamedani clamare cœperunt: *Alla Ekber, Deus magnus: non est alius Deus præter te.* Ita dimissus Patriarcha, metuque solutus est: vir pius quem pone se reliquerat, postea non comparuit. Tunc cùm Muazzus copiam Ephræmo fecisset petendi quidquid vellet; & ille nihil aliud petere se nisi salutem principis, utque victor inimicorum suorum esset respondisset; tandem jussus petere aliquid, petiit ut Ecclesiam D. Mercurii Misræ restituere sibi liceret: nam ex quo eversa fuerat, non habuisse Christianos unde illam reficerent: eamdem quoque facultatem concedi sibi postulavit pro Ecclesia Muhallaca cujus ædificia partim destructa, partim caduca erant. Muazzus utrumque concessit, diplomaque confici jussit, tum necessariam ad expensas pecuniam, ex ærario subministrari. Ille diploma recepit, sed pecuniam accipere renuit. Maxima verò contentio Muhamedanorum fuit ne Ecclesia restitueretur: nam exterior ejus pars in forum mutata erat; negabantque se passuros ut vel lapis moveretur. Muazzus milites convocatos manum operi admovere jussit, & novi ædificii fundamenta jacere. Dum terra foditur, unus ex Muhamedanis religiosis in fossam se conjecit, testatus vivum se potiùs terrâ & lapidibus obrui passurum, quàm ut opus consurgeret. Eum Princeps obrui lapidibus eodem in loco jussit: unde Patriarcha satagente, semivivus extractus est; neque quisquam postea aut loqui aut agere contra illius præceptum ausus fuit. Alexandriæ quoque dirutas Ecclesias reparavit; cùmque ingentes sumtus in illis ædificationibus fecisset, defuit ipsi unde mille aureos qui quotannis solvebantur Alexandrinis ad eorum Ecclesiæ expensas sustinendas, repræsentaret: precibusque tandem & beneficiorum ab eo acceptorum memoriâ tantùm obtinuit, ut annuum illud debitum ad quingentos aureos reduceretur.

Quid de miraculo judicandum.

Meminit hujus historiæ tanquam notissimæ Autor Chronici Orientalis ab Echellensi Latinè editi: cujus testimonium movere neminem debet, cùm omnia sua ex vitis Patriarcharum sumsisse illum, ubique appareat. Elmacinus eam præterit, ut etiam Makrizius, quod in homine Muhamedano mirum esse non debet. Attamen præter commune illud de miraculis extra Ecclesiam factis præjudicium, vacillat prorsus autorum Orientalium hoc in genere

fides. Idem enim prorsus miraculum Relationi suæ de statu hodiernorum Græcorum inseruit Christophorus Angelus, tanquam in Ægypto, & quidem Cahiræ factum, sed à Græco Patriarcha, non sub Fatimidis, sed sub Turcis Imperatoribus, sexaginta circiter annis antequam scriberet : scribebat autem anno 1617°. Multò priùs, nempe vertente sæculo decimo tertio, Marcus Paulus Venetus qui anno 1295° in patriam rediit, eamdem omnino historiam contigisse refert prope Taurisiam urbem in Perside celebrem, & simile quiddam legitur in historia Catholicorum Nestorianorum, ut in recentiorum Græcorum libris nonnullis. At tot diversa testimonia Orthodoxorum, Jacobitarum, & Nestorianorum, unum idemque miraculum cum diversis tamen temporum locorumque circumstantiis sibi tribuentium, suspicionem augere potiùs quàm fidem facere debent.

Christ. Angel. c. 26. p. 550.

Marc. Paul. l. 1. c. 18. Ed. Lat.

Obiit Ephræm, cùm sedisset annis 3, mensibus 6; porrectò, ut fama fuit, veneno à quodam Abulserour, inter Christianos primario, quique in Divano officium exercebat. Causa odii & sceleris, quòd cùm ille plures pellices aleret, sæpeque illum monuisset Patriarcha eas ut dimitteret, unamque uxorem retineret, obstinatusque in scelere persisteret, ab eo excommunicatus est.

Ephræmi mors.

E mac. p. 246. Makriz.

Narrat Autor præterea apud Muazzum in summa gratia fuisse Cosmam Minæ filium, quem, cùm Karmatianorum dux Syriam invasisset, misit in Palæstinam ut pecunias ad fiscum spectantes colligeret. Cùm ducenta aureorum millia ex tributis confecisset, Karmatiani verò non solùm magnam Syriæ partem, sed Palæstinam etiam devastarent, eam pecuniam deposuit in Monasterio Montis Tabor. Vizirus Judæus ea occasione quòd Cosmas ad provinciam rediisset & cum Karmatianorum duce aliquamdiu fuisset, proditionis eum insimulavit. Unde Muazzus omnes ejus propinquos in carcerem conjecit, fortunisque spoliavit. Sed cùm postea in Ægyptum rediisset pecuniamque retulisset, Vizirum Ebn-Cales carceri mancipatum occidi jussit. Deposuerat Cosmas apud Ephræmum nonaginta aureorum millia, præcipiens ut, si quid ipsi humanitùs contingeret, ea in pauperes, captivos & Ecclesiæ utilitatem expenderet. Cùm in Palæstino itinere fama mortis ejus percrebuisset, expendit illam pecuniam Ephræmus; cùmque ista excusatione apud Cosmam usus esset, verbum ille non fecit; nec vel una drachma apud Patriarcham inventa est post ejus mortem, cùm & pecuniam illam & suam omnem in pios usus effudisset.

Huc usque, quantùm ex nostro Autore discere licet, intelligimus credidisse illum quod Ephræm sub Muazzo vixerit, etsi hallucinatum eum in multis esse dubitare vix liceat. Nam quæ de bello adversùs Karmatianos gesto scribit, ad Azizi potiùs quàm Muazzi ejus patris tempora videntur pertinere. Fallitur præterea certissimè circa Vizirum Jacobum Ebn-Kales, qui ab Azizo quidem conjectus est in carcerem, sed postea pristinæ dignitati restitutus est, adeo ut thesauros suos quos Azizus fisco addixerat recuperaverit: & postea obiit anno 386°, publico elogio & lacrymis prosequente eum Azizo, ut non modò historici omnes manuscripti, sed Elmacinus quoque testantur. Eum autem esse de quo historia Patriarchalis loquitur, manifestum est; ait enim eum ex Judæo Muslemanum factum esse, tributis præfectum & postmodum ad supremam Viziri dignitatem evectum: quem tanti æstimavit Azizus, ut morienti adstans dixerit, se salutem ejus si ita fieri posset, toto suo regno, vel sui ipsius filii vitâ redemturum. Hæc cum autoris Christiani narratione conciliari non possunt, qui si in Christianorum Jacobitarum rebus aliquam meretur fidem, at in Politicis nullam aut exiguam habere debet.

Elmac. p. 253.

Res Muhamedanæ.

Ut verò eas pro more nostro paucis explicemus, Muazzus 1us Califarum Fatimidarum qui Ægypti regnum obtinuit, obiit anno Hegiræ 365°, J. C. 975°.

Aziz billa ejus filius, Mehediæ in Africa natus, ei successit hoc ipso anno, ejusque nomine oratio facta est in Ægypto, Syria, Hojaza, & magna Arabiæ parte, ut etiam in Africa: regnavitque fœliciter usque ad an. 386um, J. C. 996um: nullis ferme bellis vexatus, nisi quæ per legatos suos gessit in Syria, ubi Damascum atque Halepum obsederunt. Ea autem quæ tunc continua fermè fuerunt, Arabum tam inter se quàm cum Christianis bella explicare & prolixum & difficile foret. Ea tamen ut intelligantur, & quibuscum res foret sciri possit, talis erat Orientis conditio, ut Samanidæ Chorasanam & alias provincias; Filii Bowiæ in tres familias divisi, Persidem vicinasque alias, totamque Iracam obtinerent, in qua multas urbes tenebant Hamadanidarum reliquiæ: Califa nec in ipsa Bagdado quidquam posset. Fatimidæ cum duabus illis familiis multa bella in Syria gesserunt, & cum Karmatianis, quorum dux tunc erat Hacen filius Ahmed, Abusahidi nepos. Is est, qui, ut habet Autor noster, magnam Syriæ partem occupavit, & in Ægyptum quoque arma in-

ferens repulsus est, sed non interfectus: nam Remlæ diem suum obiit anno 366°: atque adeo sub Azizo, mortuo jam Muazzo. De Christianis quos habuit Azizus in ministerio, idem testantur historici Muhamedani, sed ita ut Judæos quoque Divano & vectigalibus illum præfecisse tradant, quo nomine malè audierunt Fatimidæ apud rigidiores Muhamedanos.

PHILOTHEUS PATRIARCHA LXIII.

PHILOTHEUS Patr. LXIII.

IN istius, sicut aliorum qui præcesserunt, ætate assignanda magna est Autorum Historiæ Patriarchalis negligentia. Nam istum ordinatum fuisse scribunt ante Muazzi obitum, postquam Sedes Alexandrina sex mensibus vacasset. Contradicit Elmacinus, qui initia ejus assignat anno Hegiræ 371°, qui est J. C. 981us, Martyrum 697us: Canon apud Abulbircat anno 692°: At cùm obiisse dicat Ephræmum anno 690°, vacavisset Sedes annos duos: Makrizius anno 369° Hegiræ ordinationem ejus alligat, nullâ, nisi sex mensium, Sedis vacatione: tanta est illorum temporum obscuritas. Nam quemcumque calculum sequi placeat, ante Muazzi mortem Philotheus electus fuit. Is ipse est quem ex prava codicis sui punctatione Erpenius Philoponum appellavit, cùm Makrizius, Canon Chronologicus, tam apud Abulbircat, quàm Græco-Arabicus apud Kircherum, & nostra Historia eum Philotheum appellent. Elmac.p.246. Erat is Monachus apud S. Macarium; cùmque de more, Episcopi reliquique ordinis Ecclesiastici, cum Laicorum primoribus Misram, seu Kahiram, convenissent ad eligendum Ephræmo successorem; statim venit illis in mentem, ut senior quidam Monachus ex eodem Monasterio, nomine Joannes, accerseretur, habitans in cella dictâ *Zekar el-Fakara*. Eum cùm senio confectum vidissent, atque adeo tanto muneri imparem, discipulum ejus, qui eum comitabatur, elegerunt. Is erat Philotheus, in quo statim agnoverunt, quantùm suum eos de illo judicium fefellisset. Neque enim moram fecit, quin contra decessoris sui exemplum, pro ordinationibus Episcoporum pecunias exigeret. Nempe id est quod apud Elmacini Interpretem legitur, *eum accepisse fartoniam*: nam *Chartonia* Arabibus Christianis, adventitia vox, primo & vulgatiori sensu χειροτονίαν significat, unde detorta est: sed deinde usurpari cœpit pro exactione indebita pecuniarum in ordinatione, quam vulgò simoniam appellàmus.

Philotheus Patr. LXIII. Status Ecclesiæ Alexandrinæ.

Ecclesiam Alexandrinam summa in pace fuisse, omnesque alias Ægypti sub Muazzo, testatur Autor, & postea sub Azizo ejus filio & successore. Erant inter Christianos multi in Aulæ Divanique ministeriis, atque inter alios, insignes quidam viri, quos filios Motiah appellabant. Illi cùm animadverterent Philotheum pecuniis corradendis unicè intentum, promovere ad Episcopatus homines indignissimos, constituerunt cum ipso, ut nullus, nisi ex eorum arbitrio, ordinaretur. Erat tunc Episcopus Menuf superioris Macarius, scriba Synodi, cujus frater Mennas erat Episcopus Tana, qui tunc, vacante Episcopatu Demroüa, cum Patriarcha transegit, ut frater ejus eò transferretur, ubi domum habebat: Monachum quemdam Tanæ Episcopum ordinaret: quod fecit. Filii Motiah querelam de violata pactione ad Principem detulerunt, qui eum in carcerem conjecit, & ab eo tria millia aureorum exegit.

De Vazah filio Rejah.

Hîc inseritur historia apud Orientales celebris de Vaza filio Reja Ægyptio. Erat ille juvenis inter nobiliores urbis Misræ, patre natus qui apud Judicem Testis, seu Consiliarii munere fungebatur. Institutus fuerat diligenter in Muhamedana Religione, Alcoranumque memoriâ tenebat. Accidit ut quodam die transiret per forum, ubi occurrit ei Muhamedanus, qui ejurata superstitione sua Christianam fidem professus fuerat, & ea de causa ad supplicium trahebatur; lignaque colligebantur ad eum comburendum. Concurrebat simul ingens multitudo hominum ad tale spectaculum; inter quos Vazah se conjecit, atque, velut alter Saulus, Martyri insultare cœpit & amentiam exprobrare quòd se in certam perniciem conjecisset, fidem profitendo, quæ Deo socium attribueret, & tres Deos induceret: qua impietate & parati ignis supplicium in hoc mundo, & in futuro ignem gehennæ sibi parasset. Christianus modestè respondit se non tres Deos, sed unum credere, & prædixit fore ut Vazah, qui ei contumeliosè tunc insultabat, cœlesti luce illustratus, fidei veritatem agnosceret, simileque ejus causâ supplicium pateretur. Alter irâ percitus, sandalio detracto Martyrem post multa maledicta, graviter verberavit. Postea cùm ipsi caput amputassent, corpus in ignem conjecerunt, extructa ingenti pyra, quæ quamvis triduo arsisset, tamen Martyris corpus integrum & auro simile repertum est; quod cùm Muazzus accepisset, statim sepeliri jussit. Juvenis domum rediens noctem insomnem duxit, mœrore

confectus propter ea quæ à Martyre audierat, frustrà patre & propinquis eum consolantibus. Paulò pòst cum aliis in Hijazam, seu Arabiam, profectus est, Meccanæ peregrinationis causâ; & illum pater amico, itineris comiti, commendavit. In ipso itinere ter ei per somnium oblata est species senioris Monachi jubentis ut sequeretur se, si salvam suam animam esse vellet. Amicus jubet ne hæc phantasmata diaboli curet ullatenus: ita perfectâ peregrinatione redierunt. Cùm verò socius & ipse ex camelis ad aquandum descendissent, alterque processisset, juvenis ponè relictus in solitudine à via aberrans, solus remansit, in magno metu, ne à feris laceraretur. Tunc apparuit ipsi eques veste splendida amictus, zonâque aureâ cinctus, qui humanè interrogavit, quid rerum ageret in vasta illa solitudine. Alter à comitibus suis, dum aquatum iret, aberrasse respondit. Eques jussit, ut in lumbos equi subiret; quod ut fecit, statim per aerem raptus, temporis momento translatus est prope Ecclesiam S. Mercurii Misræ, cujus fores continuò apertæ sunt. In eam eques simul ingressus, coram sanctuario, sive altari, eum constituit, nec comparuit. In summo igitur stupore relictus, agnovit Christianorum Ecclesiam ex accensis lampadibus & imaginibus, & in sanctuario usque ad diluculum permansit. Eo tempore Ecclesiæ Sacellarius cùm introisset furemque illum esse judicasset, accersitus & interrogatus docuit illum esse Misræ in Ecclesia S. Mercurii: cùmque juvenis narrasset se ipsa nocte fuisse in loco quem designavit; alter eum primò delirare existimavit, tandemque otiosa illa narratione furandi consilium, quod virtus Martyris impediverat, excusare velle. Rursus quæsivit Vazah, cujus esset hæc Ecclesia. Respondit Sacellarius, eam esse S. Mercurii, qui pro fide Christi, quam coram Principibus Infidelibus confessus fuerat, tormenta multa ipsamque mortem subiisset; deinde à Deo in cœlum receptus, apud eum pro aliis intercederet, miraculaque patraret; cujus nomine & ista & multæ aliæ Ecclesiæ ædificatæ fuerant. Quæsivit, quæ ejus forma fuisset. Retulit Sacellarius, eum & formâ & ætate parem ipsi Vazaho fuisse; ostenditque illius imaginem, quâ visâ obstupuit; agnovit enim eam ipsam illius esse qui ipsi in deserto occurrerat, & ex cingulo aureo illum agnovit. Tum omnia narravit Sacellario, fassusque se esse Muhamedanum, filium Reja, affirmavit se velle Christianum fieri. Sed ne Ecclesia ejus causâ incenderetur, tum ne se ipsum periculo expone-

ret, rogavit Sacellarius ut se in quodam loco absconderet, donec Sacerdotem accerseret à quo in fide Christiana institueretur. Sacerdos eum docuit quæcumque ad fidem pertinebant: & cùm Vazah postulasset afferri sibi Evangelia reliquosque libros utriusque Testamenti; Sacerdos ipsi Copticum exemplar Arabicè interpretabatur. Tandem cùm plenè in fide confirmatus esset, baptismum petiit, & obtinuit. Ex ejusdem Sacerdotis consilio mutatis vestibus profectionem paravit in Vallem Habib, cùm pauci eum agnoscere possent, tum ob cultûs mutationem, tum quòd jejuniis, vigiliis, oratione & lectione continua emaciatus esset. Verùm agnitus est à quodam ex necessariis; qui cùm patri & fratribus suspicionem suam indicavisset, observatus, abductusque, quis esset ulteriùs dissimulare non potuit. Illis igitur significavit, se Paulum esse; (nam ita in baptismo vocatus fuerat) fidemque constanter professus est. In custodiam datus, & triduo absque cibo & potu relictus, inde exiit, quasi ex convivio. Cùmque parentes ejus de eo occidendo deliberassent, ne ejus conversio probro ipsis apud suos esset, amore patrio victi, consultius judicaverunt ut secretò eum dimitterent. Ille ad Vallem Habib veniens, apud senem Monachum, vitam Cœnobiticam professus est: cùmque aliquamdiu in ea perseverasset, quidam Monachorum temerè dixit Christianæ fidei professionem acceptam Deo non esse, nisi eam iis in locis ubi notus erat renovaret. His auditis Misram rediit & ad paternam domum se contulit: ubi à patre durissimè habitus, in foveam demissus est, cinere, sordibusque plenam, relictusque absque potu & cibo, per dies sex: quibus elapsis, eadem species Monachi quam viderat per somnium in Meccano itinere, vigilanti oblata est. Cùmque Monachus quæsivisset an se agnosceret, alter annuisset; dixit se esse Macarium Monachorum patrem, qui ad eum consolandum venerat: tum panem candidissimum dedit: quem cùm Vazah, facto prius crucis signo gustasset, redintegratis viribus prorsus recreatus est. Pater frustrà hortatus eum ad fidem abnegandam, adduci jussit puellam quam priùs apud se habuerat & ex qua filium sustulerat: quorum conspectu cùm non moveretur, infantem pater submersit. Tandem eum accusavit apud Sultanum, qui tunc erat Hakem, Azizi filius; sed cùm accusante patre causam dixisset, absolutus est, liberque, quò vellet abire permissus. Ille ad eum locum ubi caput Canalis Nili est, se recipiens, prope piscinam Abyssinorum

finorum dictam, Ecclesiam S. Michaelis nomine ædificavit : & cùm ligna ad ædificium parata quidam abstulissent, ea, cùm locum ubi furtum deposuerant designassent, referre coegit.

Vazah filius Reja lectioni & sacrorum librorum meditationi intentus, magnam cum Severo filio Mocfah, Episcopo Aschmonin, amicitiam coluit : qua occasione de eodem Severo scribit Autor Historiæ, eumque à doctrina multiplici commendat, quam multis voluminibus editis testatus est. Recensentur etiam plerique illius libri, atque illi ferme omnes, de quibus suprà diximus. Scripsit quoque Vazah filius Reja, libros aliquot linguâ Arabicâ : quorum duo celebres commemorantur. Primum suo ipsius nomine Vazah appellavit, hoc est *Explicationem fidei adversus Hæreticos*, quorum errores, ex propriis eorum libris refellere aggressus est : secundum ; *Monita ad Interpretes*, vel si aliter legamus, *Selecta ex Interpretibus doctrina*. Vertit Erpenius *Eloquentiam Interpretum*. Illorum enim librorum meminit Elmacinus : quibus libris vehemens Hæreticorum indignatio excitata est. An verò per Hæreticos, ut sæpè, hoc loco Muhamedani intelligendi sint, an verò Christiani à Jacobitica secta alieni, divinare non possumus. Nam etsi rariùs adversùs Muhamedanos Christiani Orientales scripto disputasse deprehendantur, fecerunt id tamen olim multò liberiùs, quàm sub Othomanico Imperio fieri solet ; nam talis libertas capite constaret. Olim verò licebat Christianis de fide sua & voce & scripto publicè disputare, & ejus generis Disputationes aliquot supersunt in Codicibus manuscriptis. Tales sunt inter alias Abrahami Tirhanensis cum Abdelrahmano, & duorum Monachorum cum Amran Judæo. Eliæ Nisibensis Metropolitæ, coram Viziro Abulkacem filio Hucein Mogrebita. Tractatus Isa filii Zaraa adversùs Abulhacen Balchitam : Abucoræ, qui vulgò à Græcis Abucaras dicitur, Disputatio Apologetica pro Religione Christiana coram Almamone Califa. Alia de Trinitate & Incarnatione habita Cahiræ anno Hegiræ *639*, J. C. 1270°, autore Ebnassalo. Alia inter Monachum & Vizirum Principis Africæ, scripta ab Ebn el-Taib Nestoriano. Disputatio inter Chouch el-Iechua Monachum, & Æchmalotarcham Judæorum, habita in urbe Meru Corasanæ primaria. Dialogus inter Neophytum & Magistrum de vanitate prophetiæ Muhamedis, cum Alcorani refutatione. His tractatibus alii non pauci adjungi possent : verùm rariores quosdam indicasse sufficiet, ut intelligatur duram illam

Elm. p. 246.

Cod. Bib. Reg. 365. 417. 419. 425. 427. 432. 433.

legem, secundùm quam de Religione Christiana nec loqui, nec scribere inter Turcas conceditur, alienam fuisse ab illius de quo jam scribimus sæculi moribus. Jam ad Vazahum revertamur.

Historia Vitæ Vazah filii Reja ab ipso scripta.

Præter libros ad fidei confirmationem, scripsit quoque vitæ suæ historiam quam à diversis scriptoribus laudatam observavimus, ipsam tamen huc usque videre non licuit. In ea refertur miraculum insigne de Eucharistia, quod acceptum à Severo Episcopo Aschmonin amico suo, Vazah literis consignavit. Historia talis est. Fuit Bagdadi vir quidam primæ inter Muhamedanos nobilitatis, Haschemi dictus, qui quotidie cum numerosa militum manu in Ecclesias irrumpens, dum Liturgia celebraretur, Eucharistiam comminuebat & conculcabat. Cùm ea occasione, intermissa aliquamdiu officia fuissent, renuentibus sacerdotibus præ metu ea celebrare, quódam die r.ore suo unam ex Ecclesiis ingressus est, ubi Liturgiam celebrari sciebat. Cernit sacerdotem in manibus tenentem puerum eximiâ formâ; & communionis tempore dum hostia frangitur in partes, carnem ejus in frusta dividi, quæ communicantes acciperent, sanguinem à Diacono in calice præberi. Interrogatis comitibus num tale quid viderent, cùm respondissent, nihil videre se præter panem & vinum; magis obstupuit, & à sacrilegio abstinuit. Finita synaxi Sacerdotem accersivit, qui simpliciter explicavit institutionem Eucharistiæ factam à Christo Domino, qui tunc discipulis suis dixit, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*, panem præbens; & de calice, *Bibite vos omnes de meo sanguine in remissionem peccatorum vestrorum. Postea*, inquit, *Discipuli docuerunt nos orationem, quam dicimus super panem & vinum quando ea super altare intulimus: transmutaturque panis, & fit caro; vinum quoque fit sanguis, secretò, ea ratione quam tibi hodie Deus manifestavit. Exterius tamen panis & vinum videntur, nemo enim posset carnem crudam, aut sanguinem recèns effusum gustare. Igitur Deus manifestavit tibi hoc mysterium absconditum, verum & sanctum, ad salutem animæ tuæ.* Is postea Christianus factus fidemque constantissimè professus, post varia tormenta capite truncatus est, Bagdadique cum honore sepultus in Ecclesia ab ejus nomine Hachemia dicta, quam ad ejus tumulum Christiani ædificaverunt. Huc usque historia quam propriis autoris verbis explicatam retulimus in Dissertatione de Eucharistia. Quod ad ejus αὐθεντίαν spectat, præter antiqui autoris fidem quæ non levis est, tres illius testes

adducuntur, Severus qui Vazaho narravit, ut rem sibi compertam : Vazahus qui in vita sua eam descripsit : Autor historiæ Patriarchalis, qui eam suæ inseruit. Erunt procul dubio Protestantes, etsi ad eam jamdudum Theologis qui de Perpetuitate scripserunt ante annos multos publicatam nihil huc usque responderint, qui illam non magis æstimandam arbitrabuntur, quàm alias multas mirabiles narrationes, quas huc usque ex Coptitarum libris descripsimus, & quarum autoritatem mediocrem omnino vel planè nullam ultrò fassi sumus : eo maximè argumento quod inter Hæreticos miracula fieri, credere Catholicus vix queat. Uno verbo res transigetur : sit ficta futilisque narratio, nihil nostrâ refert, modò certum sit, eam ab Autore Jacobita scriptam, & creditam, quod diffiteri nemo potest. At qui ita scribit, quique sibi fidem ut faciat, Autores suos appellat, is procul dubio credit Eucharistiam esse verè & realiter corpus & sanguinem Christi, nec ullam Protestantium doctrinæ similem de hoc Sacramento opinionem habere potest. In aliis quos viderimus libris nulla hujus historiæ mentio est ; nec mirum, cùm Jacobitarum Bagdadensium aut Antiochenorum libros historicos nullos habeamus, sed tantùm Nestorianorum à quibus non libenter scriberetur miraculum quod ad Jacobitas pertineret.

Cùm Vazah filius Reja, qui Pauli nomen in Baptismo acceperat, Ecclesiam sancti Michaelis ædificasset, reversus est ad Vallem Habib, atque duos annos illic transegit : tantæque pietatis & doctrinæ argumenta dedit, ut Monachi eum Sacerdotem ordinari curaverint ad Cellam Benjamini, eam opinor Ecclesiam quam ille olim habuerat, dum ad S. Macarium antequam Arabes Ægyptum expugnassent, delitesceret. Discipuli Patriarchæ qui ejus nomine pecunias exigebant, statim ab eo aureos aliquot petierunt ; quos cùm solvendo non esset, primarius inter Christianos, eos protulit, indignatus adversùs improbissimos avari Patriarchæ ministros qui tanti scandali causam præberent. Pater Pauli cùm eum audiisset vitam Monasticam professum fuisse, tanto furore incensus est, ut missâ pecuniâ Arabes latrones hujus deserti subornaverit ad eum occidendum. Hinc ex Monachorum consilio profectus est in regionem El-Rif inferioris Ægypti, atque Sendafæ substitit, Oeconomi seu Sacellarii Ecclesiæ S. Theodori munere fungens, per biennium : & paulò pòst mortuus est. Advenit biduo antequam obiret, Theodorus Diaconus qui erat Patriarchæ ab Epistolis : cui cùm mortem instare

sibi prædixisset, rogavit ut corpus suum statim in loco occulto deponeret: nam adversùs eum Muhamedani Sendafæ & Mahalæ vicinæ urbeculæ tumultuari jam cœperant, corpusque igni tradere volebant. At cùm illud in quadam crypta secreta sepeliisset, illi frustrà perlustratâ totâ Ecclesiâ recesserunt. Aiebat Paulus, se in tot periculis & calamitatibus nullam animi perturbationem expertum esse, nisi ter: semel cùm frater ejus, in contemtum & injuriam se spectante, concubinam suam vitiavit: tum cùm filium quem ex ea sustulerat, coram se in aquis suffocatum vidit: tandem cùm præsente & vidente Patriarcha, ejus discipuli ab eo pecunias extorserunt pro ordinatione sua. Autor historiæ Michael Episcopus Taneos, testatur hoc loco omnia se quæ de filio Reja literis tradiderit, accepisse ab eodem Theodoro Diacono, scriba Patriarchali, post cujus mortem idem munus obtinuit.

Philothei Scelera.

Philotheus totus corradendis pecuniis intentus, cibo, potui, & balneis indulgebat, ubi cùm diu noctuque deliciaretur, domique cum propinquis & aliis convivia celebraret, paucissimas horas negotiis Ecclesiasticis impenderet, quibus elapsis conveniri non poterat, à Deo percussus est. Quodam enim die cùm lavaretur, discipulumque dimisisset qui smegma afferret, ab eo cùm rediret, semianimus repertus est: frustràque adhibitis medicamentis, paulò pòst mortuus est. Serour Georgii filius Archidiaconus Alexandrinus narrabat eum, cùm ad altare die quodam accessisset, & oblationem perfecisset, quæ est prima pars Officii Eucharistici, statim obmutuisse: aderant Episcopi plures, inter alios Episcopus Behnseh Marcus, & Severus Bursiridos: qui statim ipsi orationes suggesserunt; sed loqui non potuit: Marcus igitur Liturgiam perfecit. Ita usque ad horam nonam permansit; cùmque instarent qui aderant, ut diceret quid ipsi accidisset, tandem fassus est, quod antequam oblatam crucis signo benediceret, fisso arcu seu ciborio quod altari imminebat, prodierat manus quæ oblatam signavit in modum crucis, statimque fissa est inter manus ejus. Obiit 2ª Atyr, cùm sedisset annos 24, menses 8: qui si numerentur secundùm Elmacinum ab anno Hegiræ 371°, obitus ejus incidet in an. 396um, qui est J. C. 1005us, Martyrum 721us. At Canon Abulbircat eam assignat anno 716°, eique annos 23. attribuit, menses 10, qui intercurrunt inter annum ordinationis ejus qui in eodem Canone est Martyrum 692us. Quemcumque verò calculum sequamur, obiit ante illum Azizus de quo mox dicetur.

Regnaverat ille usque ad an. 386. Hegiræ : & successorem habuit Hakemum filium penè puerum, qui regnavit usque ad annum 412um, 3us Fatimidarum. Abbassidæ Mutiah deposito, substitutus est Taia Lilla ejus filius, vivo patre qui Taia 24us fuit ex Abbassidarum numero ; depositus est anno 381°. Huic successit 25us ex eadem stirpe Kader billa, absque ulla autoritate, Bowiadarum mancipium, qui regnavit nomine tenus, usque ad annum Hegiræ 422um, J. C. 1030um & 1031um.

Res Melchitarum.

Michael Episcopus Taneos, Elmacinus, & Makrizius scribunt Azizum ex concubina Græca, Christianis orta parentibus, Hakemum filium habuisse. Ea fratrem habuit Arsenium, quem Azizus in illius gratiam creavit Melchitarum Patriarcham. Is autoritate mulieris fultus, Ecclesias Jacobitarum occupare aggressus est. Volebat quidem Muallacam in *Kasserelchema* ; nec post multas cum Jacobitis contentiones eam obtinere potuit, sed aliam Beatæ Mariæ in Vico Abuhussein. Elmacinus addit eam mulierem fuisse Christianam, & obtinuisse ut alter ejus frater Hieremias vel potius Hermes Patriarcha Hierosolymitanus designaretur. Ecclesiam porrò quæ Melchitis cessit, eam dicunt quæ postea vocata fuit *Ecclesia Patriarchæ*, nempe Melchitarum, cùm Muhallaca, quæ etiam *Catholica* dicebatur, Jacobitis superesset. *Elm. p. 247.*

Res Æthiopicæ.

Diximus in vita Cosmæ ab ejus tempore interruptam fuisse consuetudinem mittendi in Æthiopiam Patriarchas, seu potius Metropolitas Alexandriæ ordinatos. De rebus Æthiopum Politicis aut Ecclesiasticis, nulla deinde occurrit memoria ; nisi sub hoc Patriarcha, quo sedente, ut Autor vitæ scribit, misit Rex Æthiopiæ literas ad Georgium Nubiæ Regem, quibus significabat, qua ratione pœnas à se & à subditis suis Deus exegisset. Mulier enim Regnum obtinens super filios *Hamouia*, vel *Amouta*, Æthiopiam invasit, captivos multos abduxit ; urbes plurimas incendit, Ecclesias diruit, Regemque ipsum in fugam versum errare & variis in locis latitare coegit. Hæc autem omnia accidisse dicebat propter ea quæ decessor ejus commiserat adversùs Patriarcham missum tempore Cosmæ, ut in ejus vita dictum est. Rogabat etiam per easdem literas Regem Nubiæ ut ipsi adjutor esset & socius laboris, Dei causâ, & propter consensum eorum in fide, utque scriberet ad Patriarcham Ægypti, peteretque ut se & Æthiopiæ regionem absolveret, oraretque pro illis, ut

Deus tantis calamitatibus finem imponeret: obtineret tandem ut Patriarcha juxta veterem consuetudinem ordinaret ipsis Metropolitam, qui pro illis preces fundens, divinam vindictam ab illis averteret. Tum hæc subjiciebat: *Hæc autem frater, ad te perscripsi, veritus ne apud nos aboleatur & prorsus intereat Christiana Religio. Jam enim sex Patriarchæ Alexandriæ fuerunt, qui regionis nostræ nullam rationem habuerunt; quæ ita permansit desolata absque pastore: mortui quippe sunt Episcopi & Sacerdotes nostri: Ecclesiæque vastatæ sunt. Nec ignoramus justè hæc mala nos perpeti, eorum ratione quæ contra Metropolitanum à nobis commissa sunt.* Lectis literis Rex Nubiæ Georgius scripsit ad Philotheum Patriarcham, qui ejus precibus commotus Monachum ex S. Macarii Monasterio Danielem nomine, ordinavit Æthiopiæ Metropolitam. Is ab Æthiopum Rege omnibusque ordinibus benignè exceptus est, ingenti totius Regni gaudio, & paulò pôst levata calamitas publica; & fœminæ tyrannis extincta est.

Observanda circa hanc historiam.

Ex hac historia multa discimus; quamvis plura longè ignorentur quæ ad eam illustrandam necessaria forent. At illud quidem certum & variis testimoniis confirmatum, quod antiquitùs, hoc est ab ipsa Ecclesiarum divisione, per Hæresin Monophysitarum, Æthiopes & Nubæ qui sub eodem nomine, ut superiùs observatum est, sæpè comprehendi solent, eamdem sectam tenebant, Jacobitasque solos Patriarchas agnoscebant, præsertim quando Muhamedanis rerum in Ægypto potientibus, caruit per annos multos Ecclesia Alexandrina Episcopis Orthodoxis, Jacobitæque omnem ad se autoritatem traxerunt. Observandum est secundo loco, sub sex Patriarchis, nullum ordinatum fuisse Metropolitam Æthiopiæ, imò eo quo Daniel constitutus fuit tempore, nullos in ea regione Episcopos, aut Sacerdotes superfuisse, quâ procul dubio occasione, tot in eam Ecclesiam mala invecta sunt, contra disciplinam Ecclesiasticam, contra communes toti Christiano orbi Sacramentorum celebrandorum regulas, contra præcepta dominica, quorum frustrà ratio quæritur, cùm vix aliter fieri posset apud barbaros, qui doctrina, pastoribusque & Sacramentis caruerant per annos multos. Georgium Regem Nubiæ nominatum alibi legimus, & ita appellabatur qui à Zacharia Rege ejus patre missus est ad Ibrahimum Almamonis fratrem; & is est cui Josephus Patriarcha 52us, concessit altare portatile ad celebrandam in

tentorio suo Liturgiam, missique sunt cum eo Episcopi, Sacerdotes & Diaconi. Ab eo in Nubiam reverso, magnam Ecclesiam ædificatam fuisse, quam Georgius Episcopus Batu consecravit sub Christodulo 66° Patriarcha, scribit Abuselah Armenus: sed eum hallucinatum esse circa nomen evincit temporum ratio: nam ducentis & ampliùs annis vixisse Georgium illum oportuisset, ut idem esset qui sub Almamone in Yracam venerit, & sub Hakemo ad Patriarcham Alexandrinum scripserit. Alium igitur esse oportuit, ex decessoris, cujus fama inter Nubas celebris erat, nomine appellatum: neque enim de illis Regibus, præter paucissima illa quæ superiùs relata sunt, aut inferiùs referentur, quidquam certum occurrit etiam apud autores Ægyptios, multò minùs apud nostros.

Frustrà quoque apud autores quæritur successio Regum Æthiopiæ seu Habessiniæ propriè dictæ, neque vir clarissimus Jobus Ludolfus quidpiam novi attulit, ex libris Æthiopicis, qui hac in parte Arabicis jejuniores sunt. Illud solum constat ex Mariano Victorio, Damiano de Goez, aliisque quos contemtim appellat autoribus, interruptam fuisse circa finem decimi sæculi veterum Regum lineam, quam Salomonæam vocant, scelere fœminæ quæ invasit imperium. Eam *Saada* vocant veteres apud Victorium, Genebrardum & alios catalogi, hoc est *ignem*: eodem sensu, sed voce diversa, *Essat* dictam scribit Ludolfus. Huic varia flagitia, veluti impudicitia, sacrilegia, & avaritia immanis impinguntur: præsertim verò Ecclesias ab ea spoliatas autores scribunt. Hanc post annos non paucos secuta est Regina alia *Tredda Gabez*, quæ familiæ Salomonææ reliquias funditùs tollere conata est, uno tamen qui in Provincia Scheva servatus est, superstite. Verùm cùm fatentibus ipsis autoribus qui hæc referunt, & Ludolfo qui ultimus huic historiæ laborem impendit maximum, anni earum mutationum assignari vix possint; verisimilius est fœminam illam de qua Historia Patriarchalis loquitur, priorem fuisse, cùm ejus initia assignentur post regnum Delnoadi, qui, inquit Ludolfus, circa an. J. C. 960um regnavit. Nam ita hæc calamitas sub Philotheo contigisse deprehendetur, quod de *Tredda Gabez* dici non potest. Quærendum igitur amplius est de illis Æthiopicis rebus, quod singulari dissertatione præstabitur.

Successio Regum Æthiopiæ obscurissima.

L. 2. c. 5.

De Philotheo nihil præterea nobis dicendum occurrit, nisi quod in Codice Regio quo utimur, aliquibus in locis vocatur Theophilus, quod an casu, an respectu ad nominis significationem fa-

ctum fuerit, disquirere non interest, sanè nusquam in catalogis, aut apud autores quibus utimur, & Autorem Chronici qui alios non vidit, aliter appellatur quàm Philotheus.

De Ludolfi conjecturis circa Philotheum.

Quia porrò mira de hoc scelestissimo Patriarcha nugantur Æthiopes, ea solùm ratione quòd Metropolitam ipsis ordinaverat, paucis discutienda sunt ea quæ Ludolfus temerè prorsus & imperitè de illo commentus est, non quidem in historia sua Æthiopicâ vel suo ad eam Commentario, sed in schedis ad viros doctissimos transmissis, qui historiam Patriarcharum Alexandrinorum Collectionis Bollandianæ tomo ultimo inseruerunt. Legerant in Elmacini versione Erpeniana pauca quædam de isto Patriarcha, quem Philoponum appellavit Erpenius contra Codicis Arabici aliorumque autorum fidem, simulque animadverterant damnari à Jacobitis illius memoriam, velut simoniaci, avari, gulosi & impii. Ex alia parte præclarum illud Hagiologium Æthiopicum cujus excerpta Ludolfus ad eos miserat, perditum nebulonem Apostolis comparabat, quòd amoto impostore, alium Æthiopibus præfecisset, sub quo Ecclesia respirasset. Sed Philotheus appellabatur is cui salutem Ecclesiæ suæ tot laudibus rependebant, non Philoponus: uterque tamen in ordine Patriarcharum sexagesimus tertius esse debebat. Quid ad hæc Ludolfus? Jubet dubitare *an non sint distinguendi Philotheus & Philoponus, quorum hic execrationem omnium meruerit à Califa fortè intrusus, ideoque indignus creditus sit, qui inter Patriarchas numeraretur à Coptis Catalogi Kircheriani autoribus, Abulbaracato & Habessinis: iste ut sanctus fuerit posteritati commendatus.* Mox refert verba Hagiologii sui: *Salutem tibi Philothee Apostole Patriarcha Alexandrine. Cùm Æthiopibus præfecissent* (ii scilicet, ut existimat, qui Philoponum volebant Patriarcham haberi) *impostorem, ita ut essent ludibrio vicinis, & præda hostibus: sub tuo regimine* (ô Philothee) *remoto illo, respiravit Æthiopia. Certè non facilè sibi quis persuaserit, in unam cadere hæc eademque personam.*

Hist. Patr. Alex. p. 496.

Nullus Philoponus fuit, reliqua commentitia.

Nihil tamen certius quàm Philoponum & Philotheum unum fuisse & eumdem 63um Coptitarum Patriarcham: cùm Philoponi, si Latinam interpretationem Elmacini excipimus, ne nomen quidem extet: fabulæ de duobus æqualibus inter se de dignitate contendentibus ne vestigium quidem, non in ipso Hagiologio. Illius autem autoritas tam exigua est, ut quod illic tantum

tum

tùm reperitur, vocari non temerè possit in dubium. Fuisse impostorem qui apud Æthiopes tanquam Alexandriâ missus Metropolitæ officia usurpaverit antequam Daniel ordinaretur, non habemus ex Historia Patriarchali sub Philotheo. Sed talem mimum egisse quempiam alium legimus sub Christodulo, qui post quadraginta & plures annos Patriarchatum obtinuit. Eo enim tempore impostor quidam pro Metropolita se gessit : eum Christodulus coercuit, & Mercurium Episcopum Wissim in Æthiopiam misit. Inde satis intelligitur quàm inaniter Ludolfus historiam Ecclesiæ Alexandrinæ alios docere aggressus sit ex simili farragine, cujus Autor in patria historia hospes ubique fermè fuisse deprehenditur. Philoponum quoque appellavit istum de quo agimus Patriarcham, vir clarissimus & ad miraculum peritus harum linguarum, nobisque amicissimus Bartholomæus Herbelotius, eo in loco ut in multis aliis interpretum quos emendare nullo negotio potuisset errores secutus. Gallicæ Elmacini versionis autorem minus moramur qui in eosdem scopulos impegit. Atque hæc paulò fusiùs fortassis, necessariò tamen dicenda erant, ut constet qualis esse debeat in rebus Ægyptiacæ Ecclesiæ, Ludolfi autoritas, cujus conjectura de Philopono suo non magis vera est cùm propter scelera ejus excidisse memoriam suspicatur, & fortassis dignitate fuisse privatum. Occurrunt alii Philotheo non meliores, quorum tamen nemo ex Catalogis Patriarchalibus expunctus legitur, imò Theophanius impius ad horrorem usque & dæmoniacus, locum inter Patriarchas suum retinuit, laudesque ejus cecinit Æthiops Aretalogus. Nullus in tota historia depositus fuisse legitur, neque sine strepitu judicii, maximisque difficultatibus, id fieri potuisset, ut ex historia Cyrilli filii Laklaki discimus : quem Synodus deponere non potuit, vix tandem post longa certamina ad disciplinæ observationem compulit, ut explicabitur inferiùs. Itaque non est recurrendum ad novam divinationem quæ maximis gravissimisque controversiis obnoxia sit, nullumque habeat in historia præsidium, eo solùm fine ut conservetur lectio quam vitiosissimam esse constat.

Fatimidæ. De Patimidis qui hoc tempore regnaverunt, nempe Muazzo & Azizo, dictum satis est, quantùm hujus compendii ratio patitur. Abbassidarum nulla erat in Ægypto & toto Fatimidarum Imperio autoritas, cùm nec Bagdadi ullam nisi precariam haberent. Taiah billa depositus est anno 381° Hegiræ ab Sultano

Biaheddoula; eò quòd familiarem sibi quemdam Abulhuceinum in carcerem conjecisset. Depositionis modus planè ridiculus: nam Biaheddoula accedens, Califam salutavit terram osculatus: mox signo facto ex accubitu per balteum detrahi jussit, & tapeti cui insidebat involutum ex aula efferri, & navicula in Palatium transferri. Deinde adhibitis testibus, probavit Califam sponte dignitatem abdicasse. Mox proclamatus est Kadir billa 25us Abbassidarum, cujus non major fuit quàm alterius autoritas. Is Kadirus supervixit usque ad annum 393um, quod nulli contigerat. Califatum titulo tenus conservavit per annos 41, usque ad annum Hegiræ 422um.

Res Antiochenæ.

Athanasium Jacobiticæ Ecclesiæ Antiochenæ eo tempore præfuisse argumento est Epistola responsoria ad eum Synodica Philothei, ex qua constat alteram scriptam fuisse ab Athanasio. Extat inter alias in Tractatu de Fide Patrum.

ZACHARIAS Patr. LXIV.

ZACHARIAS PATRIARCHA LXIV.

Ejus electio ab Alexandriæ civibus.

MORTUO Philotheo quem ut aliquibus vitæ præcedentis locis, ita hoc loco Autor Theophilum vocat, vacavit Alexandrina sedes aliquandiu. Convenerunt igitur Synodum habituri, quibus jus erat ad eligendum ei successorem: & cùm inter se deliberarent, delata sunt ad eos mandata Principis qui tunc erat Hakemus Azizi filius, 3us Fatimidarum, qui anno 386° regnare cœpit, ut eligeretur Abrahamus filius Bacheri, mercator ditissimus, qui apud Aulicos plurimùm poterat: & Patriarchatum ambiebat. Instabant amici ejus, præsertim apud cives Alexandrinos, ad quos, inquit Autor, hac vice electio pertinebat. Hujus autem consuetudinis aliqua in sequentibus historiis exempla occurrent: sed nullius ante istud memoria extat. Unde ita illud intelligendum videtur, ut cùm ex antiqua disciplina non Episcoporum modò, sed Sacerdotalis ordinis suffragia requirerentur, verùm & consensus plebis seu Laicorum accederet, duo disciplinæ capita observata fuerint: primum, ut nullus eligeretur, qui non priùs plebi proponeretur, & ut ejus electio probaretur, per solitam illam acclamationem ἄξιος: secundum, ut quoniam sæpè turbæ inter Alexandrinos & Cahiranos Jacobitas orirentur, cùm primi ut urbis antiquitate & sede Patriarchali, aliam superantis, ad se electionem pertinere contenderent, atque adeo con-

ventum Synodalem apud se haberi : alteri verò quia Califarum & Sultanorum sedes Cahiræ erat, ibi quoque eligi Patriarcham vellent, ubi confirmari electionem necesse erat, institutum fuerit, ut alternis vicibus Synodus Episcoporum modò Cahiræ, modò Alexandriæ celebraretur. Plura de hac consuetudine dicendi erit postea locus : eam verò & quæcumque ad electionem consecrationemque Patriarchæ spectant, fusè explicat Ebnassalus Collectione Principiorum fidei. Alexandrinis placebat eligi Abrahamum : atque in eam sententiam literas publicè scriptas Cahiram miserunt. Episcopi verò negantes sibi secundùm Canones talem electionem probari posse, ad Diœceses suas reverti cœperunt. Accidit interea ut plerique diverterent apud Sacerdotem Ecclesiæ S. Michaelis Oeconomum nomine Zachariam, virum bonum sed obscurum, qui cùm cibos pararet ad illos suscipiendos, ampulla aceto plena quam ex superiori loco depromtam manu tenebat, cecidit nec confracta est. Istud veluti miraculum arbitrati, in ejus electionem consenserunt, & Alexandrinis in suam sententiam perductis, eum ordinaverunt. Eo ipso die advenit Abraham, cui cùm renuntiata esset Patriarchæ ordinatio, tantopere perculsus est, ut tremore membrorum ad finem usque vitæ laboraverit. Quia tamen cum diplomate Califæ & ministerialibus ejus nomine missis venerat, ne repulsæ illius causâ, Ecclesia detrimentum caperet, consuluerunt Episcopi ut Abrahamum Patriarcha consolaretur, promisso Episcopatu quem primum vacare contingeret. Ille igitur ordinatus est Hegumenus, sive Abbas; quæ dignitas Sacerdotali superior in Ecclesia Coptica, Episcopalique proxima est : cùmque paulò pòst vacasset Ecclesia Menuf superioris, illius Episcopus constitutus est Abraham. *Cap. 141*

Ordinatio Zachariæ secundùm Elmacinum facta est anno Hegiræ 393°, J. C. 1002°, qui ex vero calculo est Martyrum 718us : Abulbircat tamen eam factam scribit anno 716°, mense Tybi, eodem anno & eodem mense, quo Philothei mortem assignat. Elmacinum, ut fermè semper Makrizius sequitur : quæ si vera sunt, vacatio sedis brevissima fuit, contra quam scribit Michael Episcopus Taneos Autor hujus historiæ.

Primis post ordinationem annis septem, Ecclesia in summa pace fuit : verùm magnæ postea calamitates consecutæ sunt, non in aliam ut Autor fatetur causam referendæ, quàm perditam Episcoporum avaritiam, qui nulla timoris Dei sacrorumque Cano- Calamitates in pœnam avaritiæ Episcoporum.

num ratione habita omnes Sacerdotes pecuniâ ordinabant; dignos sacerdotio, si deesset, repellebant. Ita paucis annis evenit, ut plebs quæ pastores ignaros & vitiosos haberet, careret omni doctrina, adeo ut neque verbum Dei prædicaretur, neque morum cura haberetur. Narratur historia Episcopi, qui decem denariorum aureorum millia, pravis artibus aut exactionibus quæsiverat, quique instante morte, nullam curam animæ suæ habens sollicitus tantùm fuit, ut schedulam depositi thesauri indicem fratri suo Episcopo traderet, qui erat Macarius Episcopus Menuf superioris; at is omnia in Ecclesiarum ædificia impendit. Minas Episcopus Tana, avarus ille de quo superiùs, cùm in finibus Diœceseos Semnudæ Ecclesiam parvam ædificasset, & in ea Episcopus Semnudæ, tanquam ad sedem suam pertinente, altare consecrasset, venit Minas, & illud diruit, aliudque ædificavit & consecravit: hinc mutuæ inter populum utriusque Diœcesis contentiones, in quibus aliquot homines occisi sunt. Tanta erat in privatis Ecclesiis Sacerdotum pravitas, ut etiam ea quæ ad Liturgiæ ministerium spectabant, negligerent. Adversùs quemdam testimoniis probatum fuit quòd ipse vinum purum mensæ suæ reservaret, turbatum cum aqua mistum ad altare Sacerdotibus consecrandum præberet. Sacerdotes contra disciplinam oblatas, quæ per totam hebdomadem communicantibus sufficerent, conservabant, ne quotidiana Missarum celebratione fatigarentur; servabaturque Eucharistia in Ecclesiis diutiùs, ita ut computresceret. Hæc omnia tam Episcoporum quàm Sacerdotum peccata iram Dei adversùs Christianos gravissimam excitaverunt.

Calamitatis causa ex rerum sacrarum nundinatione.

Occasio turbarum fuit ambitio Sacerdotis nomine Joannis habitantis in Cella ad sanctum Macarium, contigua illius Ecclesiæ; regebatque ipse Ecclesiam Abunefer. Is cùm multos videret ad Episcopalem dignitatem promotos per pecuniarum largitionem, & nihil haberet, Zachariam adiit, rogavitque ut Episcopi habitum tantummodo ei daret, eumque Diœcesi alicui vastatæ & desertæ ubi tria vel quatuor mapalia essent præficeret, se enim fatebatur ferre non posse tot indignorum hominum promotionem, quam datis nummis fieri videbat. Zacharias vir erat mitis, patiens, quietus, imbellis, quem discipuli impudentes & nefarii, nihil agere suo arbitratu sinebant, sed fœdam illam nundinationem eo inconsulto exercebant. Ab illis igitur Joannes repulsus, præsertim à Chaïle Episcopo Saca, qui erat Zachariæ ex fratre

 Zacharias Patr. LXIV.

nepos : Cahiram venit libellum querelarum ad Sultanum delaturus. At Christiani qui in scriptorum publicorum Divani numero erant, veriti ne illæ ad Christianorum publicam calamitatem redundarent, scripserunt ad Patriarcham, ut Joanni satisfaceret, eumque cum literis ad eum remiserunt. Erat Zacharias in Monasteriis Vallis Habib, qui literas Chaïli nepoti tradidit, Joannemque ipsi commendavit. Chaïl Arabibus qui conducti ad Monasteriorum tutelam sub ipsius manu erant imperavit, ut eum in siccum puteum conjicerent, & lapidibus obruerent. Joannes in quadam crypta quam in imo reperit, ita latuit, ut nihil damni passus sit. Zacharias magno dolore commotus, ut eum vivum reperit, consolatus eum est, vacantemque Episcopatum ipsi promisit. Duobus tamen paulò pòst vacantibus, neutrum dedit, prævalentibus discipulis, ne promissum impleret. Joannes igitur ad Califam irâ plenus profectus est, qui tunc erat Hakemus. Is puer admodum regnare sub tutoribus cœperat ; statim verò atque legitimam ætatem attigit, maximæ eruperunt crudelitatis indicia, quam toto vitæ suæ tempore exercuit. Nam statim Emirum qui ejus institutioni præfuerat, occidi jussit, quòd eum in pueritia lacertam vocaverat, insultans ei, dicensque lacertam in draconem magnum evasisse. Numerati sunt homines decem & octo mille, qui ejus jussu interfecti sunt, multis manus truncatæ. Præcipuos militiæ duces, consiliarios, & purpuratos opibus spoliatos è medio sustulit.

Christiani Martyrium.

Erat inter Officia Divani Christianus nobilis Abunegiah, quem accersitum jussit renuntiare religioni Christianæ, & Muhamedanam profiteri, pollicitus, se primi Viziri dignitatem, omniumque negotiorum administrationem ei collaturum. Ille deliberandi spatium usque ad diem crastinum postulavit : quo intervallo convocatis amicis, significavit, se dilationem postulasse, non quòd dubitaret quid sibi agendum esset, sed ut ipsis valediceret, testareturque se mori libenter pro Christi nomine, eosque ad constantiam, contemtumque hujus mundi adhortatus, convivio excepit. Postridie profectus ad Hakemum fidem liberè professus est, neque ejus minis aut pollicitationibus à constantia sua dimoveri potuit. Illum igitur taureis ad necem usque cædi jussit; cùmque octingentas plagas accepisset, mortuus est : reliquas mortuo usque ad mille Hakemus infligi jussit. Ita vitam finiit Abunegiah, alio nomine Gabriel dictus, quem Jacobitæ inter suos Martyres numerant.

Aliud Martyrium.

Alium, Kahad filium Abrahami inter Divani scribas primarium, cùm ad ejurandam fidem adducere non potuisset, capite truncari jussit, corpus igne absumi: manus ejus dextera illæsa per triduum inter flammas permansit, quod miraculum factum existimaverunt, quia erga pauperes maximè misericors, semper eam ad stipem occurrentibus erogandam apertam habuerat. Octo alios qui scribarum ministerio fungebantur, variis tormentis ad abnegandam fidem cogere aggressus est: quatuor in tormentis constanter obierunt: alii dolore victi abnegaverunt: quorum unus nocte sequenti subita morte extinctus est: tres reliqui finitâ persecutione ad fidem redierunt. Præter feritatem Hakemo innatam, quæ in oculis, voce, incessu, gestuque apparebat, augebatur furor ejus in Christianos, quia superstitione magicarum artium imbutus, non modò astrologiæ intentus erat, sed peculiari cultu Saturni stellam prosequebatur, illique nocturna sacrificia faciebat, in quibus dæmonem ipsi apparuisse & cum eo collocutum fuisse fama erat. Per montem qui est ad Orientem Cahiræ, noctu vagabatur, abjecta veste regia, laneaque nigri coloris tectus, nigro asino vectus comitantibus fœdarum illarum religionum ministris. Urbem quoque ignotus circuibat; missisque undequaque exploratoribus captare conabatur, quæcumque adversùs eum maledicta jactabantur. Erat inter ejus asseclas præcipuus impostor quidam, Hadi appellatus, qui eum ex stulto insanum fecerat: congregatis enim erronibus duodecim, passim prædicabat Hakemum esse Christum. Eo comitatu Hakemus, lecticâ delatus, urbem noctu circuibat; & si quam fœminam foris reperiret, aut etiam de die, præfecto custodiæ suæ ad necem usque excruciandam tradebat. Vinum severissimè prohibuit, omniaque dolia confringi jussit: canes quoque tota Ægypto occidi, quòd asinus quo vehebatur, à transeunte cane consternatus fuerat. Omnes verò qui Cahiræ erant, magnis unius latratibus ad vicinum montem convocatos accurrisse fama fuit. Porcos quoque mactari ubique præcepit: cruces è fastigiis Ecclesiarum dejici, eas quas impressas manibus aut brachiis Christiani haberent deleri: ut omnes zonâ cingerentur, & fascias capitum nigras haberent, jussit: campanas pulsari prohibuit, & aliis quàm ligneis ephippiis equitare: cruces postea deferri voluit, primò quidem spithamæ, postea brachii longitudine. Nec Judæis pepercit, quos deferre jubebat globulos ligneos formam vitulini capitis referentes, eò quòd majores eorum vitulum in deserto

Hakemi crudelitas, superstitio.
Elm. p. 259.

coluerant. Vetuit tam Christianis quàm Judæis, ne communia cum Muhamedanis balnea frequentarent, propria illis destinavit: uvas passas & mel comburi, aut in mare jaci jussit. Plura alia ejus stultitiæ exempla refert Autor noster, quæ tamen Christianis tantopere gravis fuit, ut multi opprobria ferre nolentes, fidem abnegaverint: plures quoque Judæi Muhamedi nomen dederunt. Huic homini tunc cùm maximè adversùs Christianos fureret, Joannes ille Monachus, ab Episcopatu repulsus, libellum obtulit, in quo postquam illum tanquam Dei in terris vicarium, mundique dominum prædicasset, negabat tamen eum Regem esse qui æmulum haberet Regem Christianorum, pecunias infinitas ex Episcopatuum venditione colligentem, omnia tandem in Patriarcham crimina conjiciebat. Statim Hakemus Patriarcham acciri & in vincula dari jussit; & tribus mensibus elapsis, eum leonibus objecit. At illi iterum atque semel nihil ipsi nocuerunt. Cùm igitur Hakemus ovem mactari jussisset, & ad eos fame maceratos projici, Patriarcham sanguine ejus deturpatum iterum ipsis objici jussit: sed incolumis evasit. Hanc historiam apud Jacobitas Ægyptios celebrem adnotavit ad oram Canonis Chronologici Abulbircat; eamque contigisse dicunt anno Martyrum 727°, J. C. 1011°.

Eodem tempore Hakemus præceptum expediri jussit ut Hierosolymis Ecclesia Calvariæ destrueretur. Scriptum fuit illud à quodam Ebn-Chaterin Christiano Nestoriano scriba Divani: qui tanta desperatione afflictus est, ut decumbens, dexteramque manum solo illidens, articulos digitorum confregerit, & paucis diebus mortuus fuerit. Templi Calvariæ & aliarum Ecclesiarum eversionem factam anno Hegiræ 398°, Hakemi 12°, J.C. 1007°, scribitur in Historia Ægypti. Mandatum præterea ut omnes Ecclesiæ destruerentur, bonaque earum fisco addicerentur; aurum, argentum, suppellex, Misram deportarentur. Vetitum ne Christiani ex loco in alium migrare possent: non vendere, non emere quæ ad vitam necessaria ipsis licebat: Episcopi ubique comprehensi. Tunc magnum constantiæ specimen dedit Bekira Diaconus, scriba Divani qui ad Palatium veniens alta voce clamavit Jesum esse filium Dei. Eâ causâ, catenâ ferreâ magni ponderis ligatus, & ad palum constrictus, divinas laudes ex libro recitabat, unique amico quærenti, num quid ad suos mandaret, prædixit post triduum se apud illos venturum, finemque calamitatis futurum: quæ quidem Autor ait audivisse ab eodem viro cui

Nova persecutio, Ecclesiarum eversio.

Abulfar. p. 221.

dixerat Bekira, avunculo suo fratre matris suæ. Eo termino elapso liber dimissus est, munitusque sigillo Regio, ne quid ab Muhamedis negotii ipsi facesseretur. Permissum quoque Christianis ut libera itinera habeant sive in Græcorum ditionem, sive in Æthiopiam, Nubiam, aliasque provincias.

Zachariæ Patr. constantia.

Ut ad Zachariam revertamur, quamdiu in carcere fuit, quotidie minas ei intentabant Muhamedani, vivum eum comburendum aut feris objiciendum nisi fidem abnegaret; pollicebanturque multa, atque inter alia supremi Judicis dignitatem, si Mussulmanus fieret: sed firmus perseverans, tandem libertati restitutus est, cùm Arabs quidam Madi filius Mokrab, ab Hakemo petiisset ut omnes qui in vinculis erant liberarentur. Ne verò si id temerè ab Hakemo concessum fuisset, ut quidam existimabant, & iterum in carcerem reduceretur, ex suorum consilio statim in desertum S. Macarii profectus, ibi per annos novem se continuit. Ea enim regio integra à persecutione permanserat, quamvis edictum Hakemi de Ecclesiis evertendis illuc pervenisset, missis etiam qui illud executioni mandarent. Verùm cùm illi timerent ab Arabum incursionibus, qui in illis locis magno numero longèque superiores convenerant, ab opere destiterunt. Ita servatæ sunt illæ Ecclesiæ, nec in illius regionis Christianos persecutio sæviit. Adjiciunt Coptitæ ne miraculi alicujus occasionem elabi sinant, D. Georgium apparuisse militibus, ad destruendas Ecclesias missis, eosque ita terruisse, ut nihil adversùs Ecclesias intentare ausi fuerint.

Caput D. Marci inventum.

Circa illa tempora Emirus quidam Turca, qua ratione non dicitur, invenit caput D. Marci Evangelistæ: cùmque illi dictum fuisset Christianos quæcumque postularet, ad illud redimendum daturos esse, illud Misram detulit. Bekira Rechidæus scriba, de quo superiùs dictum est, trecentis aureis persolutis, illud accepit & ad Patriarcham detulit, qui tunc erat in Monasterio S. Macarii, cum multis Episcopis, & aliis Christianis. Nam ad desertum illud conveniebant Christiani magno numero, festo Epiphaniæ, & festo Paschatis, ad suscipiendam Eucharistiam.

Quæ de capite D. Marci invento & Misram delato Autor refert, communem continent Ægyptiorum Christianorum traditionem. Apud Autores Græcos & Latinos nihil certi de Translatione reliquiarum S. Marci occurrit, & vulgaris Venetorum traditio à multis vocatur in controversiam, ut à viro clarissimo nuper

nuper in Historiæ Ecclesiasticæ accuratissimis Commentariis explicatum est : ea tamen aliquos Orientales historicos, ut suprà scriptum est, Autores habet.

Christianorum calamitas.

Per annos novem Christiani summa in calamitate fuerunt, quæ etiam triennio ultimo major omnino fuit, cùm in tota Ægypto præterquam in remotis illis Monasteriis Liturgiam celebrare non liceret, atque ita fructu qui ex sacrorum mysteriorum communione percipitur, magno suo dolore carebant. Neque alia ratione potuerunt hanc persecutionem effugere, quàm corruptis pecuniâ Præfectis, qui ita ægrè secretam licentiam dabant conveniendi noctu in Ecclesiarum dirutarum parietinis. Ibi Liturgiam celebrabant, & Vigilias sacras noctibus festis agebant, communionemque percipiebant. Vasa sacra & vestimenta sacerdotalia, quæ cum sacris libris Christiani in domibus privatis magno periculo suo occultabant, illuc deferebantur. Eo triennio transacto, cœperunt Oratoria privata in domibus parare, quæ ipsis Ecclesiarum loco essent, atque eadem ritu Ecclesiastico ad tale ministerium dedicabantur. Cùm id Muhamedani rescivissent, querelasque ad Hakemum detulissent, ille ut erat levissimus, jamque institutæ illum persecutionis tædere cœperat, delationem insuper habuit. Qua occasione cùm Christiani multi qui fidem abnegaverant, ad eum venissent, supplicantes ut ad religionem pristinam suam sibi reverti liceret ; à singulis quæsivit, ubi essent zona, crux & panniculus quem deferre cogebantur Christiani : quæ cùm sub vestibus occultata protulissent, jussit omnes ea resumere, singulisque literas dari ut ab omni Musulmanorum molestia tuti essent : atque ita multi ad Christianam fidem reversi sunt. Erat inter eos Monachus quidam Yemin, qui ab Hakemo petiit, ut habitare sibi liceret in Monasterio S. Mercurii extra Cahiram; atque illic secessit cum fratribus suis Monachis. Ad eos in hunc locum frequenter Hakemus veniebat, eorumque vili cibo vescebatur. Tanta demum fuit illius apud Principem gratia, ut multi negotia ad eum deferrent, quæ expediri statim obtinebat. Tandem mentionem apud eum fecit Zachariæ Patriarchæ, obtinuitque ut tutò redire ipsi liceret. Mox eum accersitum ex Monasterio S. Macarii in cella sua occultavit, & ad Hakemum pro more venientem, eum deduxit. Quærenti quis esset, respondit Yemin, illum esse Patriarcham : qui accedens principem salutavit, eique benedixit, & fausta omnia apprecatus est : tum de

Oratoria privata consecrata.

Episcopis qui erant in ejus comitatu quæsivit Hakemus quinam essent. Respondit Yemin, esse illius vicarios: miratus autem est quòd ipsi tantum honorem deferrent, qui vili habitu, brevis staturæ, nulla specie aut dignitate oris commendabatur, cùm Episcopos videret qui ætate, statura, canitie longè venerabiliores apparebant.

Autoritas Patr. Alexandrini.

Interrogavit etiam quo usque pateret ejus autoritas. Respondit Monachus, per totam Ægyptum, Æthiopiam, Nubiam, Africam, Pentapolin & alias provincias, omnes illius mandatis Christianos obtemperare; solo signo Crucis inter literas impresso, neque opus habere aut copiis, aut pecuniis expensis, ut eos in officio contineret. Obstupescens majorem in modum, dixit nullam Christianæ comparatione religionem sibi firmam videri: nos enim, inquit, sanguinem continuò effundimus, magnas pecunias expendimus, exercitus educimus, nec ad obsequium homines adducere possumus. Christiani verò huic seniculo contemtibili tantùm tribuunt, ut nemo illius mandatis contradicat. Postea jussit Episcopos in eodem S. Mercurii Monasterio expectare donec reverteretur, causamque illorum ipse per se cognosceret. Interea Joannes, sive Junes, perditus ille Monachus, qui prima mali causa fuerat, eò venit, quasi de restituta libertate gratulaturus, simulque instantissimè petens ut se Episcopum ordinaret; quod promisit Patriarcha. Verùm ea occasione Chaïl Episcopus Saca, nepos ejus, tanto adversùs Joannem furore exarsit, ut post verborum contumelias, alter ex muro auxilium imploraret, tanquam sibi violentia fieret; qui tumultus ab Episcopis difficulter sedatus est. Chaili etiam exprobraverunt, quòd cùm ipse totius calamitatis causa extitisset, novam accerseret, quæ priori pejor futura esset. Ita pacatus est Joannes, nec destiterunt donec coegerunt Patriarcham, ut eum Hegumenum ordinaret, vesteque hujus ordinis propria indueret.

Ecclesiarum instauratio.

Cùm paulò pòst Hakemus ad cellam Yemini venisset, attulit sigillum seu literas Imperiales, quibus non modò dirutas Ecclesias instaurare permittebatur, sed etiam restitui jubebantur ligna, lapides, columnæ, & omnia tandem quæ ablata inde fuerant: agri quoque & horti Ecclesiis adjuncti restituebantur, per totam Ægyptum, & reliquas Provincias sub Hakemi imperio constitutas. Dirutæ fuerant Ecclesiæ anno Martyrum 727° ; restitutæ sunt anno 737°. Eodem quoque edicto immunes Christianos

Hakemus fecit à gestatione crucis, & vestitu furvi coloris, notisque aliis quibus non ipse solùm, sed Principes alii, Christianos insignes esse voluerant, ut à Muhamedanis distinguerentur. Huc usque Autor noster, nullâ differentiâ ab aliis qui de Hakemi regno scripserunt: sævissima enim illa & supra omnes quas sub Muhamedanis huc usque Christiani experti fuerant, persecutio fuit: quamvis pauci admodum ultimo supplicio affecti fuerint.

Causæ persecutionis.

Primam verò causam illius Makrizius affirmat fuisse Christianorum, qui in ministerio aulico erant plurimi, officiaque actuariorum & scribarum Divani obtinebant, avaritiam & insolentiam. Quidam enim non solùm opes maximas fraudibus & rapinis comparaverant, ideoque nihil sibi non licere rati, in Muhamedanos multa commiserant, verùm & apud Hakemum non minore fastu & arrogantia quàm Viziri, solebant negotia administrare, omnemque autoritatem ad se trahere. Hæc ambitio primùm paucis qui primas dignitates obtinebant, exitiosa fuit: nam Hakemus stolidè ferox, Isam filium Nestorii, securi percuti & bona ejus publicari jussit: eum autem Nestorianum fuisse ex nomine patris intelligi potest; neque enim alii quàm ex ea secta nomen reliquis Christianis odiosissimum usurpasse reperiuntur. Ea quoque fortassis ratio est cur Jacobita noster historicus, hujus hominis non meminerit, quamvis tanta ejus foret autoritas, ut ad Viziri munus nihil ipsi præter titulum deesset. Kahadum quoque Abrahami filium, Divani scribam, pari supplicio affecit. Tum erga omnes sævire cœpit, & leges illas de quibus suprà dictum est, promulgavit, de furvis vestibus, de crucibus ferendis pondo librarum quinque: ne equitarent, sed asinis tantùm veherentur: & reliqua de quibus superiùs dictum est. Sed illud præ cæteris gravissimum Christianis accidit, quòd cœtus publicos ad Liturgiam & Supplicationes quæ fiebant in Dominica Palmarum, in Epiphania & aliis solennitatibus, edicto suo Hakemus prohibuerit; tum quòd omnes Ecclesias non solùm in Ægypto, sed etiam in Syria everti jusserit. Testatur Makrizius numerum earum quæ ab anno Hegiræ 403° ad an. 405um, hoc est ab anno J. C. 1012°, ad 1014um, destructæ sunt, fuisse triginta millium & ampliùs. Omnia autem vasa sacra, cruces, thuribula, stragulas & alias vestes ad suppellectilem Ecclesiarum pertinentes, ligna, æs, ferrum, reditus, possessiones aut fisco addixit, aut Muslemanis diripienda reliquit. Annus J. C. 1012us est Martyrum 728us; exiguaque hunc in modum dis-

crepantia est inter Autorem nostrum & Makrizium. Ejus quoque calamitatis meminerunt Historici nostri. Testatur enim Glaber ad annum J. C. 1009um Judæos per totum Romanum orbem pulsos & cæsos, eò quòd templum Hierosolymitanum eorum consilio à Muhamedanis eversum fuisset. Cedrenus sub Azizo id accidisse narrat, sed perperam. Nec mirum est de aliis Ecclesiis nihil reperiri apud Autores Græcos & Latinos, cùm de rebus Ægyptiacis & quæ ad Orientalium sub Musulmanis Christianorum historiam pertinebant, nihil fermè scriptum reliquerint. Hoc verò loco observandum est, non temerè à Muhamedanis relatam esse tot malorum causam in Christianorum avaritiam & ambitionem, cùm plura Christianus & Episcopus Michael de illis scribat, magisque Episcoporum scelera exagitet, quàm Muhamedanus Makrizius. An verò Patriarcham simoniacum qui omnia nefario nepoti permittebat, Ecclesiasque pecuniâ licitari sinebat; qui calumniosum Monachum, & quavis pœna dignum Hegumenum constituebat, & futurum Episcopum designabat, eum esse in quo Deus miracula ostenderet, lectorum esto judicium.

Cedr. t. 2. p. 631.

De pœnitentia Apostatarum.

Aliud quoque in hujus persecutionis serie, maximè observandum est circa facilitatem recipiendi ad pœnitentiam eos qui fidem abnegaverant, de quibus Autor non aliter loquitur, quàm si nulla fuisset, præter iteratam Christianæ fidei professionem & Muhamedismi abnegationem. An verò ita intelligenda illa sit, adeo ut per præscriptos pœnitentiæ gradus ad Ecclesiam redierint, an verò venia absque multo labore concessa, conjicere non possumus. Sanè vigebant adhuc Canones antiqui adversùs eos qui fidem abnegaverant, & easdem Canonicas pœnas illi subire cogebantur, ac qui olim sacrificiis Ethnicorum se contaminassent. An verò hæc disciplina, quæ omnium Ecclesiarum Orientalium fuit, in Ægyptiaca obsolevisset, neque affirmari neque negari posse videtur. Nam in tanta Apostatarum multitudine, sub Episcopis ad omne scelus projectis, quique prophanas Sacramentorum nundinationes liberè exercerent, difficile videtur ut pœnitentiæ disciplina viguerit. Nec alia fortassis causa fuit quare postmodum apud Ægyptios funditùs aliquando subversa fuerit, quàm nimia illa Sacerdotum indulgentia. Quòd si Canonibus qui in Collectionibus eorum occurrunt credendum est, non videntur recepti tot Apostatæ, absque aliquot annorum jejuniis, orationibus & eleemosynis, ut recipi debebant: quod inter alios tradidit Dionysius Barsalibi Episcopus Ami-

denus Jacobita in Tractatu de recipiendis pœnitentibus, eis temporibus proximus, & alii complures.

Ut ad historiæ nostræ filum redeamus, statim post Edictum de restituendis Ecclesiis, redditamque Christianis libertatem, eo ipso anno scribit Autor Hakemum Califam è medio sublatum. Is est Hegiræ 411us, J. C. 1020us, Martyrum 736us. De ejus morte Elmacinus & Abulfaragius, qui soli editi sunt, scribunt breviter, quæ ab aliis fusiùs tractata sunt. Communis opinio fuit occisum eum fuisse, dum in monte Moktamo, more suo noctu vagaretur, immissis sicariis à sorore Setelmelouka, cui post multa convicia malum comminatus fuerat, duce quodam Emiro Ebn el-Doüas Sëifeddoula, quem mulier ad cædem committendam instigavit. Inventus est asinus, quo Hakemus vehebatur, succisis suffraginibus, vestes ejus septem ictibus perforatæ, comites duo occisi, corpus nusquam inventum est. Mulier vaferrima, Ebn el-Doüas, statim accusatum de cæde perpetrata & conscios occidi jussit. Ita fermè Historia Ægypti ex Ebn el-Sabi & aliis autoribus. Kodai iisdem verbis quæ apud Elmacinum & Abulfaragium, qui omnia ex eo sumsisse videtur, rem explicat, eumque occisum fuisse testatur. Ita periit Hakemus, in quo stultitia cum crudelitate & impietate certavit: nam apud suos irreligiosus habebatur, & Muhamedanæ religionis contemtor; Christianosque persecutus innatâ sævitiâ potius videbatur, quàm zelo fidei suæ: nam usque ad annum Hegiræ 400um, J. C. 1009um, satis favit suæ religionis hominibus, modò tamen adversùs dignitatem suam, quam ex cognatione cum Halis familia Fatimidæ ambiebant, nihil molirentur, aut pro Abbassidis non declamarent, quod multi fecere, etiam certo vitæ periculo. Eo autem anno Medinâ jussit asportari in Ægyptum omnem domus Jafari justi supellectilem; erat autem is Abubekri ex filia nepos, unusque Imamorum seu Pontificum duodecim quos agnoscit secta Persica: vocabatur etiam Abu Ismael, & ab Ismaele isto multi qui adversùs Ommiadas, aut Abbassidas, defectionem nudaverunt, genus ducere dicebantur: inter quos præcipui erant Fatimidæ Ægypti. Ea ratio fuit cur Hakemus omnem viri inter Muhamedanos præstantissimi, præsertim quòd omnes fermè traditiones ad eum referrentur, supellectilem quasi sacras reliquias in Ægyptum transferri voluit, atque in ea repertus est Alcorani codex antiquus, vela, tapetes, & alia quæ ut in publica veneratione essent,

Hakemi mors.

Elm. p. 458. Abulf. p. 220.

Hakemi mores, gesta.

ſcholam ædificavit, in qua libros veteres cum multis aliis depoſuit: Cheïcos quoſdam ſive Doctores conſtituit traditionum peritos, quibus ampliſſima ſtipendia aſſignavit. Lampades aureas & argenteas & unam ex argento latiſſimam, in qua ellychnia erant mille ducenta, tapetes & alia ornamenta Meſchitæ majori quam Amrou filius El-As ædificaverat, donavit, atque in ea oravit: necnon ad ſectam Malekiorum propendere ſe ſimulavit. Poſt annos aliquot, hæc omnia quæ in gratiam religionis Muhamedanæ fecerat, irrita eſſe voluit: ſcholam clauſit: Doctores duos quos illi præpoſuerat, occîdit cum multis aliis, qui aliqua doctrinæ vel purioris vitæ laude commendabantur. Hæc pauca ex variis hiſtoricis contraximus, inter quos præcipuus Ebn-Kalican, Haliwerdi Autor Hiſtoriæ Ægyptiacæ, Makrizius & alii. Unde intelligi poteſt quàm dura fuerit Chriſtianorum conditio ſub principe furioſo, fatuo, impio, ſuperſtitioſo, qualis ille fuit. Neque tamen per annos viginti quatuor quibus Ægyptum vicinaſque multas provincias obtinuit, ullos ferè hoſtes expertus eſt præter Abu Recüa Ommiadam, Hakemi Hiſpaniæ Regis ex fratre nepotem, qui paulò ante annum Hegiræ 397um, J. C. 1006um, quo à Fadelo Duce Hakemi victus & captus eſt, Africam Occidentalem, & vicinas provincias vaſtaverat. Neque Muhamedani traditionis ſuæ adeo tenaces, ſi illis credimus, unquam in majori neglectu rerum quæ ad ſuam religionem ſpectabant, fuerunt: nam cùm fidem faciant in publicis orationibus, ſequi ſe doctrinam Muhamedis, obedientiamque præſtare legitimis ejus ſucceſſoribus: qui eos non agnoſcerent, tanquam hæreticos & impios maledictis & anathematiſmis onerare; ea tunc erat rerum apud illos ſacrarum facies.

Status religionis Muhamedanæ illo ſæculo.

Kaliſa Kaderus qui hanc dignitatem tenuit uſque ad annum 422um, Bagdado concluſus, literas inveſtituræ concedebat invaſoribus Provinciarum; & anathemata vibrabat in Karmatianos, Fatimidas, alios tandem omnes qui ejus autoritatem rejiciebant. Ex Iraca tamen & Perſide aliiſque regionibus quæ erant ſub Bowiadarum, Hamadanidarum, aut aliorum poteſtate, proficiſcebantur catervatim agmina peregrinorum ad Meccanum fanum, quamvis ibi ex ſuggeſtu preces publicæ fierent nomine Caliſæ Ægyptii Fatimidæ, quem hæreticum judicabant. Andaluſeni ſeu Hiſpani Arabes, qui utrumque tam Fatimidam quàm Abbaſſidam execrabantur, cùm in familia Ommiæ Caliſatum eſſe affir-

marent, utrumque diris devovebant. Commeabant tamen ex omnibus illis regionibus Muslemani, docti præsertim, quorum cura præcipua erat, ut longas peregrinationes instituerent, ad Doctores celeberrimos visendos, ut ab illis aliquam traditionem, vel futilem de Impostore suo Muhamede narratiunculam audirent, quam postea auditoribus suis referrent, aut in fastidiosa volumina mitterent. Nec tamen obstabat schisma illud Califarum trium, quorum uni non legitimo adhæsisse scelus erat, quin cum omnibus etiam illis quos hæreticos judicabant, communicarent. Sanctuarium illud Meccanum cædibus incendiisque deformatum & fœdatum ab Ismaelitis Karmatianis, omni latrociniorum genere infestabatur, adeo ut per annos multos aut intermissa prorsus peregrinatio fuerit, aut peregrini grandi pecunia se redimere coacti fuerint, aut captivi abducebantur : multi spoliati & occisi, & cùm commeatus ob Arabum latrocinia deficeret, quo tempore Hakemus regnabat, tot & tanti fame & siti enecti perierant ; ut omissa peregrinatio per aliquot annos fuerit. Adde principes sceleribus omnibus coopertos, bellis civilibus omnia turbantes, avaritiâ incredibili ; quos tamen, modò eleemosynas distribuerent, aut Meschitas ædificarent, laudibus sui in cœlum ferunt : & habebitur sincera delineatio nefariæ illius & propudiosæ religionis, quæ tamen vastissimo incendio totum Orientem & Occidentis magnam partem depopulata est. Jam ad res Ecclesiasticas revertendum est.

Res Christianæ post Hakemi mortem.

Extincto Hakemo, Christiani in pace fuerunt, sub Tahero ejus filio & successore; cujus imperii initio, summa rerum penes Setelmeloukam sororem Hakemi fuit, fœminam magni animi, nec minoris prudentiæ, quæ largitione pecuniarum, vestiumque, & dignitatum, milites, duces, purpuratosque omnes ita devinxit, ut omnia negotia tranquillè administraverit. Edicto Hakemi de restituendis Ecclesiis, nullatenus derogatum, ita ut per totam Ægyptum usque ad Haidab, qui est portus in Mari Rubro ; imò & Giuddæ qui proximus in Arabia Meccæ portus est, atque adeo terra Muhamedanis sancta, quam huc usque Christianis calcare capitale foret, passim ædificatæ fuerint. Atque ea libertas Christianis integra fuit ab eo tempore, usque ad annum Martyrum 767um, quo Autor hanc historiam se scripsisse dicit, qui fuit J. C. 1051us, Hegiræ 443us.

Narrat Autor paulò post mortem Hakemi, multos existimasse

Opinio de Hakemo superstite.

quòd adhuc in vivis esset, & superstitione sua obligatus ad tempus lateret. Erant qui illum in monte disparuisse dicebant, postea se illum vidisse: atque ea occasione impostores multi qui eum ore aliquatenus referebant, ornatu quo prodire solebat paucis se ostendebant, eumque se esse mentiebantur. Inter illos præcipuus fuit Cherout quidam, Christianus, Apostata, Hakemo simillimus, nisi quòd paulò procerior foret, sed ore & sono vocis eum planè referens. Is cùm ipsi gratissimus fuisset, & cum eo magicis artibus operam dedisset, plures decepit, & ab illis pecunias accepit. Vocabat se Abul Arab, quasi *Arabum patrem*; exiguo comitatu prodibat; & si qui eum pro Hakemo agnitum salutarent dominumque appellarent, leniter correptos verberabat, dicens nondum esse tempus manifestandi sui, monebatque, ut capiti suo consulerent. Tandem divertit apud Nomadem quemdam, sive Beduinum, Arabem ex familia Kora, nomine Mufrege filium Temam, cui vestes pretiosas & arma splendida dedit, cùm ipse interim vili habitu à communi Religiosorum nihil differente tegeretur. Rogatus cur ipse cultu, qui dignitati suæ conveniebat, non uteretur, respondit momentum illud periculosum quod cavebat, nondum prætериisse: atque tanto artificio mimum illum egit, ut cùm Arabs Beduinus tentorium ei parasset, inter Arabes per biennium vixerit, multis ad eum concurrentibus, & obsequium quale Califis solet deferri, præstantibus. Omnibus tamen silentium & secretum imperabat: cùmque fama illius Cahiram pervenisset, non mediocrem turbationem attulit. Coactus tamen est impostor latere, & ex tentoriis Beduini se subduxit, neque de eo quidquam auditum est usque ad tempora Sanutii Patriarchæ, qui Zachariæ successit. Tunc enim è latebris emersit & ad eum scripsit literas, quibus deceptus Sanutius, pecunias imperatas ad eum misit. Neque mirum esse debet homines credulos & superstitiosos, qui *Mehedim*, hoc est Messiam quemdam, expectabant, ut illum adhuc Persæ expectant, talibus fabulis deceptos fuisse; circa Principem qui ex ea familia esse dicebatur, & à plerisque credebatur, ex qua prodire debebat Messias ille, seu Mehedi, cujus titulum Autor familiæ Obeid-alla sumserat. Fuerat etiam insignis Hakemi dementia, quòd se Christum dici & credi vellet, atque adeo Hadis qui ipsius quodammodo interpres & Apostolus videbatur, interroganti quot haberet in indiculo suo qui eum pro Christo agnoscerent, respondit sedecim millia. Ita fieri facilè potuit, ut quem ipsius crudelitas,

 ZACHARIAS Patr. LXIV.

crudelitas, nam plusquam decem & octo hominum millia occidisse dicitur, terribilem fecerat: is etiamsi mortuus diceretur; vivus tamen à nonnullis, & ut olim de Nerone ferebatur, magno inimicorum suorum malo reversurus putaretur. Elmac. p. 259. 260.

Obiit Zacharias postquam 28. annos Jacobitis Alexandrinis præfuisset, anno 748° Martyrum, qui cùm sit J. C. 1032us, respondet anno Hegiræ 424°: eumdem Martyrum annum assignat Elmacinus. Ex illo autem annorum spatio, septem fœliciter transacti sunt ante persecutionem, quæ novennio sæviit: eâque sedatâ duodecim annis supervixit. Sepultus est Kahiræ in Ecclesia *Bani Elwaïl*, aliàs *Kenisset el Derage* sive *ad Gradus* dictâ. Postmodum verò corpus ejus translatum fuit ad Monasterium S. Georgii, vulgò *Dir el Habesch*, seu *Monasterium Abyssinorum*. Ita autem vocabatur à quodam territorio prope Misram, quod *Habesch* seu Abyssinorum terra dicebatur, ubi olim Monasterium cum Ecclesia Nestorianorum fuisse docet Abuselah Armenus, quod suo tempore Jacobitæ occupabant. Ibi erat eorum cœmeterium, atque eò translatum est corpus Zachariæ, cùm jussisset ut inter Cahiræ seu Misræ cives Christianos sepeliretur, quorum fidem & constantiam in persecutione summopere admiratus fuerat. Ibi quoque erant sepulcra Episcoporum Misræ. Ita Abuselah & alii rerum Ægyptiacarum scriptores Christiani & Muhamedani, hunc locum describunt; qui quidem ita appellatus est, quia erat in amplissimo illo solo, quod Ahmed Toloni filius muris cinxerat & *Ketayat* appellaverat, quasi *separatum spatium*. Ibi inter ædificia multa Prætorianis suis cohortibus destinata, secundùm nationum diversitatem, unum erat stationi Abyssinorum destinatum, atque ingens ad eorum usum piscina inde vocata, *Berkat Elhabesch*, seu *Abyssinorum piscina*. Dirutis verò ædificiis nomina locis manserunt, atque illud soli quod Æthiopes occupabant spatium, vicinaque terra, *Habesch* seu Æthiopum dicta est. Illud quoque observatu necessarium fuit; eò quòd multis apud Elmacinum locis, Erpenius interpres, vir sanè in his linguis pro tempore quo scribebat doctissimus, *Æthiopiam* vertit: quæ versio lectoribus fraudi esset, adeo ut existimarent quosdam Alexandrinos Patriarchas in Æthiopia fuisse sepultos, freti falsis aliquorum qui de Æthiopia scripserunt narrationibus. Zachariæ obitus.

Reliqua de hoc Patriarcha quæ apud Elmacinum occurrunt, aut ex aliis autoribus explicata sunt, aut satis ex illis quæ diximus

intelligentur. In Hakemi autem stultitia describenda cùm satis verbosus fuerit, nonnulla habet quæ ab aliis autoribus prætermittuntur, etsi fusissimè de eo scripserint. Quòd Misræ ignem injecerit alibi non legimus. De Darazio Pseudopropheta qui Dararius malè vocatur in Elmacini textu Arabico & ejus versione, Autore sectæ quæ Hakemo divinitatem attribuit, & quæ Druziorum dicta est, omniaque Muhamedanorum officia contemsit, plura dicere supersedemus, cùm hujus loci non sint. Sufficit ex prædictis intellexisse, maximam furiosis illis enthusiastis, sub Principe stultissimo, cuique nulla religio esset, fuisse omnia audendi licentiam.

Res Antiochenæ. Tandem Autor adjungit quædam de statu Jacobitarum Ecclesiæ Antiochenæ, quæ tunc magnopere turbata fuit, Patriarcha Joanne filio Abdoun in exilium pulso. Vetus consuetudo erat jam ab antiquis ducta temporibus, sub Severo Patriarcha, ut nulli eorum facultas esset Antiochiæ manendi, Joannes in Monasterio prope Malatiam sedem constituerat. Erat in monte vicino *Asoud*, hoc est nigro, Monachus sanctitatis opinione celebris: quem Athanasius Patriarcha paulò ante mortem successorem sibi fore prædixerat. Cùm ab Antiochenis quæreretur, alterum eodem nomine Monachum, qui in vicino loco cellam habebat, monuit Joannes Abdoun filius, futurum esse ut crastino die alteruter illorum raperetur, in Patriarcham consecrandus: optimum factu videri sibi, ut ex eo loco migrarent, neque enim se tanto oneri parem esse. Cùm alter ambitione inflatus manere statuisset, alter fugâ se proripuit. Interea venerunt qui Joannem filium Abdoun perquirebant; eoque non invento, alterum in cella sua repertum, nec cunctantem abduxerunt: sed cùm in via ad arborem quamdam refrigerationis causâ divertissent, nequam ille Monachus impacto in ejus oculum ramo, luscus factus est, statimque vindictam divinam sentiens, omnem rei seriem missis à Clero Antiocheno narravit. Ita magis accensi, tandem post multos labores & circuitus Joannem filium Abdunæ repererunt, reluctantemque abduxerunt, & Patriarcham ordinaverunt. Ille in dignitate constitutus, nihil de priore vitæ instituto mutavit; quidquid ad eum ex oblationibus aut fructibus perveniebat, pauperibus largiebatur, sibi tantùm reservans quæ ad vitam sustentandam erant necessaria. Attulit semel ad eum mulier quædam sacculum aureis plenum, precata ut eos acceptaret & in suos vel pauperum usus expenderet. Ille paucis respondit: *Deus hoc à te suscipiat, filia*: neque plura le-

cutus est, contra aliorum morem, qui colligendis pecuniis intenti, si vel teruncius afferretur, multis & magnificis verbis offerentes laudabant. Mulier à Joanne cùm similes laudes frustrà expectasset, discessit indignabunda : quod cùm discipulus observasset, revocavit eam Joannes, jussitque afferri trutinam ; & in una lance aurum, in altera chartulam paucis verbis quæ dixerat inscriptam poni : quæ chartula præponderans, aurum in sublime sustulit. Aiunt quoque ejusdem mulieris filium, cùm è ponte quem Joannes collatitiâ Christianorum pecuniâ & operâ reficiendum curaverat, in flumen cecidisset, mersusque fuisset, ejusdem precibus ad vitam revocatum.

Jacobitarum Antiochenorum Ecclesiæ.

Habitabat Malatiæ Joannes, & illic atque in vicinis locis erant Ecclesiæ quinquaginta sex : Christianorum qui arma ferre possent sexaginta millia, præter parvulos & fœminas. Ad eum Michael Episcopus Tanis, missum se cum aliis fuisse dicit à Patriarcha Christodulo, cujus synodicam Epistolam ei obtulerunt, & ille eos à nepote suo in urbem Malatiam deduci jussit, ubi viderunt maximam illam Syrianorum Jacobitarum multitudinem, qui festis solennibus, quando in urbem veniebat, occurrebant ei cum Evangeliis & thuribulis:gaudebantque si ex ejus manu communionem acciperent.

Sequitur mox narratio satis prolixa, quam Autores historiæ Alexandrinæ ad Zachariæ Patriarchæ tempora referunt, & quæ tantam habet cum ea quæ in Mennæ vita relata est similitudinem, ut num eadem sit affirmare certò non possimus. Nam quàm facile sit ut quæ sub Menna gesta fuerant, historicus ad Zachariam transtulerit, norunt quibus perspecta est Orientalium indiligentia. Rerum Antiochenarum quæ ad Jacobiticam Ecclesiam pertinent, memoria nulla superest, si pauca admodum excipimus, quæ nobis ab historicis Alexandrinis conservata sunt, in Græcis nihil occurrit undè Orientales emendare vel illustrare possimus. Joannis nomen diversis Patriarchis commune, obscuritatem auget : præsertim cùm in vita Mennæ, de facto illo egregio quod in ista tantopere laudatur, nihil reperiatur. Verumtamen Epistola ad eum scripta quam integram retulimus, tam certas veritatis notas habet, ut de ea dubitare non liceat : cùm annorum charactere signata sit qui alteri convenire non potest. Itaque rem in medio relinquentes, ea referemus quæ sub Zacharia contigisse testatur historicus quem sequimur ; quique pluribus narrat, quæ paucioribus verbis exponemus.

Patriarcha Antiochenus Jacobita Constantinopolin ductus.

Habebant in eadem urbe Malatiâ, Melchitæ Metropolitam suum, quem invidia virtutum Joannis, fama publica suscitati mortui, & alia multa adversùs eum incendebant. Itaque per unum ex suæ sententiæ Episcopis, ad Imperatorem Græcorum misit, monens esse in Imperio suo hominem qui se Patriarcham appellaret, cui omnes in ea regione magis obedirent quàm sibi, qui falsis miraculis nomen sibi quæreret, rogans tandem ut illum ex ditione sua pellendum curaret. Itaque Joannes Malatiâ Constantinopolin accersitus est, qua occasione tumultus non mediocris in urbe fuit, obsistentibus Jacobitis ne Patriarcha suus extra Diœceseos fines abduceretur, veritis ne à Græcorum Imperatore, qui diversam fidem, utpote Melchita, profitebatur, periculum immineret. Joannes eos pacare conatus est, dicens secundùm doctrinam Apostoli, eum qui principibus resistit, Dei ordinationi resistere; paratum se pro communi fide mortem subire: atque alia ejusmodi ad eos locutus, cum missis Imperatoriis profectus est, ducens secum Episcopos quatuor, & tres Monachos discipulos suos. Ita Constantinopolin pervenerunt, ubi statim dati sunt in custodiam. Paulò pòst Joanni dies data est, quâ citatus, adductus est in consessum Episcoporum, inter quos primas tenebant Patriarcha Melchitarum & Episcopus Malatiæ qui Joannem apud Imperatorem accusaverat: cùmque Episcopi splendidis vestibus induti consedissent, Joanni locus datus non est, sed stare jussus in medio. Statim linguâ Syriacâ eos allocutus, uno ex discipulis sermonem interpretante, interrogavit eos, quo canone aut qua disciplina freti, in sedibus suis, magnatum instar sederent, se verò coram ipsis stare juberent. Responderunt ipsum & qui eum comitabantur, esse hæreticos, atque adeo nefas esse ut cum Episcopis Orthodoxis locum haberent. Tum Joannes dixit se cum auxilio Dei ostensurum quòd neque ipse neque sui hæretici essent, modò disputandi de fide daretur facultas: sed facile fore unicuique, agnoscere quis orthodoxus esset, modò adessent qui de veritate eorum quæ dicturus esset judicarent, nec autoritate Imperatoris abuterentur. Monuerat eos Episcopus Malatiæ, & simul Patriarcha Melchitarum, ne cum illo disputationem instituerent: eum enim doctissimum esse, metuendumque ne ab illo refellerentur. Itaque ex illius consilio responderunt se cum hæreticis sermonem miscere non posse, & Imperatoris ministris jusserunt ut abducerentur usque ad crastinum diem. Tunc cùm in consessum Episcoporum

ipse Imperator venisset, adductus est Joannes; constitutoque inter utrumque interprete, dixit Imperator, pervenisse ad eum quod ipse vir sanctus esset: nihil igitur ab eo postulare, nisi ut amplecteretur Synodum Calchedonensem, quod sibi gratissimum foret: pollicerique, si id faceret, non honorem modò & dignitatem, sed etiam amplissimam super vicinas sedi suæ provincias autoritatem. Joannes ita respondit: *Domine Imperator, Deus Imperium tuum Majestatemque tuam conservet; testis ipse est, me nunquam intermittere orationes & supplicationes ad eum pro Imperio potentissimo tuo, veluti sacræ literæ nobis facere præcipiunt, ut securam & tranquillam vitam agamus. Verùm Majestatem tuam non oportet cogere quemquam, ut religionem suam deserat, sed sequi exemplum Regum duorum quos in nostra communione habemus, Æthiopiæ scilicet atque Nubiæ: qui neminem communionis vestræ in suis regionibus, cogunt ad suam fidem profitendam.* Hæc verba interpres, corruptus ab Episcopo Malatiæ, non fideliter retulit: addiditque cùm de regibus Æthiopiæ & Nubiæ verba interpretaretur, eos esse Imperatore superiores. Unde Imperator majorem in modum excanduit: & in contumeliosa adversùs eum & sectam Jacobiticam verba prorumpens, postridie ex suorum Episcoporum consilio, eum in insulam à Constantinopoli, uno milliari distantem deportari jussit. Duo seniores Metropolitani cùm metu & pollicitationibus Melchitarum commoti fidem eorum professi fuissent, sperantes fore ut ad majores dignitates extollerentur, à Patriarcha Melchitarum per summum contemtum Subdiaconi constituti sunt: duo alii firmi in opinione sua permanserunt. Joannes iterum adductus coram Imperatore, professusque se in fide quam tenebat mori paratum, in Insulæ vicinæ Monasterium relegatus est, relicto tantùm uno discipulo qui ipsi famularetur; atque illic per annos duos detentus est. Erat in eadem Insula Anachoreta quidam Melchita, tanto adversùs Jacobitas odio plenus, ut Monachis duobus discipulis suis sub anathematis pœna imperaverit, ut quotidie Joannem adirent, & in eum maledicta congererent, atque conspuerent, quod faciebant. Juvenis etiam Monachus in eodem loco nihil injuriarum omittebat, atque quoties Joanni ex ægritudine pedum laboranti discipulus, aquam calidam ad fomentum parabat, alter cinere injecto eam perturbabat. Hunc porro, ne miracula deessent, à dæmone correptum post triduum malè periisse scribunt. Erat Constantinopoli vir pius, qui cùm

Joannem viſere optaſſet, ad Inſulam trajecit; ſed non admiſſus, in vicinum pagum ſe recepit, unde ad eum ſcripſit, benedictionis captandæ gratiâ : ſed epiſtolâ à latore proditâ, conjectus eſt in vincula. Joannes eum conſolatus eſt per diſcipulum ſuum, & imminentem exitum ſuum ſimul prædixit. Monachi prohibuerunt ne apud eos ſepeliretur : negantes licere ut cum Orthodoxis Hæreticus ſepulturam acciperet. Unde in deſerto loco, à diſcipulo ſuo terræ mandatus. Eum autem obiiſſe ſcribunt anno 747° Martyrum, qui eſt J. C. 1031[us]. Hanc igitur hiſtoriam ſub Romano Argyro contigiſſe oportuit, quamvis illius ne veſtigium quidem occurrat, in Græcis Hiſtoricis. Fieri ſanè potuit ut cùm Imperatores Conſtantinopolitani Antiochiâ, multiſque aliis in Syria urbibus potirentur, paſſi non fuerint Jacobitarum Patriarcham, in ſuis provinciis autoritatem uſurpare aut res novas molientem Conſtantinopolin adduci juſſerint : reliqua eodem loco habenda ſunt ac illorum miracula. Addunt Patriarcham ſuum paulò antequam è vita diſcederet, præcepiſſe diſcipulo, ut ſuo nomine ſignificaret ſucceſſori in Cathedra Jacobitarum Antiochena ſuo, ne in poſterum ſedem in Græcorum provinciis figeret; verùm Amidæ aut Edeſſæ reſideret. Ea ſanè fuit atque etiamnum eſt ſedes Patriarcharum Antiochenorum ab aliquot ſæculis, ita tamen ut ſedes non ſemel mutaviſſe reperiantur. Nam fuit uſque ad Francorum Imperium Hieroſolymitanum, Amida ſub proprio Metropolita Jacobita, eamque in ſua Eccleſia dignitatem obtinuit Dionyſius, qui etiam Jacobus Barſalibi dictus eſt, vir ſua ætate doctiſſimus, & cujus teſtimoniis multoties in hoc opere noſtro uſi ſumus. Habuit quoque Edeſſa ſuos Epiſcopos : verùm Jacobitarum Patriarchis ſub Saracenorum imperio conſtitutis, communis cum Neſtorianis, & aliquando Melchitis conſuetudo fuit, ut Patriarchæ, aut qui ſimilem propemodum dignitatem haberent, in quocumque loco ſedem ſuam conſtituere poſſent. Id primùm neceſſitate coacti fecerunt, cùm Imperatorum Chriſtianorum legibus ex urbibus præcipuis migrare juberentur : atque ea ratione ipſi Catholici ſedes Patriarchales ſæpè, Arabum metu poſtmodum relinquere coacti ſunt. Primi qui illam migrationem ſponte fecerint, fuiſſe videntur Neſtorianorum Patriarchæ Catholici appellati. Illi enim cùm Seleuciæ ſeu Cteſiphonte ſederent ultimis Perſarum Coſroidarum temporibus, ſtatim atque Bagdadum à Caliſis Abbaſſidis condita eſt, in eam tranſiverunt, ut Alexan-

drini Jacobitæ Misram potius quàm Alexandriam incoluerunt.

Zacharias Patr. LXIV.

Aiunt eumdem Patriarcham Joannem, cùm tempore Ægyptiacæ persecutionis Ephræm Damiatensis Episcopus Diœcesi sua fugere cogeretur, eum divinitùs agnovisse, quamvis habitu Monastico tectum, & inter Monachos alios permistum: & ad se adductum consolatum esse, atque in patriam remisisse. Post Joannis obitum, à Jacobitis electus est ejus ex fratre nepos eodem nomine, ad quem Synodicam se detulisse testatur Michael scriptor hujus historiæ postquam constitutus fuisset Episcopus Tancos simulque secum fuisse Gabrielem Episcopum Sa. Erat autem Synodica illa Epistola de unitate fidei scripta à Christodulo Patriarcha de quo inferiùs dicetur, missaque fuit anno 765° Martyrum, qui fuit J. C. 1049[15]. Scribit autem Michael se miraculum de puero suscitato, & alia didicisse à Joannis primi Discipulo, & ab ipso Ephræmo Damiatensi.

Non desunt etiam miracula Zachariæ attributa quæ omittimus: nec enim illa aliter accipienda sunt quàm vanæ otiosorum hominum fabulæ, quas non tam fallendi aut sectam suam commendandi studio excogitant, quàm ut Christianos durissima Saracenorum servitute conflictatos talibus miraculis in officio contineant, & à fide abneganda deterreant. Adde quòd multa similia leguntur in vitis Patrum, quæ cùm nullo judicio collectæ sint, variisque narrationibus, ut sæpè solet, auctæ in codicibus reperiantur, ex quibus Arabes & Syri translationes in vulgarem sermonem fecerunt suas; nulla enim apud Orientales Criticæ Ecclesiasticæ umbra est, idcirco fabularum omne genus tales in libros irrepsit. Illos si quando Orthodoxi in Arabicum sermonem interpretati sunt, Jacobitæ eosdem in suos transtulerunt, & quæ antiquis temporibus facta erant, suis attribuerunt.

Miracula Zachariæ.

Unum notasse oportet quod alibi observavimus; cùm de Eucharistiæ miraculis ageretur, & quod in aliis locum habet. Nempe etiam ex fictis absurdisque narrationibus, verum aliquando exsculpi ita posse, ut ex illis certa disciplinæ eorum temporum in quibus scribebantur argumenta, haberi possint. Nemo miraculum sive verum, sive fictum de sacra Eucharistia narrat, aut narranti fidem præbet, quin simul realem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Sacramento credat. Nemo pari exemplo narrat miracula, per unctionem sacram, aut olei benedicti, secundùm Ecclesiæ traditionem, aut ex lampade Ecclesiæ accepti: per si-

Ex fabulis etiam veritas aliquando agnoscitur.

gnum crucis, per imagines, per vasa sacra, per reliquias sanctorum, per jejunia, vigilias, coram altari aut imaginibus, scribere potest, quin hæc omnia per quæ miraculum factum scribitur in rerum sacrarum numero habeat, & à superstitione quam longissimè abesse existimet. Neque enim Autores, nobis superstitiosos homines, aut magos, sed sanctos repræsentant. Omnia autem illa miracula, vel signo crucis, vel benedictione, vel reliquiis facta esse scribunt: atque ita omnes illas Ecclesiasticas traditiones apud se vigere, non modò certis aliis argumentis, quæ aliunde suppetunt, sed istis etiam fabulis confirmant.

Pœnitentiæ exemplum.

Unum præ cæteris in hac Zachariæ vita notatu dignum est de homine, qui cum uxore jurgatus, eâ relictâ libidinem cum puero meritorio explevit, statimque leprâ perculsus est. Is cùm Zachariam adiisset, durissimam per dies quadraginta pœnitentiam peregit, inclusus obscuro in loco, & triduo tantùm elapso panem modicum & aquam gustans: quo temporis spatio, eamdem sibi Zacharias pœnitentiam imposuit. Ex eo enim exemplo intelligitur quàm severa in nefandi illius sceleris reos disciplina fuerit; verùm de ea fusiùs in Dissertatione de Pœnitentia.

Sanutius II. Patr. LXV.

SANUTIUS II. PATRIARCHA LXV.

Status rerum Ægypti.

EXTINCTO Zachariâ, multi, quod huc usque vix contigerat, Patriarchalem dignitatem ambientes, ad eam contra Canones autoritate Sultani pervenire conati sunt. Ægypti Califatum obtinebat ab anno Hegiræ 411°, quo Hakemus periit, filius ejus Abulhacen Hali, qui cognomine mutato appellatus est Taherle-Azazeddin illa, & simpliciori Taher sexdecim annos natus, cùm ab Emiris & populo salutatus est. Imperium cum summa potestate administravit ejus nomine, Hakemi soror, Settelmeluca, cujus jussu occisus ille fuerat, & prudentissimè rem gessit; sed eâ post annos quatuor mortuâ, summa rerum ad Taherum rediit, qui à prudentia, religione qualis in Muhamedano esse potest, justitiaque ab historicis commendatur. Amitam autem ejus audacem, magnique animi fœminam imperium administrasse, eò fuit facilius, quòd illa tantis opibus abundabat, ut purpuratos, milites, & omnes alios largitionibus statim sibi adjunxerit. Tanta enim ex præda tot provinciarum erat Fatimidarum opulentia, ut etiam fœminæ principes, regum opes domesticis facultatibus æquarent

æquarent aut superarent. Tres eâdem prope modum dignitate ex Califarum familia opibus floruerunt: Sidet Rechidet amita Hakemi, quæ cùm ipse Legatum Imperatoris Græcorum in conspectum admitteret, ad majorem pompam aulæa ipsi opere polymito ex auro & serico multa præbuit, adeo ut aula auro gemmisque radiaret. Set-el-Mesr, ejusdem Califæ filia, octo millia puellarum in servitio habuit, gemmarum, moschi Sinensis & aliarum rerum magni pretii infinitam copiam: & ex annuis reditibus percipiebat quingenta aureorum millia. Rechidet mortua, Hakemo vivente, reliquit pecuniæ signatæ millies mille & septingentos mille aureos: vestium sericarum triginta millia: aliarum unicoloriùm duodecim millia, tum alia multa. Abada ejus soror filia Muazzi tantas opes reliquit, ut post ejus obitum ad signandas cistas, arcas & apothecas, cera pondo quadraginta rotulorum Ægyptiacorum; sive librarum consumta fuerit. Quantæ fuerint novorum illorum Dominorum rapinæ, satis intelligitur, apud quos tres mulierculæ, nullius rapacitatis accusatæ, tot thesauros collegerint. Obeunte igitur Setelmelouka, quasi diceres *Regum Domina*, Taher Vezirum assumsit Mogibeddoulet Hali filium Ahmed Georgianum, quem virum prudentem & Christianis amicum fuisse scribit noster historicus. Ad eum accessit Bekira Rechidæus, præcipuæ inter Christianos nobilitatis & dignitatis, exposuitque periculum in quo res Christianorum Jacobitarum erant, siquidem hæc contentio hominum de Patriarchatu certantium finem non acciperet. Vizirus ea caritate quæ à Muhamedano expectari vix poterat, respondit, tria denariorum aureorum millia quæ fisco deberentur, ab eo persolvenda qui ad hanc dignitatem assumeretur, se illis remittere: verùm ad finiendas omnes contendentium de Patriarchatu machinationes, negotiumque tranquillè perficiendum consulere, ut sicut Bagdadi fieri solebat, ita & ipsi rem sorti permitterent. *Hist. Æg. t. 2. f. 154.*

Quia porrò locus hic insignis est, formamque electionis quæ postmodum sæpè usurpata est, repræsentat, verba ipsa apponemus. *Facite quemadmodum apud nos Bagdadi fieri solet; nempe cùm aliquem ad Patriarchatum promovere designant, congregati in Ecclesiam, nominant ex omnibus Monasteriis viros centum: ex quibus quinquaginta seligunt, postea ex illis viginti quinque: ex istis decem, tandemque ex decem qui ex illis omnibus residui sunt, tres eliguntur. Eorum nomina tribus schedis inscribunt,* De sorte ad eligendum Patriarcham.

in quarta nomen Jesu Christi, eas in globum plicant, collocantque subtus altare ubi orant, & Liturgiam celebrant. Post orationem & Liturgiam, infantem ex filiis suis adducunt peccati nescium, qui extensa manu unam ex schedis accipit. Cujus nomen in ea scriptum reperitur, is ordinatur Patriarcha: si occurrit illa quæ Christi nomine inscripta est, intelligunt, neminem trium dignum esse. Alia igitur tria nomina scribunt; nec ita agere desinunt, donec Deus quem elegerit significet, educto unius nomine qui mox ordinatur Patriarcha. Hujus consuetudinis quæ deinde sæpè observata est, testimonium circa Ecclesiam Bagdadensem, certissimum occurrit in Historia Nestorianorum Maris Salomonis filii: nam cùm de Ecclesia Bagdadensi Emirus loquebatur, aliam procul dubio non habebat in mente quàm Nestorianam. Quippe Antiochenus Jacobitarum aut Melchitarum Patriarchæ Bagdadi Sedem non habebant, obtinuerantque ab Hali filio Abutaleb, & aliis Califis Nestoriani, ut illis in regionibus, nemo præter Catholicos Modainenses supremam inter Christianos haberet autoritatem. Sed cùm contentiones gravissimæ orirentur inter Nestorianos qui in Aula Bagdadensi plurimum poterant, jam ab Almansoris qui Bagdadum condidit tempore, quia plerique Archiatri ex ea secta erant, & aliquando concordiæ ratio iniri nulla poterat, sors illa instituta est. Ejus usurpatæ exemplum, primùm occurrit in electione Joannis filii Narsis qui inter Catholicos numeratur 52us, factâ anno J. C. 884°, tum in eligendo altero Joanne cognomento Abu Isa, qui fuit 61us, anno J. C. 1007°: & ejusdem moris mentio occurrit multis in locis. Hanc porrò sortem Ægyptii Christiani *Heikeliet*, quasi in altari aut sanctuario factam appellabant, & ejus diversa postmodum exempla occurrent.

Sanutii electio.

Sive Nestorianorum quos imitari Jacobitæ nolebant odio, sive aliâ causâ factum est, ut Viziri consilium sequi noluerint; sed iterum congregati Episcopi, postquam multos proposuerunt, tandem accedentibus omnium votis elegerunt Monachum Sacerdotem, ex Cella D. Macarii, literis divinis apprimè instructum, quique à quartodecimo ætatis anno monasticam vitam professus fuerat, nomine Chenuda sive Sanutium: ortum ex loco *Lebana Adi* dicto, vel ut habetur apud Abulbircat *Tenana*, non *Tarana*, ut scripsit Wanslebius. Attamen erant qui dicerent eum sub Zacharia Episcopatum Misræ ambivisse; sed cùm pecunia illi dees-

fet, repulfum & ejus loco Philotheum ordinatum. Nec tamen puduit eum qui talia & quæ fequentur fcribebat, etiam ad hanc electionem miracula interponere : unum quod Epifcopus quidam divinitùs accepit, ut eum qui primus poftridie in Ecclefiam fancta corpora veneraturus intraret, is affumeretur ad Patriarchatum : Sanutius autem is fuit. Alterum quod eadem nocte vidit in fomnis Petrum & Joannem Apoftolum, qui claves quas in manibus habebant ipfi porrigebant ; quod fomnium Onirocriticus alter Monachus de futura ipfius dignitate interpretatus eft.

Cùm ejus electio communibus fuffragiis confirmata fuiffet antequam Patriarchali vefte indueretur, Epifcopi ab eo promiffum exegerunt ut Joannem, five Junes, nefarium illum Zachariæ calumniatorem, ordinaret Epifcopum Farmæ, quæ eft in finibus Ægypti circa defertum, quod illam & Syriam interjacet. Eum igitur ad Sanutii Cellam deduxerunt, à quo benignè exceptus eft : verùm petiit ut quandoquidem Epifcopatus Farmæ nullos reditus habebat, annua triginta aureorum penfio fub Patriarchæ fyngrapha ipfi promitteretur, fraterque ejus alium Epifcopatum acciperet, quod ipfi conceffum eft. En mores illorum Thaumaturgorum : fed pejora adhuc fecuta funt : nam cùm poft aliquam contentionem quæ iterum orta eft, & quam Junes Monachus, qui ab omnibus timebatur, compofuit, accerfitus fuiffet, atque Alexandriam ductus, noluerunt Alexandrini eum fufcipere, quin prius fcripto inftrumento fe obligaffet ad folvendos quotannis aureos quingentos, qui ad eorum Ecclefiæ reparationem impenderentur. Præterea coactus eft fubfcribere alteri inftrumento, quo pollicebatur fe nullam pro ordinationibus pecuniam accepturum, neque pro dono Chrifti denarium vel drachmam exacturum aut recepturum : tandem fe centum aureos qui ex confuetudine Præfecto urbis dabantur, perfoluturum. Verùm ne obolum quidem habebat, unde illis fatisfaceret : eaque occafione cùm nefarii illi Epifcopi quærerent an meliorem fe exiftimaret patribus fuis qui fimoniam exercuerant, de Epifcopatu *Bana* five Panopoleos, cum Raphaele quodam pro fexcentis aureis tranfegit : qui pecuniâ carens, eam fœnore à Muhamedanis accepit. Variæ ejus cum fuis contentiones.

Alexandriam cùm ita intraffet atque ordinatus fuiffet, ftatim qualis futurus erat oftendit, pecuniis undequaque colligendis intentus, magno Alexandrinorum fcandalo, quòd datam ipfis de abolenda fimonia fidem fregiffet, tum etiam quòd adverfus omnes Simoniam exercet.

non superbè solùm, sed contumeliosè se habeaccount. Misræ major adhuc ipsius superbia fuit: nam Bekiræ Rechidæo scribæ qui ad eum officii benedictionisque captandæ causâ venerat, nihil aliud dixit quàm *Dominus regnavit, irascantur populi:* verba de Christo per Davidem dicta, per impiam arrogantiam ad se transferens: nam Bekira ejus electioni vehementer obstiterat; quod alter exprobrabat, ut etiam quod petenti sibi Episcopatum Misræ pariter restitisset. Alter cum omni modestia eum monuit ne Judæorum exemplo scripturas in alienum sensum detorqueret; tandemque irati abscesserunt, cùm adstantes in ea verba proruperint; in hoc novo regno, quod ipse in Christianos usurpare conabatur, salutem esse nullam, eò quòd primus quem ordinaverat Episcopus Panopoleos, sexcentorum aureorum pretio numerato ordinatus fuerat. Tantum abfuit autem ut ex illa præstantissimorum inter Jacobitas virorum exprobratione mores emendaret, ut potius excusso pudore omni ad graviora facinora progressus sit. Nam Archipapam seu Archipresbyterum urbis Osiut, Episcopum ordinavit, pactâ ingenti pecuniâ: quod sacrilegium cives Osiutæ tantopere aversati sunt, ut illum triennio urbis ingressu prohibuerint, canonicæ disciplinæ adhærentes. Unde ille reversus ad Sanutium, petiit ut, vel pecuniam suam restitueret, vel à civibus se recipi juberet: at neutrum præstitit. Inde tanta fuit miseri illius Episcopi indignatio, ut mortuo similis in terram collapsus fuerit, & difficulter ad se redierit, vexatus quasi à dæmone agitaretur. Tandem Michael qui aderat, & alii obtinuerunt à Patriarcha literas ad Episcopos vicinos, quibus jubebat ut eum in pago quodam Diœceseos ordinarent Episcopum. Hoc loco deplorat idem Michael temporum calamitatem, infinitasque pecuniarum exactiones à Muhamedanis factas, præsertim ex quo Ahmed filius Toloni Ægyptum obtinuit: quæ causa fuit cur Patriarchæ ab antiquis moribus deflecterent, & Domini præceptum de gratis dando, quod gratis acceperant discipuli, abiret in desuetudinem, cùm non alia ipsis ratio suppeteret, satisfaciendi avarissimis principibus. Neque tamen hanc excusationem approbare videtur.

Spolia mortuorum Episcoporum capit.

Sanutius omnis disciplinæ contemtor injicere etiam manus conatus est in mortuorum Episcoporum spolia: cùmque Elias Episcopus Chenanæ diem suum obiisset, misit qui suo nomine domum ejus occuparent, & omnia quæ in ea reperirentur. Obsecrabat eum defuncti frater, ut ablatis bonis omnibus, sibi domus

vacua relinqueretur; quod Sanutius negavit. Unde vir ille in desperationem adductus Muslemanus factus est, domumque, & omnem fratris hæreditatem retinuit. Hæc & multa alia quæ silentio se præterire Michael Episcopus testatur, cùm Sanutius rei augendæ immodicè attentus, magno omnium scandalo perpetrasset, tamen aut ex avaritia aut ex inopia cùm secundi anni pensio quæ Alexandrinis debebatur repræsentanda esset, negavit. Illi ad Præfectum querelas detulerunt, atque ipse coactus est syngrapham pro debita quingentorum aureorum summa, sed & pro trecentis aliis dare.

Ea occasione Bekira idem Diaconus, qui perpetuò laudatur in hac historia à pietate, & amore Ecclesiæ suæ, liberè eum monuit, ut simoniam omitteret. Respondit ille non esse sibi, sublatis illis pecuniarum exactionibus, unde Alexandrinis annuos aureos quingentos, & ordinaria tributa solveret, neque unde se & discipulos suos sustentare posset. Ad hæc Bekira spopondit se & alios subministraturos ipsi quæcumque necessaria essent, tum ad sumtus, tum ad onera, ex collatione tributi denarialis & aliorum quæ Patriarchis conferri solebant; si quid deesset suppeditaturos: effecitque ut hæc concordia ab eo subscriptione firmaretur, quamvis id admodum reluctans faceret. Convocatis Episcopis cùm factam inter se & Bekiram conventionem ipsis significasset, graviter tulerunt, adeo ut dicerent, auferri ipsi jus omne dignitatemque Patriarchæ, si ab exigenda pro ordinatione Episcoporum pecunia desisteret. Bekira de perverso Episcoporum consilio certior factus, accurrit; suadereque conatus ne illis obtemperaret, verùm testaretur, se id ex animi sui sententia, non alterius suasu promisisse, promissisque stare velle. Id facturum se Sanutius simulans, rogavit ut syngrapham afferret sibi, quam Episcopis ostensam vellet: eam Bekira nihil doli suspicatus ipsi in manus tradidit, quam statim concerpsit. Indignati verò Episcopi quòd ipsis convocatis, ut consilium acciperet, omnia ex arbitrio ageret: convenerunt in Ecclesiam S. Mercurii Misræ; ipse verò manebat cum suæ factionis hominibus, in Ecclesia S. Michaelis. Instantibus tamen Christianorum Laicorum primariis ut simonia funditùs tolleretur, ad Episcopos venit; & illi toto die à mane usque ad noctem, frustra cum eo laboraverunt ut consensum ejus extorquerent. Instanti Bekiræ, cùm superbè eum interrogasset quo jure in Episcoporum consessu loqueretur, manus à discipulis suis injici jussit, eumque contume-

Sanutii perversitas.

liosè verberari, atque ita re infecta discessum est. Junes Monachus qui Episcopatum Farmæ pacta annua triginta aureorum mercede reliquerat, eam à Sanutio exigere voluit : at ille non aliter respondit, quàm per sententiam horrendi anathematis, cujus formulam ex utroque Testamento collectam manu propria scripserat, quamque ad omnes Diœceses misit.

Ejus obitus.

Maxima his temporibus fames Ægyptum vicinasque provincias afflixit, nam mures sementes vastaverunt, tum etiam tempestatibus, inundationibus & terræ motibus, multæ regiones vastatæ sunt. Sanutius in obduratione perseverans, triennio antequam obiret, gravissimis capitis doloribus, tum aliis morbis oppressus, tandem obiit 2ª Athyr, anno 733° Martyrum, qui est J. C. 1017us, ut habet exemplar nostrum errore manifesto. Nam cùm ejus decessor obierit anno Martyrum 748°, & ipse, ut testatur Michael historicus annos quindecim sederit, obitus ejus referendus est ad annum ejusdem Æræ 763um. Unde Elmacinus scribit eum obiisse anno 774° Martyrum, sedisseque annis 25 : cùm numerus corruptus sit, quando initium ejus numerat ab anno ipsius Æræ Ægyptiacæ 748°, Hegiræ 421° : at multipliciter hîc erratum est, neque enim is annus Martyrum respondet anno Hegiræ 421°, qui est J. C. 1030us, sed anno 746°. Canon Chronologicus apud Abulbircat ordinationem ejus assignat eodem anno, quo decessoris ejus Zachariæ obitum, nempe Martyrum 745° : finem Pontificatus 760°, quem definit annis 15, mensibus 11 ; & hunc numerum sequitur Makrizius, nisi quòd quinque mensibus minor est. Ordinationem factam scribit anno Hegiræ 421°, ut Elmacinus, 23ª mensis Phamenoth : mortuum mense Tybi. Abulbircat ordinatum dicit mense Cohiac, mortuum 2ª Atyr : tanta est inter Autores diversitas. Sepultus est in Ecclesia magna urbis Demroüa, quam Zacharias inchoaverat, Sanutius ex voto antequam Patriarcha fieret emisso perfecerat. Astitit morienti, ejusque oculos clausit Michael tunc scriba Patriarchii, postea Episcopus Taneos, qui à Zacharia Diaconus, à Sanutio Sacerdos, à Christodulo ejus successore Episcopus ordinatus est. Hic historiam perfecisse ait anno Martyrum 767°, J. C. 1051°.

Res Antiochenæ.

Eo tempore conflagravit Ecclesia Jacobitarum Syrianorum Antiochena, anno Martyrum 788°, secundùm autorem sequentis Historiæ, J. C. 1072°, Hegiræ 465°. Orta erat contentio inter

Clerum illius Ecclesiæ & Laicorum primarios ob bonorum administrationem. Unus ex illis adiit Melchitarum Patriarcham, datâque pecuniâ obtinuit, ut obsignatis Ecclesiæ foribus Sacerdotes comprehendi & in carcerem conjici juberet, ubi per sex dies, variis cruciatibus afflicti sunt. Cùmque ulteriùs similia pati non possent, significaverunt Patriarchæ Orthodoxo se paratos esse ad fidem suam abnegandam, ejusque communionem amplectendam, modò unusquisque gradum suum in Ecclesia retineret, simulque ab injuria, quam inimicus eorum ipsis intulerat eos vindicaret. Ille cùm de illorum consilio certior factus esset, prævenit eos, & apud Melchitarum Patriarcham edidit fidei Orthodoxæ confessionem. Sacerdotes ex carcere educti Ecclesiam spoliaverunt, altare diruerunt, & Eucharistiam quæ in eo conservabatur in mare projecerunt, atque ita Ecclesia eversa est. Postea suæ religionis homines, tum autoritate, tum minis & pœnis coegerunt ad Jacobiticam fidem deserendam, adeo ut quatuordecim illorum millia ad Ecclesiam Orthodoxam redierint. Erat sanè tunc Antiochia sub Græcorum Imperatorum potestate, atque adeo Orthodoxi primas in ea urbe obtinebant, & ita facile fuit ut autoritate principum Jacobitæ coercerentur, multique ad fidem Orthodoxam reducerentur. Cùm verò nullus huc usque scriptor ad manus nostras pervenerit, qui Melchitarum seu Orthodoxorum Syrorum res Ecclesiasticas descripserit, nullum ad hanc historiam illustrandam subsidium nancisci potuimus. Multi Jacobitæ ad fidem Orthodoxam conversi.

Ut verò paucis quæ ad politicam historiam hujus temporis pertinent prosequamur: vixit Sanutius partim sub Hakemi, partim sub Taheri Califatu, siquidem annos 25 sedit, ut Elmacino placuit. Verùm cùm error ipsius manifestus sit, scribatque alio loco eum ordinatum fuisse anno Taheri 11°, qui fuit Hegiræ 422us, J. C. 1030us, illius vitam multis annis supergressus est. Cepit Taherus Imperium anno Hegiræ 412° : obiit 427°, annos natus 31, cùm sedisset annis 16, mensibus aliquot. Princeps fuit nullo insigni vitio, aut virtute commendatus, qui ob pueritiam primos imperii annos sub amitæ tutela; reliquos Viziris omni autoritate relicta, satis inglorius transegit, non quòd ipsi aliquid ad præstantiorum ex sua gente Imperatorum gloriam æquandam deesse videretur; erat enim clemens, munificus, populi amans, & facilis, neque adversus religionem Muhamedanam patris exemplo quidquam molitus est, sed obstabat valetudo, cor- Res Muhamedanæ. P. 265.

porisque imbecillitas, quæ in eo continua fuit, adeo ut nec militiæ laboribus, nec rebus gerendis esset idoneus. Ejus tempore multos in carcerem conjectos fuisse, tam viros quàm mulieres testatur historia Patriarchalis, de quo tamen nihil occurrit in variis historicis. Tunc etiam Mardasidæ Halepum quæ in ditione ejus fuit, occupaverunt. Eorum princeps Salehus Mardasi filius, Baalbecum, seu Heliopolin & aliquot alias Syriæ urbes occupavit, & novi principatus Autor fuit, cujus Halepum sive Berrhoea Metropolis erat; stetitque hæc familia sub diversis principibus per annos circiter quinquaginta.

De Gaznewidarum Dynastia.

Verùm major dignitas alterius familiæ fuit, Sebektekini scilicet, qui primus numeratur inter Gaznewidas, à Gazna cognominatos, quæ Zablistanæ secundùm Abulfedam caput erat, at secundùm alios Geographos Indiæ attribuitur. Jam ante annos aliquot Sebektekinus Chorasanam, Cowarezmiam & multas alias superioris Asiæ provincias occupaverat, cæsis Præfectis qui eas obtinebant nomine Samanidarum; nulla enim jam illic erat Califarum Abbassidarum autoritas. Initia illius familiæ assignant Historici Persici, qui eas res accuratiùs tractaverunt quàm Arabes, anno Hegiræ 384°, J. C. 994°. Tunc enim Sebektekinus Chorasana potitus est: fuerat autem servus Tekini, qui etiam in aula Samanidarum servitutem servierat. Postea Mahmoud Sebektekini filius, Mawarlnaharam seu Transoxianam, Imperio suo adjunxit, Indiæ etiam provincias multas penetravit, & inter barbaros Muhamedanam religionem propagavit. Regnaverunt ejusdem familiæ principes quatuordecim, annis centum quinquaginta quinque secundùm Emir-Condum, Cond-Emirum, Leb Tarich, & multos alios. Tenacissimi autem fuerunt Gaznewidæ Religionis Muhamedanæ Sunniticæ, quæ secundùm Abbassidas Orthodoxa existimabatur, semperque Califam Bagdadensem venerati, post insignes de Indis victorias, nuntios cum literis & muneribus ad Caderum Bagdadum miserunt. Cùmque Hakemus ad Sebektekinum & Mahmoudum ejus filium, literas scripsisset, hortatus ut suo nomine publicam in novo suo illo Imperio orationem fieri juberent, eumque pro legitimo Califa agnoscerent, uterque literas discerpsit, & conspuit.

Leb Tarich Emir Cond.

Bowiadarum divisio.

Principes ex Bowiadarum familia in duas familias, Persicam & Yracensem divisi, continuis se se bellis atterebant; Yracenses Califam in potestate habebant, & quamvis spiritualem ejus dignitatem

gnitatem tueri viderentur, secretò tamen *Rafideos* seu Haliadas fovebant. Inde continui in ipsa Bagdado tumultus, præsertim circa festos illos dies in quibus Persæ planctum decem dierum, *Aschour* vocant, in detestationem cædis Imamorum seu Pontificum suorum celebrant, quem ritum Muhamedani *Sunitæ*, seu qui aliam traditionem sequebantur & Abbassidis obediebant, detestabantur. Hinc cruenta duas inter factiones prælia, Bagdadi quotannis committebantur, Califa dissimulante, & palatio se continere coacto. Negligebatur quoque Meccana peregrinatio, ob continuos Arabum incursus, qui Caravanas, sive peregrinorum catervas adoriebantur, spoliabantque, nisi ingenti pecunia se redimerent. Cædes in ipso Meccano templo magna, sub Tahero facta, eò quòd Ægyptius quidam fanaticus, ex Hakemi ut creditum est discipulis, lapidem nigrum quem miseri illi magna superstitione venerantur, post contumeliosa in Muhamedem & Califam verba, ter repetitis ictibus clavâ ferreâ percusserat, partemque ejus fregerat. Unde factum ut Meccani quoscumque potuerunt, Ægyptios obtruncarent. Interea Califa Kader billa anno 422° obiit, cùm hanc dignitatem titulo tenus habuisset annis fermè quadraginta duobus, quod nemini Califæ antea contigerat. Successorem habuit filium suum, is fuit *Elmac. p. 263. 266. 279.*

Kayem bimrilla, vulgò Kayemus, Abbassidarum 26us, qui diutius sed eâdem fortunâ non tam Imperium quàm Pontificatum tenuit, nempe usque ad annum Hegiræ 467um, J. C. 1064um, partim sub Bowiadarum, partim sub aliorum, præsertim Seljukidarum de quibus infrà dicetur, potestate. Atque hæc Muhamedani Imperii tunc conditio fuit, cùm Tahero Fatimidæ successit in Ægypti, Africæ, Syriæ aliarumque provinciarum Imperio filius ejus Abutemim Mohad, qui cognominatus est Mustansir billa, & annum ætatis octavum ingrediebatur, sub Viziri tutela.

Præter ea quæ de Sanutio retulimus, refert Abuselah Armenus, sub hoc Patriarcha ædificatam esse in loco dicto *Habessinorum*, prope Misram, ut antea dictum est, Ecclesiam sub sancti Victoris titulo, in qua dum ipse scriberet, extabat adhuc Coptica inscriptio quæ docebat pictas fuisse imagines anno Martyrum 759° sub illius Patriarchatu: ibique duo altaria ædificasse Sanutium, unum Cosmæ, alterum Joannis martyris qui Asuanæ pro Christo passus est.

CHRISTODULUS PATRIARCHA LXVI.

Christodulus Patr. LXVI.

Autor hujus historiæ Mauhoub filius Mansur.

CUM in Sanutio finem accipiat historia Patriarcharum decem à 56° Chaïle, usque ad Sanutium hujus de quo mox dicemus successorem, scripta ab eo quem sæpè laudavimus Michaele Episcopo Taneos, quæ sequuntur alium Autorem habent, scilicet Mauhoub, filium Mansur filii Mofrah, Alexandrinum Diaconum. Is anno Martyrum 804°, qui est J. C. 1088us, Hegiræ 481us, quamvis ipse aliter supputet, anno uno minus, ait se profectum in Monasteria ut vitas Patriarcharum perquireret; multasque reperisse in Monasterio S. Macarii Vallis Habib, & in aliis: porro illæ ipsæ sunt quas huc usque excerpsimus: & postea ad illas continuandas adjecisse animum. Ex illius præfatione intelligere possumus, conservatas fuisse in Monasteriis illas historias; at plerasque absque autorum nomine, jam Arabicè explicatas, quas Mauhoub descripserit & in unum corpus collegerit, quales nunc extant in Regio aliisque codicibus. In ea Collectione primum locum tenent veteres vitæ à Severo Episcopo Aschmoninensi collectæ, tum autorum diversorum qui ut suis locis designatum est, multa tanquam testes oculati referunt. Primæ illæ vitæ scriptæ erant, ut videtur, antequam Severus eas colligeret, Ægyptiacâ linguâ; nam etiamsi Græca aliquot vetustiorum exemplaria extabant ad S. Macarium, ut idem testatur, à paucis tamen intellecta vix in usu erant: sed Copticè scribebant plerumque Christiani, imò & inter se adhuc loquebantur, ut ex aliquibus hujus historiæ locis manifestum est. Labor Severi in colligendis antiquorum vitis & ex Coptica lingua vertendis fuit. Michael Episcopus Taneos & Autores qui eum præcesserunt, scripserunt Arabicè: inde collectio ista prodiit, quam alii compleverunt.

Omnis autem rerum sub isto Patriarcha gestarum series, & aliorum aliquot sequentium, pertinet ad Mostansiri Califæ Ægypti Fatimidarum 5i tempora, qui anno Hegiræ 427° salutatus, regnavit annis sexaginta, usque ad annum 495um, J. C. 1101um.

Christoduli electio.

Cùm obiisset Sanutius Patriarcha, convenerunt Alexandriam illi ad quos electio spectabat, Sacerdotesque illius urbis & Laicorum primarii consultaverunt de eligendo qui in ejus locum succederet. Ea enim electio ad Alexandrinos pertinebat, nempe ut superiùs expositum est, habebatur in eorum urbe Synodus ad ele-

ctionem, Clerusque & populus suffragii jus habebant. Cùm aliquot Monachorum aut Hegumenorum nomina proposita fuissent, nec placerent, nominatus est Christodulus Hieromonachus in Monasterio Primi ad Vallem Habib, cujus frater ejusdem Abbas erat, moribus suis commendatissimus, quique de futura ejus dignitate divinitùs monitus fuerat, quod fratri significaverat: uterque tristitiam potius quàm gaudium præ se tulit. Tandem cùm in ejus electionem omnes consensissent, missi sunt ad eum decem viri ex consessu, qui eum Alexandriam adducerent, inter quos fuerunt, Abulfetah Mansour Alexandriæ magistratum præcipuum gerens; & Simon Sacerdos Ecclesiæ S. Marci, postea Episcopus Taneos. Obstabat tamen Bekira vir illustris, qui ad communem omnium sententiam demum accessit. Christodulus ex cella sua pedem efferre noluit, nisi veste Patriarchali exteriori indueretur, ne si contentiones reviviscerent, ludibrio esset omnibus. Alexandriam deductus, ordinatus est mense Kohiac, anno Martyrum 763°, secundùm Autorem nostrum: Abulbircat 761°, Elmacinus anno 764°. Annus Martyrum 763us, est annus J. C. 1047us, respondens anno Æræ Muhamedanæ 439°, quem ipsum esse scribit Makrizius, quo Christodulus ordinatus est; atque ita emendanda est aliorum Autorum Chronologia & præsertim Elmacini qui Sanutium obiisse scribit anno 774° Martyrum, decennio seriùs quàm re vera obiit: atque ita contradiceret ipse sibi, sive illud fuerit librariorum vitium, sive Autoris proprium: nam ut in fine superioris vitæ observatum est, multis modis erraverunt Autores quos sequimur, tum in annis numerandis, secundùm Æram Martyrum Christianis propriam, tum in componendis cum Æra Muhamedana. Ratio in promtu est, quia ut ex initio hujus historiæ colligimus, duplicem annorum numerandorum rationem Christiani Ægyptii saltem hoc sæculo habuerunt, unam quam Helaliorum seu Lunarium vocant, quæ satis convenit cum supputatione Muhamedanorum communi: alteram Charagiorum, de qua non ita certam methodum habemus, quamque explicare paucis verbis non licet, cùm ejus mentio nulla, quantùm huc usque adipisci potuimus, fiat apud Autores qui Tabularum Astronomicarum ærarumque artificium commentariis explicaverunt. Conjectura est singularem fuisse illius usum apud Charagios seu Hæreticos Persicæ Religionis, quales erant Fatimidæ, quamvis Autores omnes annos illorum revocent ad communem Muhame-

Elm. p. 269.

danorum Chronologiam, à qua secundùm characterismos quos Mauhoub initio hujus vitæ notat, differt annus Helalæus & ipsius Chronologia secundùm eam supputandi rationem, anno uno. Nam qui annus 480us Helalæus numeratur, est secundùm accuratissimas tabulas annus verus Arabicus 481us, incipiens à Dominica 26a Martii in annis Julianis, æræ Christianæ 1088°; qui annus est Charagius 476us. Verùm hæc alibi fusiùs explicare fortasse licebit. Sufficit fixisse hoc loco veram, ut existimamus, Epocham esse secundùm autoris nostri testimonium anno Martyrum 763°, J. C. 1047°, Hegiræ 439°; quod etiam ex præcedenti vita confirmatur: nam cùm ordinatus fuerit Sanutius anno 748° Martyrum, sederitque annos solidos 15 & menses aliquot, superest ut obierit anno 764°; aut si menses non numerentur, 763°, Hegiræ 439°, qui fuit 12us Califatus Mustansiri.

P. 265. Hinc etiam colligitur non vacasse sedem, ut Elmacino visum fuit, annum unum & menses quinque; quamvis eum, ut solet, Makrizius sequatur: imò cùm alter obierit mense Athyr, hic ordinatus fuerit mense Cohiac qui eum proximè sequitur, vacasse sedem oportuit paucis diebus. Abulbircat eodem anno mortem Sanutii & ordinationem Christoduli assignat.

Initia miraculis illustria. Initia ejus miraculis coruscasse affirmant, eorumque testem Autor se fuisse asserit, quia cùm paulò post Ordinationem profectus fuisset ad S. Macarium, ut ibi proclamaretur, dixit se ea nocte quæ ejus electionem præcessit, vidisse in somnis Petrum & Paulum Apostolos qui clavium fasciculum ei darent in manus: ipsoque die Alexandrinos advenisse, qui Patriarchatum ipsi deferrent. Postquam Alexandriam reversus est, consecravit in ea urbe sex Ecclesias: 1am S. Joannis Evangelistæ, 2am sancti Mercurii, 3am sancti Raphaelis Angeli, 4am S. Mennæ Martyris, 5am S. Georgii, 6am S. Marci, quæ renovata fuerat. Quo verò die Ecclesiam S. Raphaelis dedicavit, ordinavit Sacerdotem unum, Diaconos sexaginta & ampliùs, ea tamen lege ipsis imposita, ut nihil ipsis quidquam juris in Ecclesiæ bonis esset, quam legem parentibus eorum significavit. Ea enim consuetudo invaluerat, ut quandocumque Diaconatus ordinem obtinuissent, Sacerdotium ambirent, ob constitutam Sacerdotibus annonam & diurna demensa, quæ largitio opes ejus exhauriret, obstaretque ne ædificia restituerentur.

Constitutiones ab eo publicatæ. Eodem tempore post ordinationem & consecratas Ecclesias, promulgavit Constitutiones de disciplina Ecclesiastica varias, qua

rum magna est in Ecclesia Ægyptiaca autoritas, adeo ut Canonum Collectionibus insertæ reperiantur in Codicibus manuscriptis Seguierianis & alio qui olim Wanslebii fuit, postea V.C. Claudii Capellani, Doctoris & Socii Sorbonici : tum etiam laudantur à Syntagmatum per locos communes autoribus ut Ebnassalo, & Abulbircat, aliisque anonymis. Publicatæ sunt autem anno Martyrum 764°, J. C. 1048°, ut Autor noster atque Abulbircat, & varii Codices testantur, post consecratam S. Raphaelis Ecclesiam.

Non baptisabitur parvulus masculus cum femella eodem baptismate.

Nemo in Ecclesiam ingrediatur nisi detecto capite & discalceatus.

Nullus fidelium panem Eucharistiæ acceptæ superponat, nisi post *dimissionem* seu ἀπόλυσιν, hoc est Orationem dimissionis, quæ est ultima benedictio.

Ut fideles curam gerant diligentem aquæ, cujus tres guttæ infunduntur super Eucharistiam dum eis præbetur, sunt enim unionis instar pretiosæ.

Duo hæc disciplinæ capita satis obscura sunt, quia res quo tempore scribuntur, notissimæ, tractu temporis obscurissimæ fiunt. Sensus is commodissimus prioris videtur, ut prohibuerit Christodulus ne susceptâ Eucharistiâ frustum aliquod panis ederent statim; sed tantummodò post orationem dimissionis. Altero vetuerit ne pauxilla aqua quam suscepta communione accipiebant, rejiceretur in terram, quia sanctificata quodammodo erat ex contactu Eucharistiæ. Sed de his & aliis dicetur in notis ad Liturgias.

Ut fideles stent in Ecclesiis diebus dominicis & festis cum timore & tremore coram Deo, cum humilitate & attentione deprecantes veniam peccatorum suorum. Nemo loquatur aut verbum faciat cum alio, tempore orationum & Liturgiæ.

Mulieres quoque in Ecclesia taceant, simulque modestè se contineant in loco sibi destinato, tempore orationum & Liturgiæ : neque cum viris sedeant : aut in eo loco quo eunt & exeunt, homines.

Fidelis quisque observet jejunium sacræ Quadragesimæ, ad cujus formam jejunavit Jesus Christus Dominus & Deus noster. Observari autem debet cum continentia & humilitate.

Matrimonium, durante Quadragesima, omnino non celebrabitur.

Feriâ 6^a majoris hebdomadæ, non celebrabitur baptismus, neque Officium exequiarum defuncti.

Dominicâ Palmarum postquam Liturgia finita fuerit, legetur Evangelium pro mortuis, cum orationibus quæ eorum causâ dicuntur, idque post lectionem Epistolæ Pauli eidem officio destinatam. His expletis legetur super plebem *Absolutio :* quippe Feriâ 6^a majoris hebdomadæ non licet dicere preces illas quæ vulgo *Tarhim* appellantur, aut absolutionem, aut officium pro mortuis celebrare, donec transacta fuerit Paschalis solennitas.

Feriâ 5^a in Cœna Domini celebrabitur Liturgia cum timore, reverentia & silentio : absque osculo pacis, aut oratione ad veniam postulandam ; neque dicetur Oratio *Prosphoræ* seu Oblationis, sed statim ejus loco dicetur Μετὰ φόβου τοῦ Θεοῦ προσχῶμεν, quæ verba dicuntur à Diacono. Non dicetur Absolutio, neque initio, neque in fine.

Sabbato sancto dicentur Orationes *Tarhim*, quæ à Kyrie eleison incipiunt, & Oratio absolutionis, sed osculum pacis omittetur.

Per dies Pentecostes non celebrabitur baptismus, neque ordinatio.

Diebus dominicis flere aut planctum facere nulla ratione liceat ; neque omnino Christianis conveniunt aut licent similia, mortuorum causâ. Verùm pro illis Litaniam, Liturgiam, & orationem facere oportet, necnon eleemosynas juxta facultatem, ut Deus misereatur animabus mortuorum vestrorum, benedicat domibus vestris familiisque vestris, & reducat peregrè profectos à vobis, detque pacem in diebus vestris.

Nulli Episcopo, vel Sacerdoti, aut Diacono peregrino liceat, cùm Alexandriam veniunt, sacra facere in Ecclesiis urbis, aut ad altaria minora seu Capellas Liturgiam celebrare, aut ullatenus in illis ministerium suum exercere.

Observare oportet fideles jejunium SS. Apostolorum, à Pentecoste usque ad 5^{am} mensis Epiphi, ad gratias agendas Deo pro dono Spiritus sancti. Eo autem die quo celebratur memoria SS. Apostolorum, si quarta Feria fuerit, solvetur jejunium, ante horam consuetam.

Observare oportet similiter jejunium Nativitatis Domini à die

15ª mensis Athyr, quo die celebratur festum S. Mennæ, usque ad 29um Cohiac, quo agitur festum Natalis Domini. Quòd si Natalis incidat in Feriam 4am aut 6am, non jejunabitur eo die, sed jejunium transferetur in hebdomadæ sequentis Feriam 6am ante Epiphaniam.

Jejunare etiam oportet omnibus quartis & sextis Feriis per totum annum; præterquam in diebus Pentecostes.

Non licet Diacono abesse à ministerio Ecclesiæ suæ, præsertim diebus in quibus offertur Liturgia, nisi ex necessitate, aut morbi causâ, aut propter mandatum Principis.

Sacerdoti qui non interfuit Liturgiæ cùm inciperetur, non licet ad altare accedere, & frangere, vel etiam tangere manu sua corpus sanctum, quocumque modo.

Post lectionem Evangelii, Sacerdos non efferet thuribulum cum incenso extra sanctuarium, ad incensandum populum, verùm solummodo thus adolebit circum altare, usque ad tempus præscriptum.

Quando infanti baptismus administratur, jejunus erit, si fieri potest, donec communionem acceperit: quòd si maternum, aut alterius nutricis Christianæ lac suxerit, non licet ei communionem dare: neque absque communione licet baptismum administrare. Hæc autem intelligenda sunt juxta alios Canones multos; nempe, si periculum mortis non urgeat: tunc enim non modò licet, sed præcipitur administrari baptismum absque Eucharistia.

Mulieres ne permaneant diutiùs in Ecclesia diebus festis, noctibusque Dominicam antecedentibus; nisi sint ætatis provectæ, aut Sanctimoniales.

Qui duxerit uxorem Melchiticam, tales nuptiæ apud nos non recipiuntur, nisi ambo apud nos coronentur, benedictionem scilicet nuptialem accipiant, & infantes suos apud nos baptisari curent.

Diaconi seniores qui absunt ab Ecclesiis suis, nec ministerium suum exercent, si diebus festis accedant ministraturi, prohibeantur, sed eos præcedant alii qui assidui sunt in ministerio, quamvis ætate inferiores.

Diaconus aut Laicus qui cum proprio Sacerdote jurgatus est, aut eum convitio læsit, atque ita inter utrumque dissidium intercessit, ne adeat Sacerdotem alium à quo communionem accipiat; quòd si ad aliam Ecclesiam iverit, non communicet,

alioqui & ipse, & qui ei communionem dabit, excommunicentur.

Significamus etiam fidelibus & eos hortamur, ut præparent oblatas in domibus suis, deferantque eas ad Ecclesiam, secundùm suam quisque facultatem : unusquisque autem mercedem habebit, secundùm magnitudinem fidei suæ. Fient porro Oblatæ juxta antiquam consuetudinem.

Quicumque Diaconus aut alius calumniatus erit Sacerdotem, subtrahensque se à jurisdictione Ecclesiæ, favorem & auxilium quærit à Principe vel à Judice, declinansque Sacerdotes & Ecclesiam confugit ad alios, petitque quod sibi non debetur : si est Sacerdos seu Ordinis Ecclesiastici, ab ejus ministerio abstineatur ; si laïcus, à communione prohibeatur.

Diaconi & qui sunt inferioris ordinis, non contradicant Sacerdotibus suis, aut illis inobedientes sint, atque mandata eorum non prætergrediantur : sunt enim constituti dispensatores in Ecclesia Dei. Hæc fermè sunt quæ in suis Constitutionibus stabilivit Christodulus, quorum in Jure Canonico Coptitarum magna est autoritas.

Contentio cum Archidiacono Misræ.

Postquam proclamatio Christoduli solenniter facta fuisset in Monasterio D. Macarii, secundùm consuetudinem profectus est Misram, ut ibi quoque proclamaretur. Solebat id fieri in Ecclesia S. Sergii in Castro *Elchemah*, parte illius urbis, ut alibi dictum est, ubi arcis antiquæ vestigia supererant, & Pyræi reliquiæ. Ratio hujus consuetudinis in antecessorum Patriarcharum proclamatione fuit, quòd ea Ecclesia esset *Catholica*, seu Cathedralis. Christodulus persuasus à Sacerdotibus Ecclesiæ B. Mariæ *Muallaca* dictæ, in ea proclamari se jussit, post longam inter utriusque Clerum contentionem. Consentiebant Episcopi qui eum comitabantur viginti quatuor, atque etiam ipse Philotheus Episcopus Misræ, qui cùm aliis Liturgiæ quæ à Patriarcha celebrata est, interfuerat. Attamen Archidiaconus Ecclesiæ S. Sergii tam graviter tulit, ut per aliquot hebdomadas prohibuerit ne nomen ejus inter diptycha recitaretur. Christodulus ut concordia coalesceret, paulò pòst in ea Liturgiam celebravit, excusavitque se quòd ad Muhallacam proclamatus fuisset, nomenque ejus inter Missarum solennia in diptychis recitatum est.

Aiunt inter alia ejus miracula celebre illud fuisse, quòd quemdam Kowagi nomine excommunicavit, qui statim paralysi perculsus

culsus obiit. Multis pro nepote Cheic Abuzecaria Yahia filii Mercurii intercedentibus, ut eum ab anathemate absolveret, nam ad Melchitas transierat, nec inter eos solùm, sed in Divanis rei pecuniariæ prima officia administrabat, constantissimè negavit. Sæpè autem eo exemplo factum legimus, ut excommunicati in una secta transirent ad aliam; atque ea fuit præcipua ratio prostratæ aliquando apud Jacobitas disciplinæ pœnitentialis, quod vererentur ne sui ad Orthodoxos transirent.

Cum Syrianis controversia de pane Eucharistico.

Fuit quoque gravis contentio inter eum & Syrianos Misræ, cùm esset in Ecclesia S. Mercurii, occasione consuetudinis quæ adhuc apud eos usurpatur, quod scilicet Oblatas suas ita conficiant, ut præter aquam, farinam & fermentum, salis parum quid, & olei stillam admisceant. Talem cùm obtulisset vir inter eos primarius Cheic Abulbecher Archiater Principis, Patriarcha non modò eam non recepit, verùm graviter eum reprehendit; sed cùm insisteret, discipulorum suorum operâ eum ex Ecclesia vulneratum ejecit. Unde Abulbecher apud Vizirum querelam detulit; prætereа scripsit ad Joannem Patriarcham Antiochenum, qui querimoniam ejus planè neglexit. Ea sanè consuetudo est Syrorum, non modò Jacobitarum, sed etiam Nestorianorum, ut patet ex eorum officiis. Apud Jacobitas qui istud institutum servant, illius Autor à quibusdam dicitur fuisse Jacobus, à quo nomen acceperunt, quem *Baradæum*, seu *Baradatum* appellant: Nicephorus & alii Græci, *Zanzalum*. Ita Abraham Echellensis in notis ad Hebedjesu, & contra Seldenum: tum Naironus & alii, quamvis non planè certa hæc traditio censenda sit. Causas invenire non ita facile est: rei ipsius antiqua supersunt vestigia: nam Autor de Hæresibus qui Damascenus à multis dicitur, quique à viro doctissimo Joanne Baptista Cotelerio editus est, notat in quibusdam Monophysitis, quos Semidalitas vocat, singularem Oblationis Eucharisticæ parandæ rationem, quæ ad istam Syrorum potest pertinere. Fortè tamen seriùs apud Syros introducta est, quod verisimilius videtur, quamvis Nestoriani eamdem observent: neque facile est ut alteri ab alteris quidquam acceperint. Hinc tamen concludi non potest, hujus mistionis antiquitatem divisione Ecclesiarum superiorem esse, neque enim illius vel leve vestigium occurrit in Orthodoxis Scriptoribus, aut in Ecclesiastica disciplina. Extat Opusculum Syriacè scriptum, quo ritus illius mysteria explicantur, & inanissimis ratiunculis confirmantur: cui subjungitur Apo-

Monum. Eccl. Gr. t. 1. p. 322.

Ms. Bib. Colb.

logia ejusdem. Autor utriusque operis Joannes Patriarcha Antiochenus dicitur; atque ita non inanis conjectura est, scriptum fuisse illud opus occasione querelarum quas Abulbecher detulit ad suæ linguæ Patriarcham; quamvis nihil in eo occurrat unde conjici possit adversùs quem Joannes scripserit, fortasse quia Alexandrinum Patriarcham, cum quo Antiocheni Jacobitæ communionem colebant, offendere timebat. Hunc enim in modum post annos multos Michael Syrorum ex eadem secta Antiochenus Patriarcha, cùm toto libro qui est de Præparatione ad suscipiendam Eucharistiam, acriter admodum disputaret adversus Patriarchas Alexandrinos, qui peccatorum Confessionem sustulerant, nunquam tamen eos appellat. Abulbircat agens de diversarum sectarum ritibus qui Coptitis non probantur, inter alios illum recenset, quod apud Jacobitas Antiochenos, Oblatæ sal & oleum Syri admisceant. Mirum sanè cùm à Severi Antiocheni tempore, communionem cum Alexandrinis habuerint, eamque per Synodicas Epistolas, legationesque Episcoporum sæpè renovaverint, in Ritu qui inter ἀδιάφορα collocari nequit, siluisse usque ad Christoduli tempora. Sed de ea disciplina dicetur alibi.

Martyrium post fidei abnegationem.

Eo tempore juvenis annorum viginti duorum Nekam filius Bekara, qui in Aulico Ministerio constitutus magnam apud Muhamedanos autoritatem habebat, cùm fidem Christianam abjurasset, à parentibus domo pulsus est. Unde pœnitentiâ motus venit ad Ecclesiam S. Michaelis *Moctara* dictam; cùmque aliquamdiu ibi latuisset, suadentibus Monachis quos in ea Ecclesia reperit, consilium cepit proficiscendi cum illis ad Monasterium S. Macarii. Cùmque mox profecturi essent, dixit illis: *Quæ utilitas mihi erit, si abeam vobiscum in desertum, nec confessus fuerim Christum eo in loco ubi eum abnegaveram?* Cùm igitur illum in proposito perseverantem reliquissent, ipse zonâ, quæ erat Christianorum nota, cinxit se, & per plateas Misræ ambulare hoc ornatu cœpit, statimque à Muhamedanis qui eum sciebant Religioni suæ nomen dedisse, captus, & Præfecti jussu in carcerem conjectus est. Pater ejus Adateddoulam patronum suum qui urbem cum præcipua autoritate, Turcicamque militiam regebat, adiit, magnamque pecuniæ vim pollicitus ipsi est, ut filium liberaret. Unicam ille viam supplicii evitandi suggessit, ut filius ejus fatuum se simularet: postea missurum se testes, qui coram judicibus affirmarent, quæ vidissent, & sub hac excusatione liberatum iri si vellet, Christia-

numque permansurum. Erat in eodem carcere Syrus Monachus, qui adeo vehementer Nekamum hortatus est ad martyrium subeundum pro Christi nomine, ut ille omni dissimulatione insuper habita, cùm Musulmani qui de ejus amentia testimonium dicere debebant advenissent, coram illis præclaram ediderit fidei Confessionem. Itaque ad Præfectum ductus, postquam minas, promissaque illius contemsisset, ductus ad locum supplicii, ejusque expectatione longa non territus, capite amputato, martyrium consummavit. Caput in terram decidit, facie ad Orientem conversâ: corpus eâ nocte ibi relictum lumine cœlitùs apparente illustratum est: quatuor custodes fuerant eodem loco constituti, ex quibus duo adeo territi sunt, ut in amentiam inciderint, duo alii Misrâ profugerunt, neque de illis quidquam ampliùs auditum est. Cùm hæc ad Mostansirum perlata fuissent, jussit corpus propinquis reddi, permisitque sepelire quo in loco vellent. Pater ipsius deferri curavit ad Ecclesiam S. Michaelis *Moctara* dictam, & prope eam sepeliri. Sed cùm paulò pòst ex deserto S. Macarii Christodulus advenisset, displicuit ipsi quòd martyrem extra Ecclesiam deposuissent. Everso igitur quod ipsi constituerant monumento, corpus inferri in eam jussit, aperto priùs loculo, ut corpus intueretur, quod repertum est integrum, madens adhuc sanguine, ex quo signum crucis super vestem suam Patriarcha formavit. Eo in loco altare ædificavit nomine illius Martyris, & corpus ejus coram eodem altari tumulavit.

In hac historia præcipuè animadvertere oportet exemplum gravissimæ & quæ primorum Ecclesiæ sæculorum severitatem superat, pœnitentialis circa Lapsos disciplinæ. Nempe ea fuit, ut qui Christianam fidem abnegassent, eamdem publicè profiterentur, abnegatâ superstitione Muhamedanorum, eo ipso in loco. Fuit autem in illa disciplina varietas, cùm in quibusdam Ecclesiis non alia conditione absolutio Apostatis pœnitentibus concederetur, quàm ut talem ubi Christum abnegaverant Muhamedis detestationem publicè facerent, hoc est ad certam pro Christo mortem properarent. Hæc severitas præcipuè apud Syros Nestorianos & Jacobitas viguit, cujus exemplum ex Historia Ecclesiastica petitum in Gustazadis Persæ martyrio, Nestoriani tanquam Ecclesiæ suæ proprium, suis libris inseruerunt. Eam confirmant Canones aliquot anonymi, quorum summa apud Orientales est autoritas ex Basilii nomine, cui per inscitiam tribuuntur in antiquis multis Codicibus,

Observatio circa hanc pœnitentiam.

Sozom. l. 2. c. 12.
Nestor. Ar. MS. Hist.

In Syrorum Jacobitarum Ecclesia, si ea consuetudo legis vim obtinuit, quod verisimile est, mitigata jam erat cùm Dionysius Barsalibi Episcopus Amidæ librum de recipiendis pœnitentibus suum scriberet. In Ægyptiaca Jacobitarum Ecclesia, non planè interierat illa disciplina, sed tamen ut consilii potiùs quàm præcepti rationem haberet, quod ex hujus Martyris exemplo manifestum est. Cùm enim Apostasiæ crimine teneretur, Monachi consulebant, ut in Monasterium se reciperet, sufficere judicantes pœnitentiam, quæ in Monasticæ vitæ professione continebatur, neque Patriarcha aut illi ipsi quos consuluerat, necessarium existimabant, ut quæsito martyrio impietatem suam præteritam elueret. Nempe semper in Ægypto ob frequentem ut existimari potest Apostasiam, mitis nimiùm erat, vel potiùs nulla Lapsorum pœnitentia, quod ex multis exemplis manifestum est. Neque enim quidquam statutum in Apostatas legimus, qui tanto numero ad Ecclesiam redierunt Hakemo regnante, cùm post duram persecutionem potestatem fecisset omnibus Christianam fidem quam abjuraverant iterum profitendi. Omnes illi absque longa pœnitentia recepti sunt, quæ fortè occasio prima fuit eversæ aliquando apud Ægyptios Confessionis & Pœnitentiæ.

Synodica ad Antiochenos missa.

Circa illa tempora Christodulus ordinavit Episcopum Taneos, Michaelem Sacerdotem, qui eidem ab Epistolis fuerat, scientiâ celebrem, à quo scriptas superiùs diximus decem Patriarcharum vitas. Misit per eumdem Epistolam Synodicam ad Joannem Antiochenum Patriarcham de communione Fidei Jacobiticæ, quam detulerunt Michael idem Episcopus, & Gabriel Episcopus Sa: id testatur in superiori vita ipse Michael.

Dubium de Ordinatione.

Elapso post ordinationem Christoduli satis longo temporis intervallo, nata est in multorum animis suspicio, quasi ea non planè secundùm leges celebrata fuisset, omissæque fuissent orationes quædam super ordinandos Patriarchas dici solitæ. Adhærebant huic opinioni Episcopi complures, quorum præcipuus incentor erat Jacobus Episcopus Saca; reliqui erant Chaïl Episcopus Katur, Elias Episcopus Temowia sive Tmueos, Georgius Kandacæ, Marcus Belinæ, Michael Taneos, multique alii Sacerdotes Alexandrini. Causa tamen secreta hujus contentionis non alia erat quàm privata inimicitia Jacobi adversùs Christodulum. Ubi ea composita fuit, Liturgiam cum eo in concordiæ testimonium celebravit Patriarcha, neque amplius quidquam adversùs eum Episcopi moliti sunt.

Eucharistia servata.

Profectus deinde ad Vallem Habib observavit in Monasterio S. Macarii Sacerdotes, quod etiam Alexandrini facere solebant, Dominicâ Palmarum Eucharistiæ partem reservare, usque ad Feriam 4am majoris hebdomadæ. Id Christodulo non placuit, unde illos admonuit observanda esse quæ circa Eucharistiæ reverentiam constituta erant; cavendumque ne mucesceret aut corrumperetur; jussit tandem ne quid tale postmodum fieret, propositâ excommunicationis pœnâ adversùs inobedientes, quam sanctionem publicavit adstantibus Episcopis, & Bekira Rechidæo. Verùm obsistentibus Monachis, insolenterque clamantibus, an decessoribus suis præstantiorem se existimaret, recepit se in Monasterii Bibliothecam, ubi sermonem composuit ad vindicandam disciplinam quam observari jusserat. Legit eum in publico consessu Michael Episcopus Taneos, atque ita probatus est, ut omissâ ulteriori controversiâ omnes in ejus sententiam concesserint, & consuetudo illa servandæ Eucharistiæ sublata sit. Ad hujus loci intelligentiam observare necesse est, non agi de conservatione Eucharistiæ ad infirmorum communionem, cujus consuetudinis apud Orientales dudum observatæ exempla & præcepta passim occurrunt in libris Ecclesiasticis. Tunc enim vel solum Eucharisticum panem servare mos erat, signatum cum particula in calicem immissa, sanguineque Christi madida, secundùm ritus illos qui accuratissimè describuntur, in Rubricis Liturgiæ, in Rituali Gabrielis Patriarchæ & in libro de Scientia Ecclesiastica. Quòd si particulæ intinctæ servabantur: apud Græcos quidem exsiccabant eas Sacerdotes igne subjecto, ut humor omnis evanesceret, atque ita faciliùs à corruptione servarentur, de quo ritu videnda quæ Nectarius Hierosolymitanus Patriarcha ante paucos annos scripsit. An idem apud Coptitas, Syrosve Jacobitas, Nestorianos, aut etiam Orthodoxos factum fuerit, dicere certò non possumus, cùm illius disciplinæ nullam legem in libris eorum observaverimus. Monachi sancti Macarii, fortassis ut paratam quotidie communionem haberent, servabant Eucharistiam, qualis supererat in calice Eucharistico, nempe particulas intinctas, quas in Ægypto, præsertim locis humidis servare à corruptione difficile omnino erat. Peccabant etiam contra leges Ecclesiæ, quibus tunc Eucharistiam præterquam pro infirmis conservari prohibitum erat. Nihil igitur ex hac historia contra fidem realis præsentiæ, aut ejus appendices concludi potest: cùm & Monachi reservarent Eucharistiam, ut quotidie

communicare possent: & Christodulus prohiberet ne illa servaretur, ad evitandum periculum corruptionis elementorum, quam, si negligentiâ Sacerdotum acciderit, Orientales omnes durâ pœnitentiâ vindicant, ut alibi explicatum est.

Perpet. t. 4. p. 147.

Calamitas nova.

Erant tunc Christiani Jacobitæ non modò in summa tranquillitate, sed etiam in dignitate, cùm omnia ferme officia Scribarum, Notariorumque Divani ab illis exercerentur. Cùm verò frequentissimum sit, ut secunda fortuna insolentes homines reddat, & efferat in superbiam, meritò Deus illorum peccata variis calamitatibus castigavit, justâ pœnâ quam ipsi sibi accersiverant. Prima occasio fuit, calumnia adversùs Christodulum, qui apud Vizirum Nazuri dictum accusatus est, quasi ejus consilio Rex Nubiæ munera quæ tributi loco mittere ad Ægypti Principes solebant Nubiæ Reges, non misisset. Statim Vizirus misso Turca ministeriali ad Asabeddoulam rei bellicæ in parte inferioris Ægypti Præfectum, jussit ut Patriarcha comprehenderetur, impositâ simul centum aureorum mulctâ, & ad se adduceretur. Profectus est ad Vizirum cum Abulbacher Scriba illo Christiano, cujus filius martyrium subierat. Cùmque falsitatem accusationis demonstrasset, cum honore remissus Demroüam rediit, ubi tunc Patriarchæ plerumque sedem habebant.

Michael Episcopus Taneos & Gabriel Episcopus Sa ad Joannem Antiochenum Patriarcham Jacobitarum cùm pervenissent, cum honore suscepti sunt; lectæque in Ecclesiis literæ Synodicæ; nomen Christoduli ad Ecclesiasticæ communionis testimonium ad altaria commemoratum est.

De capite D. Marci.

In præcedentium Patriarcharum historia relatum est caput D. Marci fuisse servatum in domo Abu Yahia filii Zachariæ: qui cùm periculosè decumberet, veriti Christiani ne eo mortuo domus obsignaretur, quia ille officium sub Præfecti Azeddoulæ autoritate exercebat, atque ita tam insignes reliquiæ perirent, thecam nocta abstulerunt, & in vicinam domum transtulerunt. Erant illi Gabriel filius Cosmæ, Simon Sacerdos, postea Episcopus Taneos, Hassoun Diaconus, frater ejus, Abulkhair Mutrouk & Serour filius Mutrouk. Mox transferre voluerunt in domum patris Mauhoubi autoris hujus historiæ, qui cùm paulò antea in grave apud Sultanum periculum vocatus esset, noluit ut apud se deponeretur, sed apud Simonem translata est. Hali quidam filius Bechir Africanus Barcæus, re comperta, eam Præfecto per literas signi-

ficavit, statimque omnes in vincula conjecti sunt, ductique ad Kaukabeddoulam Alexandriæ Præfectum. Is dixit velle se ut redderent caput D. Marci, simulque aureos decem mille, quos pariter abstulisse eos dicebat : nam à delatore illo acceperat, fore ut Græci pari pecunia illud redimerent. Abulfetah autoris pater, cum aliis vinctus, cùm dies triginta septem in carcere transegisset, post triduum liberatus est solutis aureis sexcentis : caput integrum servatum est. Neque vacasse miraculo ejus liberationem Autor asserit, cùm referat visionem oblatam Muhamedano cuidam custodi carceris, in qua Marcum vidit qui Abulfetaho libertatem intra tres dies polliceretur ; & ad veritatem promissi comprobandam virgulam tricipitem reliquerit, quam repertam Abulfetah brachio alligatam ad finem vitæ servavit : sed quæ eo moriente inventa ampliùs non est, ut Autor ejus filius asserit, qui eam quoque sæpè vidisse testatur. Ita finiit prima illa Christianorum aliquot calamitas.

Alia persecutio.

Secuta est alia longè gravior. Kadius, sive Judex quidam Misræ Abul-Hucein Abdelwahab Hali Sirafita, qui multa in Ægypto officia sustinuerat, ex odio adversus Christianos, cùm casu Demroüam venisset, ubi Patriarcha ut plurimùm habitabat, & multas ibi Ecclesias, tam reparatas, quàm recenter constructas vidisset, ad Vizirum scripsit, tolerari non debere tantùm apud Muslemanos Christianis licere, ut in una urbe decem & septem Ecclesias haberent, adeo ut Demroüa altera quædam Constantinopolis videretur. Obtinuit tandem mandatum, quo Ecclesias omnes claudi, novas destrui jubebatur, imperatâ pecuniâ singularum nomine. Jussit statim deleri inscriptionem quæ erat super ostium domus Patriarchalis, *In nomine Patris, Filii & Spiritus sancti unius Dei :* omnesque Ecclesiæ clausæ sunt per totam Inferiorem Ægyptum : Episcopi cum Patriarcha in carcerem conjecti sunt, donec mulctam ipsis indictam persolverent. Factum id anno Martyrum 773°, qui respondet anno J. C. 1057° ; atque adeo fuit Hegiræ 449us, Califatus Mustansiri 22us. Exigebat autem ab illis Præfectus, & à Christianis ejusdem sectæ omnibus aureorum septuaginta millia. Verùm divinitùs accidit ut tres Muhamedani qui primas in hac injuria partes habebant, intra paucos dies subita & infœlici morte perierint. Alexandriæ præfectus Christianis favens, accepto Viziri mandato de claudendis Ecclesiis, Christianos monuit, ut omnia vasa & ornamenta pretiosa noctu auferrent. Po-

ſtridie miſit miniſteriales qui omnia ſcrutarentur & nomine Principis auferrent. Cùm verò nihil præter pannos aliquot laceros inventum eſſet, facta coram Cadio & Aſſeſſoribus ejus relatione, quòd Chriſtianorum bona in Eccleſiis nulla reperta forent, neque illas ingentes divitias, quas delatores indicaverant, apud eos inveniri, quin potius pleroſque in ſumma paupertate eſſe, in eam ſententiam ad Vizirum ſcripſit; atque tandem obtinuit ut ſeptuaginta millia aureorum quæ ipſis imperata fuerant, ad duo millia reducerentur. Cùm verò ea ſumma pecuniæ ad eum delata fuiſſet, ducentos aureos quos Mauhoub, frater & patruus ejus aliique eorum amici pendere coacti fuerant, diſtributâ capitatim in ditiores ſummâ reliquâ, ipſis reſtituit, quos emtis veſtibus & cibariis in pauperum curam impenderunt. Interea dedit illis claves veteris Eccleſiæ jam nomine ſancti Georgii nuncupatæ, quam antiquiſſimam omnium habebant, cùm olim juxta veterem traditionem fuiſſet domus Aniani qui primus poſt Marcum Evangeliſtam Patriarcha fuit, & ad quam ipſe diverterat, cùm manum Aniani ſubulâ perforatam, dum calceum reſarciret, oratione ſanaviſſet. Per horas ſex & ampliùs laboratum, antequam janua aperiri poſſet: tandemque eâ apertâ ingreſſi, Officia divina Liturgiamque celebraverunt, & communionem acceperunt. Melchitæ dimidiam mulctæ partem, mille ſcilicet denarios repræſentare juſſi ſunt. Hæc autem mala Eccleſiarumque occluſionem atque alia ejuſmodi fatetur Hiſtoricus attribuenda eſſe divinæ erga Chriſtianos vindictæ, non ſolùm quia plerique in Aulæ aut Divani miniſteriis occupati, nihil aliud cogitabant, quàm ut opes malis artibus collectas, per luxum effunderent, nullam ſalutis curam habentes. Sed deterior adhuc erat eximii illius & quem ut miraculorum patratorem commendant, Chriſtoduli avaritia, & ſimonia, quam ridiculo & impio prætextu excuſabat. Dicebat enim illis quos Epiſcopos ordinabat, omnes ſedes Epiſcopales, & Eccleſiarum bona ad D. Marcum pertinere: ſe igitur mediam fructuum partem illis dare, alteram Marco reſervare, quam præſenti pecunia redimere tenebantur. Omnes Epiſcopos his conditionibus ordinans, magnam pecuniæ vim coegit.

Proceſſio Dominicæ in Palmis.

Vetus erat conſuetudo, ut in pervigilio Dominicæ Palmarum proceſſio fieret (*Hoſanim* vocant) ab Eccleſia S. Sergii ad Eccleſiam Salvatoris *Elſotir* dictam, Græco nomine cujus meminit Makrizius. Ea cùm antiquitùs apud Alexandrinos obſervata fuiſſet, ut alibi apud

apud omnes Orientis Christianos, jam à quindecim annis intermissa fuerat, cùm Muhamedani Christianis insultarent, eosque conviтiis & lapidibus incesserent. At Emirus Haçaneddoula, is quem Christianis favisse diximus, concessit ut Processio majorum more fieret, addito præsidio militum, ut si ex aliqua domo lapides jactarentur, eam obsignarent, autoresque injuriæ vocarentur in jus: si qui turbæ se immiscerent, ut tumultum vel vim facerent, darentur in vincula. Restitutæ hujus consuetudinis annum assignat 404um Kharagium, eo ipso quo magna annonæ raritas in Ægypto fuit: adeo ut modius farinæ denario & semis venderetur: statimque nova hordei messis tam copiosa fuit, ut publica calamitas levaretur: unde ipsi Muhamedani beneficium divinum precibus Christianorum tribuentes, Processionem fieri quotannis usque ad Autoris ætatem permiserunt. Ea porro fames, non illa fuit de qua horrore plenæ narrationes occurrunt apud Historicos, & de qua dicetur inferiùs.

Christodulus pecuniis spoliatus.

Paulò pòst per calumniam quidem, sed justo Dei judicio, Christodulus opes magnas quas congesserat amisit, accusatus apud Sultanum à Monacho quodam, qui Episcopatum ambiens repulsus fuerat. Cellâ obsessâ, & à militibus accuratè excussâ, inventum est aurum ad sex denariorum millia, ipse in carcerem ductus, pecunia fisco addicta. Alexandrinis pro expensis ad Ecclesiarum instaurationem quotannis ex constituto aureos trecentos quinquaginta persolvit.

Calamitates variæ.

Secutæ sunt ingentes calamitates à Cometis, ut existimant, qui eo tempore apparuerunt, significatæ: tum etiam lachrymis quas fuderunt, spectantibus non Christianis modò, sed Muhamedanis, B. Mariæ, S. Georgii & S. Michaelis in diversis Ecclesiis imagines. Contigit id anno Kharegitarum 453°. Illius autem anni characterem habemus, quia is est quo ingens terræ motus Remlam & vicinas urbes vastavit, adeo ut Remlæ perierint hominum vigintiquinque millia. Is verò annus secundùm Historiam Ægypti fuit annus Hegiræ 459us: atque adeo æra illa quam Autor noster usurpat, sexennio posterior est communi Æra Muhamedanorum. Tanis & multæ urbes aliæ damnum ingens acceperunt: Alexandria immunis fuit. Secuta est gravissima pestilentia, adeo ut ex multis civium Taneos millibus, vix centum superfuerint. Adeo enim omne hominum genus depopulata est, ut familiæ integræ perirent, nemine auxilium ferente: mortui super lectos projecti reperiebantur, domusque patebant, ita ut omnia quicumque vel-

let, asportaret. Secuta est alia Ægypti Inferioris vastitas, per Curdorum, Turcarumque, qui Misræ & Cahiræ erant ad quinque millia, rebellionem adversùs Mustansirum Califam, duce Abuhali Nassireddoula filio Hamdani, qui, ut refert Elmacinus & alii historici ad an. 460um, eum in Palatio obsedit, pecunias imperans, omniaque cum suis prædatus est. Totam verò regionem El-Rif tam Orientalem quàm Occidentalem, cædibus incendiisque vastaverunt. Christodulus cùm ab illis captus fuisset, dirissimè cruciatus est, tandemque liberatus est sub sponsione aureorum trium millium, quorum tertiam partem Abultaib Secretarius Nassireddoulæ ex sua suorumque collata pecunia conflavit; pro reliqua nomen fecit. Rebelles illi Lowanii vocantur ab Autore nostro, cùm Turcæ vocentur ab aliis; qua in gente tot erant diversa nomina, ut facilè ad aliquos ex illis istud aliis incognitum referri possit.

Christoduli simonia.

Christodulus Alexandriam veniens, convocatis suis in Ecclesiam S. Sergii, petiit ut necessitatis suæ rationem haberent, pecuniamque conferrent, quâ duo aureorum millia quorum sponsor Abultaib fuerat, solvere posset. Cùm multi publicæ calamitatis, reique familiaris angustæ prætextu se excusarent, iratus dixit, se ad alios, imò & Muhamedanos ipsos recursurum, à quibus pecuniam fœneraretur. Illi igitur pudore & majoris mali metu, mutuam quanta illi opus erat dederunt, nempe aureorum duo millia, quæ paulò pòst ipsis restituit, ex infami sua Episcopatuum nundinatione. Nam quo tempore Alexandriæ substitit, multos Episcopos ordinavit imposito pretio, quantum opus erat, ut nomen suum dissolveret, apud ærarii præfectos: tum etiam annuæ pensioni quæ Alexandrinis debebatur, satisfecit.

Fames dira in Ægypto.

Circa ea tempora fames tanta Ægyptum oppressit, ut incredibilia videantur quæ de ea narrant historici ad annum Hegiræ 359um, eodem scilicet quo terræ motus de quo superiùs dictum est, Remlam, Tanin, & multas alias urbes funditùs delevit, cùm eo anno ipso Turcæ qui Nassireddoulæ adhærebant, omnia cædibus incendiisque vastassent. Artaba farinæ octoginta aureis vænibat, ea autem erat mensura modiorum Romanorum trium & semis. Canis quinque aureis vendebatur; feles tribus. Cùm Vizirus Abulmukarim ad Mostansirum semel ivisset uno servo à pedibus comitante, neque enim plures supererant qui se movere præ imbecillitate possent, staretque equus illius ad fores palatii, raptus

est à tribus hominibus qui eum mactaverunt ut carne ejus vescerentur. Cùmque ob injuriam Viziro factam patibulo affixi fuissent, postridie cadavera reperta sunt carnibus nudata, ossibus tantum relictis : nam consumtis animalibus, non modò cadavera comedebant Ægyptii, sed etiam multi inventi sunt qui pueros & fœminas raptas occiderent, carnemque eorum coctam divenderent. Erant ante diram illam famem in equilibus & præsepiis aulæ Califæ, equorum, mulorum aut camelorum decem millia & ducenta ; ex quibus tres tantùm equi supererant. Imò & Mustansirus omnia vasa, aulæa, vestes, gazam, gemmas, chrystallina & murrhina vendidit, ut inopiam toleraret ; neque enim in tanta calamitate quidquam ex annuis vectigalibus, reditibusque percipi poterat. Neque solùm thesauri immensi quos majores ejus Fatimidæ collegerant, sed etiam supellex omnis regia Califarum Abbassidarum quam Basasiri capta Bagdado ceperat, & quæ extincto Tayo, ad Muazzeddoulam pervenerat, distracta est. Aiunt venditas tunc fuisse vili pretio vestes pretiosas octoginta mille. Similiter vendidit Mostansirus viginti mille loricas, gladios ornatos totidem : tandem ipsam gynæcæi supellectilem, quæ omnia militibus distribuebantur pecuniæ & cibariorum loco, ne rebellarent : domus ante famem empta aureis nongentis, viginti rotulis, seu libris Ægyptiacis, farinæ vendita est. Nigritæ milites Prætoriani mulieres venabantur, secretòque occidebant & earum carnibus vescebantur : atque quodam die unâ captâ quæ pinguis erat, statim clunem unam amputatam vorare cœperunt. Ea mulier indiligentiùs custodita foras erupit ; & re palam facta, Vizirus illos supplicio affecit. Pestis quoque grassata tantam hominum multitudinem absumsit, ut pauci admodùm in Ægypto superessent.

Christoduli literæ ad Regem Nubiæ.

Cùm esset Christodulus Alexandriæ, venit ad eum Pamoun quidam cum literis Emiri, quibus jubebat ut eum Episcopum ordinaret : isque simul falsum nuntium attulit de obitu Basilii Episcopi Arment ; ad quam Ecclesiam eum ordinavit, pariterque alium nomine Nekamum Episcopum Loüah constituit. Dimisit eos ad sedes illas, comite ad itineris partem adjuncto Georgio Episcopo Batu, ut eos in Ecclesiarum illarum possessionem mitteret, deinde Epistolam Christoduli deferret ad Regem Nubiæ, per quam rogabat ut aliquâ se pecuniâ juvaret, quâ Viziro satisfaceret. Cùm ad urbem Arment pervenissent, Basilium Episco-

pum vivum repererunt : virum caritate erga pauperes commendatissimum, adeo ut fame sæviente, ne quidem necessaria sibi reservaret. Pamon in Nubiam profectus est cum Georgio Episcopo Batu ad Regem Nubiæ, à quo cum honore suscepti sunt. Georgius, Ecclesiam quam noviter Rex ædificaverat consecravit; ibique quatuor altaria dedicavit. Meminit istius consecrationis Abuselah Armenus in Chronico, dicitque eam Ecclesiam ædificatam fuisse à Rege Georgio, qui olim obses à Zacharia patre suo Rege Nubiæ ad Ibrahimum Almamonis Califæ fratrem missus fuerat. Illam itaque ab Salmone, sive Salomone, qui ut ex eodem Autore discimus, tunc regnabat in Nubia, & abdicato regno Monasticam deinde vitam amplexus est, ædificatam, aut saltem renovatam fuisse oportet; nam idem Georgius si sub Almamone & Mostansiro vixisset, annos plusquam ducentos superasset. In consecratione aquæ ad Ecclesiam benedicendam cùm miraculum aliquod apparuisset, hoc enim est quod aiunt descendisse super aquam Spiritum sanctum; Rex vas ipsum in domum suam asportavit. Postea Christodulo nummorum aliquid in calamitatis suæ subsidium per eos misit. Pamon cum eo in Ægyptum reversus, in quodam pago prope Arment habitavit, Dimocrat appellato. Cùm verò Basilius Episcopus obiisset, in ea Ecclesia receptus est anno Martyrum 797°, J. C. 1081°. Ea occasione contentionem habuit cum Episcopo Kus Theodoro de antiquitate & præcellentia. Theodorus enim ab Antonio Episcopo Osiutæ, & Mathæo Faru, accepit testimonium manus eorum subscriptione firmatum, quòd esset antiquior; quandoquidem Osiutæ Episcopus ante mortem Basilii ordinatus fuerat: Episcopus Arment, nonnisi eo defuncto ab ipso Theodoro in suam sedem introductus fuisset, & ab eo ordinatus. Duravit hæc contentio usque ad Cyrilli qui Christodulo successit Patriarchatum, qui honoris & antiquitatis prærogativam, Episcopo Arment adjudicavit, eò quòd Christodulus manus ipsi imposuerat, antequam Episcopus Osiutæ ordinaretur, & nomen ejus in Episcoporum catalogum relatum fuerat. Quòd autem dilata fuerat ejus in sua sede collocatio & proclamatio, nihil ipsi præjudicabat quominus ordinem temporis quo ordinatus fuerat, retineret, & eum qui post eum ordinatus erat antecederet, seniorque Episcopus haberetur.

Contentio inter Episcopos de præcellentia.

Jam de ordinationibus multa dicta sunt, quibus nonnulla addere quæ ad hujus loci intelligentiam sunt necessaria, videtur ne-

cessarium. Ordinabantur Episcopi à Patriarchis, non quòd ab aliis ordinari non possent, modò tres secundùm Canonicam disciplinam, manus ipsis imponerent: sed retinebant id juris & muneris sibi Patriarchæ, maximè ex quo simoniam audacter exercere, Ecclesiasque non expectato plebis & Cleri consensu, pleno jure conferre cœperunt. Itaque tunc manus imponebant, secundùm Ritus in Pontificali suo præscriptos; atque ita ordinati, veri erant Episcopi. Deerat tamen proclamatio in Ecclesia cui Episcopus dabatur fieri solita, quam cum aliis precibus & cæremoniis peragebat aliquis vicinus Episcopus; atque hæc erat, propriè loquendo, Ενθρονισμὸς, ut Græci vocant, ut vulgariter apud Autores nostros sequioris ævi *Inthronisatio*. Etsi verò diversi omnino ritus, longeque differentes functiones essent, uno tamen & eodem nomine *Takriz* appellabantur, & illius æquivocationis causâ, inter istos Episcopos certatum est. Nam scire debebant ex suis libris propriis Inthronisationem ab alio Episcopo factam, ordinationem non esse, quæ à tribus Episcopis fieri debet. Potior sanè ratio dubitandi fuisset, de ordinatione facta ad sedem quæ vacare censebatur, & cujus Episcopus vivebat. Verùm ea tunc erat rerum hujus Jacobiticæ Ecclesiæ conditio, ut à canonicæ disciplinæ observatione longè abessent. Sua verò crimina ut sanctitatis velo tegerent, etiam de istis hominibus Christodulo simoniaco & Canonum contemtore, tum illo Pammone qui ad Episcopatum promotus est, vivente legitimo Episcopo, idque commendatione Muhamedanorum, miracula referre non erubescunt. Multa etiam de Monachis hujus temporis referunt, qui tunc septingenti numerabantur in variis deserti Monasteriis, atque inter alios præcipuè celebrant Jesum de quo mira narrantur: quòd futura prædixerit, quòd absens multa cognoverit: quòd in fame cibaria multiplicaverit ut pauperibus distribueret, atque alia hujus generis, quæ quidem Autor aut ipse vidisse, aut à fide dignis testibus accepisse se dicit: ex quibus nihil aliud consequi possumus, nisi ex illis etiam narrationibus, quas falsissimas arbitramur, constare traditionem apud illos Hæreticos conservatam de sanctitate vitæ Monasticæ, & ejus institutis, de benedictionibus aquæ quales in Ecclesia fieri solent, de cultu sanctarum Imaginum, quandoquidem in istis omnibus miraculis semper aliquid intervenisse dicitur illarum religiosarum traditionum quas Ecclesia Catholica conservat, etsi in sanctorum & imaginum cultu, modum sæpè Orientales excessisse videantur.

Miraculum circa Eucharistiam.

Alterius omnino generis est historia quæ mox subjicitur de Petro Recluso in quadam cella prope Sinjaram, de quo Autori narravit Justus Sinjaræus Sacerdos, qui postea in eadem cella vitam Anachoreticam duxit, quod per annos quindecim digitum panniculo involutum habuerit, quem nemini unquam detegeret. Cùmque in extremis constituto Justus adesset ministerii causâ, tribus ante obitum diebus, post multas preces obtinuit, ut ei digitum ostenderet, visumque ipsi rubentem, quasi recèns effuso sanguine tinctus fuisset. Accersebat Sacerdotem quemdam Cabilum Sinjaræum, qui ipsi in Cella diebus festis & aliis Liturgiam celebraret: is semel interrogavit Petrum cur ipse Liturgiam non celebraret; cùmque vehementiùs instaret, affirmans se non ampliùs reversurum, nisi petitioni suæ satisfaceret, senem illius importunitate victum dixisse: Quod olim in Ecclesia *Hamara* sive rubra Demrowæ sacra faciens, cùm ad consecrationem calicis venisset, digitumque ad oram calicis apposuisset, intra se cogitabundus dixisset, *Num id fiet sanguis Christi?* statimque calicem ad labrum usque exundasse, atque digitum ejus quasi recenter effuso sanguine tinctum fuisse, nec tincturam evanuisse. Illum verò ingenti terrore perculsum: atque ab illo die digitum involvisse ne quis eam sanguinis notam videret, & à celebranda Liturgia abstinuisse; quod ab illo observatum est ad supremum vitæ diem. Historiam admodum similem legimus in Chronico Abuselah Armeni, nisi quòd Sacerdotem vocat Abulmeged cognomine Abulmahani, & quòd rem Misræ gestam ait in festo sanctæ Crucis, in Ecclesia Muhallaca. Fortassis eadem narratio est, ad alterum accommodata: sed quidquid de illius veritate statuatur, illud saltem certum, atque indubitatum haberi debet Autores qui talia scribunt, & testimoniis tum suis, tum aliorum à quibus acceperunt confirmant, fidemque sibi haberi volunt, non aliam de Eucharistiæ Sacramento opinionem habere posse, quàm quæ nobis Catholicis communis est cum omnibus Christianis Orientalibus. Miracula multa alia quæ nihil ad rem faciunt prætermittimus; adeo multa collegit Autor noster φιλομυθίας, si quis unquam plenissimus.

Addit post longam illam à proposito suo digressionem, notas quasdam Chronologicas circa persecutionem quæ tunc in Ægypto Christianos exercuit, & de qua superiùs dictum est. Nempe clausas Ecclesias asserit jussu Viziri Nazouri Feriâ 6ª, 5ª die mensis Bounæ, sive Bayni, an. 446° Kharegiorum: apertas fuisse anno

sequenti 447°, Dominica quæ erat 22 mensis Babæ sive Paophi: Patriarcham cùm in carcerem conjectus durisque tormentis vexatus est, socios habuisse Episcopos aliquot qui eodem modo torti sunt, adeo ut tres mortui fuerint, Isaac Episcopus Mesilæ; Theodorus Semnudæ, qui Sanutii Patriarchæ nepos ex sorore fuit: & Georgius Episcopus Khandek.

Res Antiochenæ.

De Syrorum Jacobitarum in Patriarchatu Antiocheno calamitatibus, paucis verbis ea confirmat quæ in præcedenti vita retulimus, ex Michaele Episcopo Tanecos, nempe illos à Melchitis seu Orthodoxis oppressos, quia principem ex sua communione habebant; nam Antiochia tunc in Græcorum Imperatorum potestate erat; atque ea ratione factum ut plurimi relictâ Jacobitarum sectâ, ad Melchitas transierint. Id autem contigisse asserit anno Martyrum 788°, qui respondet anno J. C. 1072°: atque adeo erat annus Hegiræ 465us. Eumdem annum Martyrum componit cum anno mundi 6564°. Is ex vulgato Græcorum calculo est annus J. C. 1056us, magnâ inter utrumque calculum differentiâ: sed nihil frequentius apud Orientales Autores occurrit, quàm ejusmodi falsæ supputationes, præsertim in æris, quarum apud eos communis usus esse non solet. Nulli enim annos supputare solent ab Orbe condito, tam in historia quàm in Actis publicis præter Græcos, & qui eos sequuntur Russos & alios Græci ritus, apud quos omnes, 1us annus J. C. numeratur 5509us ab Orbe condito, ut videre est apud Leonem Allatium Dissertatione de Græcorum Hebdomadibus. Syri omnes Melchitæ, Jacobitæ & Nestoriani annos numerant secundùm Æram Alexandri: Ægyptii, & Æthiopes usurpant Æram Martyrum seu Diocletiani. Quantopere verò Autor noster erraverit, hoc argumento demonstratur, quod eodem anno Martyrum 788° assignat primam Albarslani in Syriam expeditionem: at ille Togrulbego patruo successerat anno Hegiræ 455°, qui erat J. C. 1063us, Martyrum 779us. Expeditio autem adversùs Græcos ejusdem Albarslani refertur ad annum Hegiræ 463um, J. C. 1070um, Martyrum 786um: sequenti verò mortuus est.

Initia Seljukidarum familiæ. Elm. p. 271. Abulfarag. p. 222. 226. Du Cang. Fam. Byz. p. 353.

Verùm quia longior hujus historiæ series, diuturnumque Mostansiri regnum ingentem rerum Orientalium mutationem complectuntur, antequam ad reliqua pergamus, initia Imperii Seljukidarum explicanda sunt. Familiæ illius ut & aliarum diversarum quæ regna amplissima fundaverunt origo, ex Turquestania su-

periore fuit, atque ex ea regione quæ *Descht* appellatur. Dekak apud Bigou Turcarum principem prima militiæ tyrocinia posuit: magnamque apud eum autoritatem consecutus est. Seljuk filius à quo familia nomen accepit, in eadem dignitate inter Turcas vixit, patrisque exemplo, qui primus ex ea gente Muhamedismum professus esse dicitur, sectam illam amplexus, Michaelem filium reliquit, patrem Togrulbegi, sub Mahmudo Sebektekini filio Gaznewida, Chorasanæ præsidio relictus, obedire noluit, unde in vincula conjectus, copiis ejus Turcicis in Chorasana manentibus. Mortuo Mahmudo, Masshudus ejus filius illas aggressus est, cùm jam obiisset Michael: sed Togrulbegus istius filius post aliquot prælia, demum victor eam provinciam obtinuit. Tandem postquam prosperè ubique illi omnia successerunt, in Yracam tetendit, quam tunc ultimi è Bowiadarum familia principes ægrè retinebant. Bagdadum occupaverat Abulharet Arslan cognomento Basasiri Turca, qui non modò Bowiadas exturbaverat, sed ipsum Califam ea urbe expulerat, ejusque opes, domum, supellectilemque diripuerat. Nec his contentus, Kayemo Califæ dignitatem abrogaverat, adeo ut in ejus contemtum Bagdadi oratio in Meschitis facta fuerit, nomine Mostansiri Califæ Fatimidæ, quod etiam alibi fieri jussit Basasirius, ubicumque autoritatem habebat. Califa Kayemus, in illis angustiis constitutus cùm Haditam se recepisset, audivissetque Togrulbegum profiteri sectam Sunnitarum quæ Abassidis favebat, eum hortatus est ad Bagdadum liberandam. Per annos aliquot pugnatum est, tandemque Basasirius occisus. Califa reductus Bagdadum, omnia Principatus insignia Togrulbego contulit, apud quem suprema potestas residebat, Califæ nihil, præter honores & titulos supererat. Ita extinctis Bowiadis, non melior Califarum conditio fuit, nisi quod in vastis illis Provinciis quas Togrulbegus obtinebat, spiritualis eorum autoritas agnosceretur, sublatâ Fatimidarum memoriâ, qui in plerisque Yracæ urbibus proclamati tanquam legitimi Pontifices fuerant. Obiit Togrulbegus, qui primus Seljukidarum Principum numeratur anno Hegiræ 455°, J. C. 1063°, de quo multa leguntur tum apud Historicos qui de rebus illius familiæ singulares libros scripserunt, & multi sunt, tum apud Ebn Chalican, Elmacinum, Abulfaragium, Ebn Chucna & alios multos, necnon apud Autores Persicos, ex quibus plura excerpere non patiuntur limites istius compendii.

Successit

Successit Togrulbego, nepos ex Davide fratre Albarslan, ut Autor Historiæ Ægyptiacæ pronuntiandum monet, qui à Califa iisdem honoribus cumulatus principatum obtinuit. Nullam prolem Togrulbegus reliquerat, quod ipsi commune fuit cum plerisque aliis novorum principatuum autoribus, sicut initio historiæ suæ observavit Makrizius, *Deo*, inquit, ***non sinente ut imperium cædibus & rapinis partum***, *filiis transmitterent*: quod exemplis Sultanorum Bowiadarum, & multis aliis confirmat. Albarslan summam autoritatem cùm armis stabilivisset, debellatis aut ad obsequium compulsis omnibus Sultanis tam ex Bowiadis, quàm reliquiis Hamadanidarum & Mardasidarum qui urbes aliquas occupabant, Togrulbegi exemplo sustulit omnem Fatimidarum Ægypti memoriam; eosque velut hæreticos haberi voluit. Abbassidis è contrario reverentiam omnem exhibuit, ita tamen ut titulo tenus regnarent, publica pecunia, copiæ, duces, arces in sua potestate essent. Ita reviviscere quodammodo cœpit saltem quantùm ad religionem, Califarum dignitas, nam Seljukidæ semper eximii illorum cultores fuerunt. Albarslano inter alias summo honori fuit victoria de Romano Diogene, qui ab eo captus & libertati restitutus est, de quo Curopalates, Zonaras, & alii; *Elmac. p. 277.* sed ita ut jejunè admodum tam de Arabibus quàm de Christianis loquantur. Magna etiam hoc loco est inter ipsos Muhamedanos diversitas: cùm plerique scribant, paucos admodum milites Albarslano superfuisse: alii copias à Romano defecisse, atque adeo illum facilè ab hostibus circumventum fuisse scribant, quæ Autoris nostri sententia est. Narrat præterea Albarslanum, sexcenta equitum millia habuisse præter alias copias, Edessàmque longa obsidione fatigasse: civibus tamen strenuè ferociterque resistentibus obsidionem solvere coactum; postquam Romanum Diogenem in Armeniam penetrasse audivisset. Ait fuisse tunc numeratos Edessæ Armenos 8000, Syros 20000, Græcos 6000, Francos 1000: sed de ea obsidione vix quidquam alibi legitur. Periit Albarslan occisus à Josepho quodam Chowarezmio, ut refert Elmacinus; cui omnes fermè consentiunt. Cùm enim eum occidi & torqueri jussisset, quatuor palis alligatum; Josephusque in atrocia adversùs Sultanum verba prorupisset, quòd sui similem tali morte afficeret, solvi jussit, & sagittâ petiit; cùmque aberrasset, quod nunquam ipsi antea contigerat, cultro petitus est à Josepho irruente; & ex vulnere obiit. Hæc sunt quæ ad Albarslanum pertinent,

quæ aliena sunt ab Ægypti historia, sed quæ tamen ad eam quodammodo referuntur, cùm à Seljukidis eversum sit in Yraca & Syria Fatimidarum imperium. Nam omnes fermè Duces qui in eorum clientela erant, ad Califæ Abbassidæ obedientiam spiritualem reducti sunt, Togrulbego, ut etiam Albarslano sacramentum dixerunt. His quoque temporibus recessere ab Mostansiri obedientia, & fidelitate Arabes Africani, Autore Muazzo filio Badis-Senhagita, qui tempore Hakemi Africæ Præfectus fuerat sub Fatimidarum clientela; constitutus anno Hegiræ 407°; sed ad Califarum Abbassidarum fidem reversus, adversùs Fatimidas rebellavit: mortuus est anno 454°, cùm toto illo tempore provinciam gubernasset. Ita quassata undique fuit Ægyptiaci regni potentia, & ipse Mostansirus titulum principis, potestatem nullam habebat, Viziris omnia pro arbitrio administrantibus.

Obiit Albarslan anno Hegiræ 465°: Kayem Califa biennio post, nempe anno 467°, cùm titulum illum sustinuisset annis ferè 45. Successit ipsi Abdalla Abulcacem Muctadis, ipsius ex filio nepos, 27us Abbassidarum, qui principatum tenuit usque ad annum 487um. Fames illa ingens de qua dictum est, incidit in annum 459um, cùm arderent Syria & Yraca bellis & incendiis, totamque Seljukidæ obtinerent. Rebellio Nassireddoulæ Hamadanidæ adversùs Mostansirum anno 460° secuta est; atque his ita constitutis intelligitur quantis simul malis Ægyptus conflictata fuerit.

Verùm non leve periculum evasit Ecclesia Jacobitica eo tempore quo Nassireddoula totam Inferiorem Ægyptum obtinebat: nam Sacerdos quidam Monachus Patriarchatum ambiens ab eo obtinuerat, ut cùm Alexandriam venisset, se Christoduli loco constitui juberet. Verùm is Monachus nomine Abu Yacoub obiit; antequam Nassireddoulas venisset. Neque Ægyptus conquievit, donec Nassireddoula profligatus est, ab Emir Elgiouche, sive summo exercituum Præfecto, qui tunc erat Bederelgemal, is ipse qui Vizirus Mostansiri fuit, vir nequam, crudelis, doctorum hominum hostis, unde multos occidit, atque inter alios, Cherifum Heidaram ob inimicitias privatas anno 462°: sed diro supplicii genere, vivum quippe excoriari jussit. Cùm ille Mostansiri nomine multa adversùs Duces qui in Syria rebellaverant bella gessisset, venit Misram, multamque ibi eorum qui Nassireddoulæ partes sequebantur, cædem fecit: anno Charagiorum, ut ait Autor noster, 463°. At in Historia Ægyptiaca vestem Viziri suf-

cepisse dicitur anno 468°. Annum 463um secundùm supputationem suam Autor noster comparat cum anno Martyrum 790° : is autem est annus Hegiræ 467us, incipiens à mensis Augusti die 26ª; atque adeo differentia temporis exigua est. Statim Bederelgemal Turcas seu Lowanios in Inferiore Ægypto aggressus, regionem ab eorum tyrannide liberavit, quæ tanta fuit ut incolis agros serere non liceret : ipsi aggeribus, Nili aquam in propria sata diverterent, canales ad eam derivandam fieri prohiberent : atque ita annonam incendebant, ut frumenta quæ collegerant, quo libebat pretio venderent. Lowanii in Thebaidem se receperunt, ubi in Monasteria crudelissimè grassati, pleraque spoliaverunt, magnamque Monachorum multitudinem occiderunt, reliquis in Inferiorem Ægyptum fugientibus. Occisus est autem Nassireddoula, anno Hegiræ 465° ; Hegiræ, quem Helalium Autor noster vocat, 463°. Kharagio, manu Begdekouri Turcæ inter suos primarii, cujus filiam duxerat, in urbe Misra, corpus ejus in frusta concisum, & per regiones ad ludibrium missa ejus membra. Fratres ejus pariter occisi, atque ita periit Hamadanidarum familia. Ita plerique Historici, qui Bederelgemali adventum in Ægyptum ad annum sequentem referunt. Extincto illo rebellium duce, qui totam Mostansiri autoritatem usurpabat, omnis rerum Ægyptiacarum facies mutata est, fames levata, cuncta in antiquum ordinem restituta sunt, nisi quòd Viziri inde cœperunt omnia per se administrare, ita ut potestas nunquam ad Califas rediverit. Nam Viziri dignitas occupata per vim ab illis est, qui plurimùm pecuniâ aut gratiâ apud milites valebant : de ea certabatur, absque Califæ consensu, qui victorem confirmare cogebatur. Atque res eo in statu fuerunt, donec Salaheddinus post patrui Chiragoüæ mortem Vizirus salutatus, Fatimidas ejecit, regnumque obtinuit.

Res Æthiopicæ.

Compositis hunc in modum rebus Ægypti Bederelgemal summus militiæ Dux, simulque Vizirus, ex Sahid sive superiori provincia rediens, reperit hominem quemdam nomine Hali Elkosti, qui hanc de Christodulo Patriarcha calumniam detulit, Eum misisse Metropolitam nomine Victorem in Nubiam, qui Meschitam ejus jussu evertisset : tum Metropolitam Æthiopiæ Kouril, sive Abdoun, tam familiariter cum Muhamedanis vivere, ut quotidie apud eum comessarentur, vinumque biberent. Vizirus scriptis statim ad filium qui in Sahide erat literis, Christodu-

lum comprehendi jussit, & in custodia haberi, donec è Nubia rediisset Hasameddoula ab eo missus, ut rei veritatem cognosceret. Compertâ Kosti calumniâ, adductus ille est coram Viziro, & morti addictus : Patriarcha liberatus est. Atque inde intelligi potest in Nubia Muhamedanos fuisse, quamvis plerique Nubæ nativi Christiani forent. Nam ipso nascentis Imperii Saracenici principio, anno scilicet Hegiræ 31°, J. C. 651°, Abdalla filius Sahid regionem ingressus, tributariam illam fecit, ut narrat Historia Saracenica. *Elm. p. 32.*

Res Æthiopicæ. Quantùm ad res Æthiopiæ, Christodulus ad Viziri Tribunal adductus negavit Abdounem istum qui pro Metropolita se gereret, ordinatum à se fuisse, & manus impositionem vel autoritatem per literas à se scriptas unquam accepisse. Verùm cùm de eo audivisset, destinasse Mercurium Episcopum Wissim qui in Æthiopiam proficisceretur, cum una ex vestibus Patriarchalibus, & Schemate seu habitu Monastico, quibus Abdounem indueret, simulque Metropolitam constitueret. Nempe quantùm conjicere possumus, cùm audiisset esse in Æthiopia, qui Metropolitæ autoritatem usurparet, opportunius judicavit, ad majora mala fugienda, ut dignitatem illi, quasi apud populares accepto confirmaret, quàm ut Æthiopes qui per multos annos, ut suprà dictum est, sine Episcopis & Sacerdotibus fuerant, absque pastoribus relinqueret, cum periculo extinguendæ in illis provinciis Christianæ religionis. An verò Abdoun Laicus, aut simplex Sacerdos fuerit, qui se Metropolitam simulaverit, atque adeo Episcopales omnes functiones, quamvis ordinatus non fuisset : an verò Episcopus, qui in totam illam Ecclesiam jus quale Metropolitæ habebant, usurpaverit, cùm Autor noster in obscuro relinquat, affirmare non possumus. Prius videtur verosimilius : hujus enim temeritatis occurrunt exempla superiùs allata, præcipuè in vita Cosmæ Patriarchæ 58ⁱ, sub quo discipulus Petri, qui ab eo ordinatus fuerat, & ab Æthiopum rege decepto per falsas literas pulsus, coactus est Metropolitæ munus gerere, quamvis ordinationem non accepisset. Nam si aliter historia intelligatur, adeo ut Episcopus Wissim missus cum ornamentis Metropolitæ propriis ad illum ordinandum fuerit, peccavisset gravissimè contra Canones Christodulus, cùm Episcopus à tribus necessariò ordinari debeat.

Jussit Vizirus proficisci in Æthiopiam Mercurium Episcopum Wissim, simulque legatum qui Kenazeddoulam quemdam ducem

repeteret ex Ægypto profugum. Is enim cùm ante Viziri ex Syria adventum in Sahide superiori omnia incendiis, rapinis, cædibusque vastasset, jamque resistere non valeret, in Nubia asylum quæsiverat. Eum Nubiæ Rex Hassameddoulæ tradidit, à quo in Ægyptum ductus, Misræ occisus & patibulo affixus est. Vizirus deinde Christodulum in honore habuit, Christianisque tranquillitas, & libertas plena restituta est.

Literæ ad Antiochenos.

Compositis intestinis Ægypti motibus, pacatâque Syriâ, Caravanæ liberis jam itineribus, ex Oriente, Africa, aliisque vicinis provinciis commeare cœperunt. Sub finem vitæ Christoduli, Jacobitarum Antiochenus Patriarcha constitutus est Joannes, nepos ex sorore Joannis alterius cognomine filii Abdoun, de quo mira multa narravit in præcedenti vita Michael Episcopus Taneos, missus ad eum cum literis Sanutii Patriarchæ Synodicis. Ad Joannem illum juniorem literas scripsit Christodulus, per quas significabat, quanta mala passus fuisset, quàm graviter multatus, cùm aureorum plusquam centum millia ab eo fiscus extorsisset. Rescripsit Joannes Antiochenus, & prudentissimè commonuit, sibi qui Apostolorum successores essent, imitandam esse eorum paupertatem; atque ipsius etiam Christi Domini, cujus, cùm in tertis esset, Discipuli panem ex eleemosynis comederunt: nullus pecunias habuit: una veste omnes contenti, adeo pauperes fuerunt, ut Joannes ipse dilectus discipulus, Ephesi balneatori locaret operam. Paulò pòst obiit idem Joannes Patriarcha, in cujus locum suffectus est Basilius, qui anno uno tantùm superstes fuit, & mensibus sex. Hac de causa cùm Synodicam Epistolam ad Alexandrinos non misisset, nomen ejus in Diptychis ad altare commemoratum non fuit; sed ex consuetudine facta memoria decessoris ipsius. Postea cùm bellis continuis Oriens vexaretur, accedente etiam Jacobitarum Antiochenorum dissensione, vacavit diu sedes Antiochena illius sectæ; donec tandem congregati Episcopi aut Metropolitæ triginta quatuor in Monasterio Barsomæ, elegerunt Patriarcham nomine Lazarum, qui Dionysii nomen in ordinatione accepit. Scripsit ille Synodicam, quæ allata fuit ad Cyrillum Christoduli successorem, à Sacerdote Syro Thoma, qui cùm Autor hujus vitæ scriberet, erat Episcopus Bagdadensis.

Res Antiochenæ.

Joannes plurimos fuisse qui apud Antiochenos Jacobitas Patriarchatum obtinuerint, ex eo loco aliisque Orientalium monumentis docemur: adeo ut in Codice Liturgico Syrorum sectæ illius plu-

res occurrant nomine Joannis, quas perperam nonnulli scriptores, aut Romanæ editionis Missalis Chaldaici inspectores Chrysostomo attribuerunt. In codicibus manuscriptis nominantur inter alios Joannes Magnus, à quo Anaphoram sive Liturgiam habent, ex variis antiquioribus concinnatam, additis ad marginem Autorum nominibus; unde etiam Liturgia Doctorum sanctorum appellatur. Joannes autem qui magnus vocatus fuerit, nullus videtur esse, nisi is de quo tam multa prodigiosa narrant. Neque enim veteris illius Joannis qui cum Orientalibus tam multas adversùs Cyrillum turbas excitavit, Jacobitæ qui Cyrilli se discipulos ad nauseam usque prædicant, in honore habent. Sunt alii Joannes de quibus præter nomen & dignitatem nihil scimus: alius qui scriba & Acœmetus dictus est, qui fuit Patriarcha: alius cognomento filius Maadni, de quibus nihil huc usque nobis occurrit.

Consuetudo quoque observata de non commemorandis ad altaria illis Patriarchis, qui Synodicas literas ad Alexandrinum Patriarcham non misissent, antiquissima est in illis Ecclesiis, & ejus extant exempla longè plurima. Sed an memoria Antiochenorum Antistitum in omnibus per totam Ægyptum Ecclesiis fieret, an verò in sola Patriarchali Alexandrina dubitari potest, quandoquidem in nullis quos unquam viderimus Codicibus scriptis, occurrit ista Antiocheni commemoratio, in Ægyptiacis; aut Alexandrini, in Syriacis Jacobitarum.

Monasterium Barsomæ.

Monasterium Barsomæ non longè à Malatia situm erat in monte, ut testatur Yacutus Hamatæus in Opere suo Geographico: & ad illud magnus erat concursus Christianorum, ex Romania, Diarbekera, & Syria, ut idem testatur, verum intellige Jacobitarum, qui vota facerent: præsertim Mercatorum quos Autor Mirabilium sæpè audivisse testatur, sancto Barsomæ partem lucri sui voventes, si merces suas tanti vendidissent. Inde Monachis qui in eo loco plurimi erant, proventus non mediocris: nam Hasif Mergita apud eumdem Autorem de quodam Mercatore narrat, vovisse illum daturum se sancto Barsomæ drachmas argenteas quinquaginta, si merces quinque millibus drachmis emtas septem millibus venderet: quod cùm esset consecutus, bona fide votum exsolvisse. Adjungit Autor idem, Monachos quotannis aureos decem mille Imperatori Græcorum persolvisse: nempe quia Jacobitæ erant, tributum illud grave ipsis imponebatur,

Vulgaris quoque apud Muhamedanos error est Barsomam Apostolorum fuisse temporibus, quod Yacutus prodidit. Convenerunt in eum locum Jacobitæ ad eligendum Patriarcham, quia, ut suprà dictum est, locus erat Malatiæ vicinus, ubi major eorum multitudo fuit, cùm Antiochiæ ab aliquot sæculis Patriarcha illius sectæ habitare non sineretur: & Malatiæ ob Romanorum sive Græcorum viciniam liberi non essent.

Thomæ quoque illius, qui postea factus fuisse dicitur Episcopus Bagdadensis, meminit Historia Catholicorum seu Patriarcharum sectæ Nestorianæ in vita Mar Chebarjechua Catholici 65[i] cui cum illo Thoma dissidium fuit, ob cujusdam Jacobitæ nuptias cum muliere Nestoriana.

Plura de Christodulo non referuntur, nisi quòd diem suum obierit die Sabbati 14ª Cohiac, anno Martyrum 794º; sepultusque fuerit in Ecclesia S. Mariæ Muhallaca Misræ in regione Castri Elchemah; unde postmodum translatus est in Ecclesiam S. Macarii Monasterii Vallis Habib. Annus Martyrum 794us respondet anno J.C. 1078º, qui erat annus Hegiræ 471us. Consentit in eodem anno Martyrum assignando Elmacinus: qui pariter triginta annos Pontificatus illi tribuit, & ejus initium anno Martyrum 764º. Aliter Canon apud Abulbircat: nempe anno 761º ordinatum scribit, sedisse annos 30, menses 11: obiisse 4ª Cohiac anno 792º. Makrizius ordinatum anno Hegiræ 439º. Is est J. C. 1047us, Martyrum 763us: cùmque sedisse quoque asserat eum annis 30, non longè abit à vero calculo. Elm. p. 279.

De eodem Patriarcha apud Makrizium legitur eum duas Ecclesias Misræ seu Cahiræ ædificavisse, alteram S. Mercurii: alteram B. Mariæ in *Haret-el-Roum*, seu *Vico Græcorum*, ubi Patriarchium, sive ædes ad Patriarchæ habitationem commodas adjunxit, ut ait Autor Chronici. Hujus Ecclesiæ ut etiam alterius meminit Makrizius in descriptione Cahiræ, easque suo tempore, hoc est ante annum 840um Hegiræ, J. C. 1436um quo mortuus est, solas illas Jacobitæ obtinebant.

Annus quo obiit Christodulus, Hegiræ scilicet 471us, erat Mustansiri Califæ Ægyptii 43us: sextus verò ex quo regnare cœpit Gelaleddinus Melikscha tertius ex familia Seljukidarum, Alparslani filius: vir inter maximos Muhamedanorum principes numerandus. Is vivente patre, Remlam, Hierosolyma & alias Palestinæ urbes expugnaverat, pulsis diversarum familiarum Re- Res Muhamedanæ.

gulis, qui inclinatis Fatimidarum Ægyptiorum rebus illas occupaverant: quod etiam fecerant homines novi non pauci ex Turcicis, Kurdis aliarumque gentium mancipiis, qui militiâ clari, audacesque ex imbecillitate Sultanorum facti, varios principatus fundaverant. Illi Bowiadis, quamdiu Iraca potiti sunt, obsequium præstabant, modò his, modò illis, prout belli fortuna ferebat: modò Califas Abbassidas agnoscebant; modò Ægyptios, tandemque omnes coacti à Togrulbego, aut Albarslano Fatimidis renuntiaverunt: Sacramentumque Abbassidis dixerunt, ita ut in Seljukidarum clientela forent. Ea autem tunc communis quodammodo lex observabatur, ut singulæ Præfecturæ Ducem haberent, *Emirum* appellatum, qui ut olim apud nos, & nunc in Germania, supremam potestatem unam agnoscerent, ad fidelitatem, obsequia, bellicasque expeditiones tenerentur, sed in suis quisque urbibus & provinciis omnem rerum civilium & militarium haberent autoritatem. Sæpè etiam ex principum beneficio dignitates illæ ad eorum posteros transmittebantur. Califæ quidem deferebatur jus solennium precum, ita ut ejus nomine publica oratio in Meschitis fieret: postea nomine Sultani Seljukidæ, utriusque nomen monetæ imprimebatur. A Califis Sultani instituebantur, hoc est accipiebant ab illis, vestem, birrum, vexillum nigri coloris, qui apud Abbassidas sacer: ensem, torquem, armillas, & diploma Investituræ: à Sultano inferioris ordinis principes autoritatem accipiebant; tantaque tunc fuit Seljukidarum potentia, ut longè ultra Oxum prolatis Imperii finibus, quidquid regionum usque ad Ægyptum interjacet, possiderent.

Melikscha Calendarium reformat.

Inter alia quæ Melikscha magna cum laude sua instituit, commendatur præcipuè reformatio Calendarii, secundùm quam congregatis Astronomis, Neuruz seu principium anni Persici constituit ineunte sole signum Arietis. Ea est celebris apud Orientales Astronomos Epocha *Gelalæa*, seu *Melikea*, ita dicta à Rege qui Gelaleddin, & Melikscha appellabatur. Hujus initium Ulugbegus, cujus opusculum Persicè & Latinè editum est à Joanne Gravio viro doctissimo, dupliciter numerari affirmat, nempe ab anno Hegiræ 468°, vel ab ejusdem Æræ 471°: cujus diversitatis causam ignorare se fatetur. Nobis illa videtur fuisse quòd anno 468 observationes Astronomicæ factæ fuerint ejus jussu, & favente Nezamelmolk Viziro, summæ autoritatis & doctrinæ viro, ut testantur Historici: Epochæ verò initium datum fuerit eo anno quo factis, & compara-

tis

tis obſervationibus, primo die menſis, ſol meridie Arietis ſignum ingrediebatur : at is fuit annus Hegiræ 471us, J. C. 1178us. Tabulas annorum expenſorum cum aliis addidit idem Giavius.

CYRILLUS PATRIARCHA LXVII.

Cyrillus Patr. LXVII.

STATIM iſtius vitæ initio luctari oportet cum Hiſtorico, qui eorum oblitus quæ ſuperiùs dixerat, dum quamdam Chronologiæ ſuæ ἀἰακεφαλαιώσιν facit, turbat omnia. Rurſus enim de fame Ægyptiaca verba faciens, eam refert ad ultima Chriſtoduli tempora, iterumque de Viziro ſimulque exercituum Imperatore Bederelgemalio ſcribit ea quæ ad annos à nobis deſignatos pertinent, nullo modo ad finem vitæ ſuperioris Patriarchæ. Septem porro annis integris duraſſe calamitatem teſtatur, cùm etiam poſteaquam Nilus ad juſtàm menſuram exundare cœpit, & Reſpublica conquievit pacata à Turcis, Lowaniiſque Naſſireddoulæ addictis; tanta fuit tamen hominum paucitas, conſumtis per famem ſecutamque peſtilentiam multis millibus, ut vix qui terras colerent reperirentur. Augebat malum, ſegetum raritas, adeo ut non eſſet unde ſeminaretur terra : inde paſſim in areis & apothecis granariis pulverem eraſerunt, ſeminaveruntque in novalibus, unde orta ſunt omnium granorum genera, creveruntque ſimul triticum, hordeum, faba : quæ poſtea ſemina diſcreta & reſervata ſunt. Hæc autem & alia ejuſmodi quæ ſuis annis aſſignavimus, malè ab Autore noſtro referuntur ad ultima Moſtanſiri tempora, cujus anno 41° mortuum affirmat Chriſtodulum, errore ut ſuprà obſervavimus, biennii. Neque ille annus ad ultimos ejus referri poterat, cùm ab anno 41° adhuc decem & novem annis ſuperſtes fuerit : at ſolis ſupervixiſſet ſeptemdecim, ſi ex vera Chronologia mors Chriſtoduli aſſignetur anno ejus 43° : regnavit autem Moſtanſirus annos ſexaginta, & is de quo mox dicendum erit Patriarcha, eo ſuperſtite diem ſuum obiit.

Hiſtorici hujus vitæ falſa Chronologia.

Poſt mortem igitur Chriſtoduli electio ad Clerum & Primores Kahiræ pertinebat, ſimulque ad Monachos S. Macarii : de quibus huc uſque nihil occurrebat, quo doceremur eos in Comitiis Patriarchalibus ſuffragii jus habuiſſe, niſi quòd ante primores Laicorum conſenſus eorum ſcriberetur : multò minùs quòd in eo Monaſterio ad electionem conveniretur. Eſt quod exiſtimemus congregatos illic fuiſſe Epiſcopos, & alios potius quàm Miſræ, ſeu

Electio Cyrilli.

Kahiræ, ut liberiùs consultarent, neque quod Nassireddoula semel, & Vizirus Bederelgemal aliquando cogitaverant, cogerentur ad aliquem ordinandum qui pecuniâ, aut pravis artibus hanc dignitatem ambiisset? Profecti sunt igitur ad S. Macarium Episcopi multi, atque inter eos Cosmas Episcopus Nysa: Joannes Saca, cognomine Ebn Talem: Marcus Busiridos: Mercurius Messilæ: Gabriel Besta, quæ est Khandek: Chaïl Katour, Theodorus Khartaba: Georgius Antowa: Joannes Athribæ: Marcus Balinæ: Petrus Behnese: Macarius Kis: Mennas, aliique Episcopi: tum ex Misra Sacerdotes multi & Alexandrini non pauci, cum Misræ civibus. Ibi menses duo integri consumti sunt, antequam de Patriarchæ electione consentirent. Prolixa hoc loco narratio occurrit, qualiter Monachum quemdam sanctitatis opinione celebrem multi postulaverint, adeo ut Episcopi, cum Monachorum turba, & Cherouto Archidiacono S. Macarii venerint ad Monasterium Abu Kema, ut illum si renueret electioni consentire, secum vel invitum abducerent. Isus seu Jesus vocabatur, nisi fortè *Justus* legendum est, quod nomen altero magis commune; præsertim apud Ægyptios, qui alterum rarò suis hominibus imponunt. Ille cum multis lacrymis, pectus lapide percutiens, eos rogavit ne se ultrà fatigarent, maximè cùm ipse libertinus esset, quem ordinare Patriarcham non licebat. Monuit quoque ne frustrà laborarent quærendo Macarium Monasterii Oeconomum, qui fugam arripuerat. Sed esse inter ipsos Georgium Monachum tali munere dignissimum, de quo Christodulus olim cum Reja Sacerdote loquens prædixerat, fore ut sibi succederet: sèmelque digito frontem ejus signavisse, dixisseque ei Copticè, Ungo te: nempe ut recto stet fabula talo, simoniacos illos Antistites semper quasi prophetas, miraculorum gloriâ sublimes repræsentare oportuit. Itaque Georgius omnium consensu electus est & Misram deductus, electioque communi omnium consensu confirmata est. Mox Alexandriam ivit; mutatoque nomine Cyrillus appellatus, ordinatus est 22ª mensis Phamenoth, anno Martyrum 794°, tribus mensibus post Christoduli obitum: quamvis Abulbircat utrumque assignet anno 792°. Elmacinus Autori nostro concordat, adjicitque ordinationem factam Dominicâ Palmarum. Postea Misram deductus est, Jacobumque ejusdem urbis Episcopum misit ad Abulfadelum Jahiam Abrahami filium, qui Divani præses erat. Ab eo missi ex aulico ministerio, qui eum cum pompa deduxerunt:

& cùm Kahiram seu urbem novam advenissent, præcedentibus qui psalmos & hymnos canerent, ad Palatium deductus, Mostansirum salutavit, qui matrem sororemque adesse jusserat. Erat coram eo unguentorum copia, quibus honoris gratiâ Patriarcha perfusus est: tum jussus Principi & ejus domui benedicere, formulam precationis legi jussit à Petro Episcopo Demkiræ ante aulæ januam, deditque benedictionem. Eodem modo Emirum exercitus, qui etiam Vizirus erat, Beder-el-Gemalum salutavit; atque illi data benedictione, fausta omnia precatus est. Aderat urbis Præfectus, qui à Viziri aula eum honorificè deduxit usque ad Ecclesiam B. Mariæ Muallacam, ubi proclamatus est, more majorum; & paulò pòst in Ecclesiam *Haret-el-Roum*, seu Vici Græcorum, Mariæ Virginis nomine dedicatam. Statim juxta consuetudinem reliquos majoris hebdomadæ dies transegit in Monasterio D. Macarii, ibique Chrisma consecravit Feriâ v^a in Cœna Domini: ubi etiam miraculum ejus sanctimoniæ indicium dedisse asserunt, nempe quòd Chrisma in manibus ejus exundaverit, adeo ut in altare effusum fuerit.

Anno sequenti Martyrum 795°, J. C. 1079°, Thomas Sacerdos Syrus, de quo antea dictum est, attulit Synodicas literas Dionysii Jacobitarum Patriarchæ Antiocheni, ejus, Metropolitarum, Episcoporum, Sacerdotumque nomine ad Christodulum scriptas, quem cùm mortuum reperissent, eas Cyrillo reddiderunt, substituto ejus nomine. Lectæ illæ in Ecclesiis fuerunt, nomenque Dionysii Diptychis insertum, & ad altaria in publicis precibus commemoratio ejus facta est: rescripsitque ad eum Cyrillus. Manebat ipse plerumque prope Ecclesiam S. Michaelis Misræ, *Muctara* dictam, in vicina cellula: designabatque sedem transferre in El-Rif sive inferiori parte provinciæ. Verùm id facere non potuit ob frequentes ex Nubia & Æthiopia legationes, tum quòd Sultanus sæpissimè eum advocabat. Res Antiochenæ.

Anno 2° postquam Patriarcha renuntiatus est, Salmon Rex Nubiæ abdicato regno, & in Georgium nepotem suum ex sorore translato, vitam Monasticam amplexus est; utque faciliùs Deo vacaret, recepit se in Vallem Abunefer, sive S. Onufrii appellatam, ubi erat Ecclesia sub ejusdem sancti invocatione. Distabat locus tridui itinere à Nubiæ finibus: ab Asowana decem diætis. Est autem Asowan extrema Ægypti superioris urbs, Nubiis contermina, ut scribunt Abulfeda, Makrizius, Yacutus & multi Res Nubiæ.

Patr. LXVII.

Ad Alfragan-um, p. 104.

alii, quamque Sienem veterum esse conjicit vir doctissimus Jacobus Golius, quia utraque Cataractis Nili vicina erat. Præfecto nuntiatum est esse in vicino deserto Regem Nubiæ : unde missis militibus viginti, eum adduci & Kahiram mitti voluit. Denuntiaverat enim eum frater quidam Kenazeddoulæ, qui cùm adversùs Emirum Bederelgemalum malè pugnasset, & in Nubiam fugisset, repetitus ab illo, remissus fuerat à Salmone Rege. Verùm cùm Misram advenisset, susceptus est cum honore, buccinis sonantibus & tympanis ad ejus honorem pulsatis. Emirus seu Imperator exercituum Bederelgemal eum hospitio commodo, missa supellectile, stragulisque pretiosis excepit ; nec ita erga eum omnia humanitatis officia exhibere desiit, donec post annum mortuus est Salmon, sepultusque in Monasterio S. Georgii in Khandek. Eadem prorsus de Salmone leguntur in Chronico Abuselah Armeni, qui ea procul dubio ex Autore hujus historiæ transtulerat : nisi quòd quem Asowanæ præfectum alter appellat, alter Thebaidi præfuisse scribit. Docet etiam nos Abuselah, Regem illum vitam solitariam amplexum esse, quia inquiebat difficile esse ut Rex, etiam si coram hominibus justus videatur, coram Deo talis esse possit, ita ut neque concupiscentiæ indulgeat, neque sanguinem per injustitiam effundat, aut tandem subditos præter jus & fas non vexet. Docet etiam nos id quod à Salmone factum est, dum sororis filium Regem suo loco constituit, fuisse ex vulgata apud Nubas consuetudine, inter quos non filii, sed nepotes ex sororibus regni hæredes essent, quod etiam apud Barbaros multos in India observatum adhuc fuisse superiori sæculo, testantur Historici navigationum Lusitanarum fere omnes.

Res Æthiopiæ.

Circa eadem tempora Cyrillus ordinavit Æthiopibus Metropolitam nomine Severum, nepotem Victoris, de quo suprà dictum fuit in Christoduli vita, sed qui ordinatus fuerat Nubiæ non Æthiopiæ Metropolita ; nam Mercurius Episcopus Wissim in Æthiopiam missus est, qui Abdoni, aliter *Kourilo* seu Cyrillo, vestem pontificalem deferret. Cùm verò tanta sit rerum Ecclesiasticarum, & politicarum etiam illius Regionis obscuritas, ut nihil planè occurrat unde lucem accipere queant ; standum est Autorum testimoniis, donec certiora ad nos pervenerint. Severus igitur juvenis, sed doctus, & à Victore educatus, commendatione Bederelgemali Viziri, summique exercituum ducis, obtinuit ut Metropolita Æthiopiæ ordinaretur. Nam præter munera amplissima, & pol-

licitationes aliorum multas, Viziro suasit, fore ut Principes illos barbaros ad obedientiam illius compelleret. Verùm cùm in Æthiopiam pervenisset, adversarium reperit Kourilum, ipsum, de quo Christodulus testatus fuerat, se neque illi manus imposuisse, neque ullam ipsi autoritatem dedisse. Attamen cùm vir ille nefarius sibi diffideret, convasatis omnibus opibus suis fugam arripuit, & Dahlakam se recepit, ubi à Præfecto comprehensus, Kahiramque missus, capitali supplicio affectus est anno Martyrum 802°, J. C. 1086°. Ex qua narratione patet autorem vitæ præcedentis, aut qui istam scripsit, hallucinari: neque enim Kouril, Sacerdotium absque titulo occupaverat, quando illius ornamenta, & autoritatem confirmaverat Christodulus, misso, ut in ejus historia dictum est, Mercurio Episcopo Wissim. An verò aliquid ordinationem ejus impedierit, Victorque in eam provinciam ex Nubia vicina transiverit, scire non possumus. Neque enim Ludolphus Autor Historiæ Æthiopicæ, alios nobis Æthiopiæ Metropolitas designavit, quàm paucos aliquot qui in Missalis Æthiopici Diptycho nominantur, quorumque antiquitas ætate Cyrilli istius, de quo scribimus, superior aliquibus sæculis videtur esse.

Severus postquam ab Æthiopibus cum honore susceptus est, ad mores illorum emendandos adjecit animum, ut ex literis ad Cyrillum scriptis intellectum est. Cùm enim multa vitia inolevisse agnovisset, exhortationibus suis tantùm profecit, ut multi secundùm Christianæ vitæ regulas, ea omnia in melius reformaverint. Inter alia maximum illud communeque crimen fuit, ut plures in contubernio mulieres haberent, legitimarum uxorum loco. Hortando, & comminando se effecisse scribebat, ut Rex concubinis ejectis, uxorem sibi matrimonio conjunctam retineret; consequi tamen non potuisse, ut pellicem ex qua filios sustulerat, dimitteret: verùm id satagere ut dissoluto cum legitima uxore matrimonio alteram retineret; quod tamen obtinere non potuisset. Rogabat igitur Severus, ut ad eum, ejus consiliarios, totamque gentem Patriarcha scriberet, quò eos à Polygamia deterreret. Scripsit autem ad eos insignem doctamque Epistolam, quæ si ad nos usque pervenisset, multa fortassis de rebus Æthiopum Ecclesiasticis docere nos potuisset. Verùm frustrà illam fuisse vel ex eo satis intelligitur, quòd qui ex Europa primi eam in regionem penetràverunt, Æthiopes in eadem consuetudine perseverantes repererunt. Testis Æthiopum πολυγαμία.

Alvarezius, qui ipse vidit Ababitai quemdam qui tres uxores habebat: Tellezius etiam qui morem illum inveteratum apud Reges fuisse scribit, ut præter uxores plures quasi legitimo matrimonio conjunctas, pellices quoque alerent. Idem scribebat quasi suo tempore adhuc observatum Abuselah Armenus, qui tamen adjungit, Æthiopes ante Sanutium, quasi ex veteri instituto polygamos fuisse, sed ejus literis emendatos; quod tamen falsò ab eodem Autore creditum literisque commendatum, recentiora testimonia demonstrant. Verùm non omnino effectu caruisse Cyrilli literas, certò agnoscere possumus ex alia non minus perversa consuetudine quàm in Æthiopia Autores modò laudati observaverunt, scilicet quod pluribus uxoribus aut pellicibus conjuncti à communione prohiberentur, nec ad eam admitterentur, donec unâ contenti reliquas abjecissent. Nempe id procul dubio factum, quia plures mulieres nuptiarum prætextu habentes, jusserat Sanutius, aut Cyrillus communione privari, qua pœna Canones majorem erga Laicos non agnoscunt: barbara autem illa gens, & in summæ ignorantiæ tenebris posita, bellè secum agi existimavit, si pœnam subiret, nec à peccato recederet.

Epistolæ annuæ Patr. Alexandrinorum ad Æthiopes.

Quamvis autem præter ea quæ à nobis relata sunt, nihil de rebus Æthiopicis apud Autores nostros occurrat, illud quod de Senuda seu Sanutio testatur Abuselah, fidem facit, non adeo interruptum fuisse inter Alexandrinos Patriarchas, Æthiopesque commercium, quin literæ utrimque commearent, ubi Ecclesiæ necessitas ita postulabat. Idem enim docet olim Alexandrinum Patriarcham bis in anno literas misisse in Æthiopiam ad Abyssinorum Regem, quod fieri desiit sub Zacharia Patriarcha 64°: nempe quantùm suspicari licet, ob periculum calumniarum, quasi adversùs Rempublicam aliquid moliretur, sub Hakemo, crudeli & fatuo. Hinc factum est, ut jam non ipsi Patriarchæ scriberent; sed quando ex Æthiopia literæ ad eos afferebantur, illæ ad Califam aut ejus Vizirum mittebantur, qui, si ipsis visum fuisset, eas Patriarchis remittebant, licentiamque rescribendi concedebant, nempe de Jure Ecclesiastico, & rebus Christianorum, super quibus consilium petebatur. Illud autem Califæ permittebant, ut Muhamedani qui illis in regionibus erant, foverentur. Etsi enim pauci admodum eas adivissent, neque unquam Rex Abyssinorum ab illis bello petitus esset, non aliam fortassis ob causam quàm quòd esset in Africæ quodammodo meditullio,

exiguaque quidquid contra scribatur potentia ejus foret, servabat tamen quamdam inter Orientales Principes majestatem. Muhamedani verò negotiandi animo sedes fixerunt in variis locis oræ Barbaricæ, ubi cum illis quos Kafros appellant, aut Zingeos, Africanis scilicet maritimis, dentes elephantorum, pavonum plumas, aurum, pelles & alia quædam commutabant, tandemque munitis ibidem aliquot mapalibus quæ in magnas urbes, Quiloam, Monbaçam, Melindam, & alias evaserunt, totum Æthiopiæ regnum à mari Orientali clauserunt. Ab Asowana merces maris Indici & Arabici in Ægyptum inferiorem Nilo vehebantur, simulque Æthiopicæ: atque ita institores multi ad Æthiopes proficiscebantur, neque enim segnis illa gens, & ferinæ vitæ assueta, ipsa per se negotiationem exercebat. De paucis igitur illis Muhamedanis Califæ Ægyptii solliciti erant; & quos armis non poterant, favore Alexandrinorum Patriarcharum sublevabant. Atque ex illis quæ huc usque observata sunt, manifesta est integra Metropolitæ Æthiopum subjectio erga sedem Jacobitarum Alexandrinam, qualis in Canonibus Pseudo-Nicænis Arabicis describitur, & in Collectionibus Ebnassali, Echmimensis, aliorumque ejusdem sectæ, ita ut neque ipsi Episcopos ordinare liceret, neque Patriarchalia munera ullo modo exercere; adeo ut extra Ægyptum, & ab alio quàm Alexandrino ordinari non posset. Ea verò disciplina non aliis Ecclesiis communis videtur fuisse, nec antiqua, cùm adversùs instituta majorum fuerit, ut ad servandam Alexandrinæ sedis jurisdictionem, vastissimæ provinciæ quibus multa Christianorum millia continerentur, absque Episcopis, imò Sacerdotibus, & Sacramentis per annos multos relinquerentur, quod in Æthiopia accidisse jam ante ista tempora, monuimus. Propria igitur illa tyrannis fuit Ecclesiæ Jacobiticæ, quæ saltem ab Arabum initiis, & ex quo Ægyptum subegerunt, sola Episcopos, & Metropolitas in Æthiopiam misit: quia annis centum aut circiter Melchitæ seu Orthodoxi, Alexandriæ Episcopos non habuerunt. Unde etiam Canon ille Pseudo-Nicænus, qui est de Metropolita Abyssinorum, vix alibi reperitur quàm in Jacobitarum Collectionibus: aut si est in Melchiticis, librariorum potius culpa fuit, quàm certum consilium. Ita pariter in Græcis Notitiis, & apud Nilum Doxapatrium laudatum à Leone Allatio, inter Metropoles Alexandrinæ sedi subjectas Abyssinia non recensetur; verùm sub illarum classe comprehendi debet, quæ ex

Barros Decad. I.

Almed f. Ajaz, Makr. Zi.

De Perp. cons. l. 2. c. 9. p. 167.

De Notitia à Beveregio publicata.

quo Severianorum hæresis erupit, ab ea sede avulsæ sunt. Dedit equidem Notitiam illarum Arabicam nomine Eutychii filii Batrik, Guillelmus Beveregius in Commentario ad Canones Trullanos, in qua Metropolita Æthiopiæ quinto loco numeratur. Verùm ea Notitia nullo negotio falsa esse convincitur : neque enim in India aut Sindia, quæ Metropolin unam constituunt ordine quartam, jus unquam habuit Patriarcha Alexandrinus, sed Antiochenus : neque si illam cum Græcis Notitiis comparemus, ulla ratione cum illis conciliari potest, quamvis similes esse deberent, si hæc vera fuisset. Sed nec in toto Eutychio reperietur vola vel vestigium ejusmodi Metropoleωn. In Ecclesia verò Jacobitica Alexandrina, jam ad hæc usque Cyrilli tempora ex veteri consuetudine non recensentur Metropoles ullæ, sed Episcopatus tantùm : soli Metropolitani duo, Æthiopiæ & Nubiæ nominantur. Episcopi Misræ & Mareotidos, nusquam Archiepiscopi & Metropolitani nominantur. Quod verò observat Autor ex duplici Patriarcha Melchita seu Orthodoxo & Jacobita, fieri potuisse, ut aliter atque aliter se haberet Episcopatuum dispositio, verè ab illo dictum, sed ad rem non pertinet. Nam apud Orthodoxos, à Muhamedanorum Imperio, nulla Metropolitæ Abyssinorum memoria est, nisi fortasse in Græcis ut apud Nilum memoriæ causa servetur ejus ordo, non secus ac in Ecclesia Romana fieri solet circa Ecclesias illas quæ dicuntur in partibus Infidelium. Sed de rebus illis Æthiopicis erit adhuc dicendi locus.

Fructuum Episcopalium pars reservata Patriarchis.

Vacabant Episcopatus multi, quibus omnibus Episcopos Cyrillus ordinavit absque ulla simonia, quam funditùs sustulit. Verùm constituit ut ex antiqua consuetudine, cujus tamen huc usque nullum in præcedentibus historiis occurrit vestigium, dimidia fructuum pars Episcopo cederet, altera reservaretur *Cellæ S. Marci Evangelistæ*, hoc est Patriarchio. Quosdam tamen fructus qui ex diversis Episcopatibus percipiebantur attribuit Monasterio S. Macarii, nempe Ecclesiarum, Demiræ, Busiridos, Panopoleos, Demnhuræ & Elhanasiæ, quam attributionem literis, instrumentisque necessariis confirmavit, quæ Monachis tradita sunt. Mediam quoque fructuum Rechidæ & Messilæ partem destinavit Ecclesiæ S. Marci Alexandriæ, cui ædificandæ, ut etiam aliis reparandis impendit, quidquid pecuniarum ex reservatione medietatis fructuum ad eum pervenerat, usus operâ Yemin Archipresbyteri, experientia & fide commendati, tum qui cum consanguinitate attingebat.

Anno

Anno 802° Martyrum grave ipsi negotium fuit, cum Episcopis Regionis maritimæ, primariisque Misiæ civibus Christianis. Illi enim eum adeuntes, rogaverunt ut Georgium Episcopum Abtou, Abrahamum Episcopum Dikoüa, à consortio suo expelleret, maximè autem Justum Monachum, qui abjecto schemate seu habitu religioso uxorem duxerat, Jobum scribam & Abulkerimum Monachum. Illos enim tales esse dicebant, ut turpe ipsi esset tales comites habere, qui corruptela omnium quæ ipse ut vir bonus faceret, esse videbantur: tantaque illorum importunitas fuit, ut non priùs illum dimitterent, quin scripto dato fidem suam interposuisset se illos dimissurum. Mox tamen mutatâ sententiâ, præter Abdulkerimum omnes in ministerio suo retinuit: unde magna Episcoporum illorum exasperatio adversùs illum fuit. Augebat dolorem, quòd cùm Patriarcha renuntiatus fuerat, faverant illi præ cæteris Episcopi Regionis maritimæ, existimantes virum simplicem & mediocriter literatum, qualis re vera fuit, omnia illis negotia commissurum, futuramque penes ipsos totam Patriarchalem jurisdictionem. Verùm ipse Demetrii illius antiqui exemplo, statim tanto studio literas sacras, earumque interpretationes legere cœpit, ut Autor ipse testetur se cùm multas illi aliquando difficilesque ex Scriptura quæstiones proposuisset, ea responsa accepisse, quæ talem doctrinam continebant, ad quam multi Episcopi & Sacerdotes non pervenissent. Ad scientiam quam labore acquisiverat, adjungendam ait Autor, morum sanctimoniam, cui tribuendam existimat, divinam sub ejus Pontificatu benedictionem, cùm toto illo tempore Nilus ad justam mensuram creverit, magnaque frugum ubertas consecuta sit. Attamen cùm Episcopis displiceret, quòd promissis non stetisset, querelam libello expositam Viziro Bederelgemalo, per Hortorum ejus curatorem deferri procuraverunt, ut ipse causam cognosceret. Erat tunc Cyrillus in Rifæ regione, quæ pars est Provinciæ maritimæ, occupatus per menses aliquot in consecrandis Ecclesiis: sed Misram venire jussus est, cum Episcopis quicumque adesse poterant. Eorum nomina & sedes, quando partem Notitiæ Ecclesiasticæ illius temporis continent, referre erit operæ pretium.

Querelæ adversus familiares Patriarchæ.

Convenerunt numero quadraginta septem; inter quos è Provincia maritima viginti duo: Episcopus Misræ, Episcopus Gizæ, Episcopus Khandek, & ex Sahid sive Thebaïde viginti duo, quorum omnium, inquit Autor, hæc sunt nomina: Jacobus Episcopus

Conventus Episcoporum.

Misræ, seu Kahiræ : Gabriel Khandek : Hezekia Episcopus Wissim, & Gizæ : Joannes Episcopus Saca : Marcus frater ejus Episcopus Semnudæ, Samuel Taneos : Misaël Damiatæ, Theodorus Balinæ, Joannes Demiræ : Chail Busiridos : Justus Sahargct : Chail Menuf, Joannes Tendta : Chail Nyssæ : Chail Barales, seu Paraloou : Gabriel Nesterowæ : Macarius Sa : alter Macarius Bana sive Panopoleos : Theodorus Khartabæ : Gabriel Demnhuræ : Mercurius Messilæ : Raphael Sersiæ : Justus Rechidæ : Theodorus Athribæ : Mennas Banwaniin. Advenerant, sed ob invaletudinem venire in consessum non potuerunt; ex eadem Provincia maritima : Chail Episcopus Katuræ : Theodorus Sinjaræ : Petrus Deckmiræ : Besam & Cosmas Episcopi Elowakhat. Episcopi Sahid vicinarumque regionum, Jacobus Episcopus Athsijæ : Daniel Tmueos : Samuel Ahnasæ : Mathæus Fiumæ : Macarius Kisæ : Petrus Behnseiæ : Senudas Takhæ : Chail Aschmonin : Isaac Ansnæ : Mercurius Episcopus Kusæ : Antonius Osiutæ : Ephræm Chetabæ : Mathæus Kawouæ : Claudius Episcopus Echmimæ : Marcus Belinæ : Kalta Houæ : Mercurius Aksarinæ : Pammon Armentæ : Theodorus Asnæ : Besam Asowana : Joannes Denderæ : Theodorus Kousæ alterius. Omnes numero quinquaginta duo numeratis quinque illis, quorum nomina seorsim recitata sunt. Quæ verò ad illorum Episcopatuum pleniorem notionem spectant, cùm paucis verbis explicari non possent, alio loco referentur. Hos omnes Episcopos cùm convenisse Misram didicisset Bederelgemalus, advocavit eos ad se, in hortum majorem suum, qui erat in suburbio. Annus erat Martyrum 802us, respondens 475° Kharegio.

Causa Patriarchæ coram Viziro agitata.

Cùm convenissent coram eo, gravissimis verbis illos increpavit, quòd debitum Patriarchæ suo honorem non deferrent, eaque de causa afferri sibi voluit Collectionem Canonum, de quibus relatione facta judicaret Patriarcham, eumque dimisit. Ipse interea cum suis compendium breve Canonum, & regularum ex Scriptura sancta utriusque Testamenti, præparavit : alii qui adversus eum libellos porrexerant, similem quoque collectionem paraverunt. Hortorum Præfectus paulò pòst ab irato Domino capite truncatus est, eo ipso in loco, ubi Cyrillum cujus inimicis faverat, conviciis incesserat, eumque pro uno ex discipulis, cum quo jurgatus eam ob causam fuerat, deprecantem, & ad pedes ejus abjectum, contemserat. Transactis Kahiræ uno & viginti diebus,

omnes Vizirus accersivit, prudenterque & quasi Deo per os ejus loquente, illos ad concordiam hortatus est, qualis debebat esse inter homines qui eamdem religionem profiterentur : & ad obedientiam superiori suo præstandam ; monuit ne pecuniis coacervandis intenti essent, sed ut eleemosinas ex reditibus suis amplissimas facerent, sicut Christus ipsis præceperat : Canonum quorum synopsin ei dederant, nullum se opus habere dixit : verùm illam se ab ipsis postulasse, ut apud illos renovaretur eorum memoria, atque eos non solùm legerent, quod ab ipsis dudum negligi audiverat, sed etiam ut ad eam formam mores componerent. Tandem præcepit Abulfedaïlo filio Obeidi Divani præfecto, ut singulis prout eorum negotia exigerent, diplomata scriberet, quibus ab omni injuria tuti esse possent. Ita omnes gaudio inexpectato perfusi quòd ejusmodi judiciorum apud principes, non incertus modò, sed sæpè tristis exitus foret, ad Ecclesiam S. Mercurii ad gratias Deo agendas convenerunt; & in ea, Sabbato Dominicaque sequenti Liturgiam celebraverunt. Quòd autem Bederelgemalus tam benignus erga Patriarcham & Episcopos fuit, non tam ejus moribus, nam crudelis erat & ferox, tribuendum videtur, quàm quòd ex Christianis parentibus ortus, religionis quodam amore tangeretur. Docet enim Abuselah, eum origine Armenum fuisse : unde magna tunc fuit in Ægypto Armenorum autoritas, qui etiam illius favore Ecclesiam S. Georgii prope Doram ad mare obtinuerunt, quam dirutâ veteri ex integro ædificaverunt, adjunctis hortis, palmetis, puteis & piscinis. Eam verò Coptitæ restitui sibi velut antiquis possessoribus obtinuerunt, post annos multos sub Marco filio Zaraæ Patriarcha LXXIII°.

Accusatio adversus Episcopos.

Verùm alius omnino fuit erga Christianos Bederelgemali animus in altero negotio, quod ad fisci rationes spectabat. Accusati sunt enim Episcopi plures, præcipuè Episcopus Khandek, quòd eorum qui in bello civili partes Nassireddoulæ Hamadanidæ, aliorumque Viziri hostium secuti fuerant, pecunias depositas habuissent; is verò Episcopus Abulserouri, filius Labek, opes sibi commendatas apud se retinuisset : quod alii ferme omnes Episcopi fecerant. Accepta igitur autoritate ut illam de pecuniis repetundis quæstionem institueret, rem ita composuit, ut cum singulis de certa pecuniæ restituendæ fisco summa pepigerit, quo nomine ab illis collegit quatuor aureorum millia. Mercedis etiam titulo quinque aureos annuatim Monacho Fergio denuntiatori persolvendos Vizirus per diploma concessit.

Patr. LXVII. Alexandria obsessa.

Circa eadem tempora Bederelgemalus Alexandriam obsedit mensibus duobus, eò quòd filius ejus qui urbis Præfectus erat rebellasset, ex consilio aliquot militiæ ducum, quorum patres, aut consanguinei, ob Nassireddoulæ causam occisi fuerant. Urbs ab eo tamen pactis conditionibus recepta est: & ejus cives paulò pòst quòd novis rebus studuissent, quòd adversus Califam Mustansirum defectionem nudassent, ejusque milites qui in officio intra urbem permanserant occidissent, grandi pecunia mulctati fuere. His titulis, nulla pactarum conditionum ratione habita, Bederelgemalus centum viginti aureorum millia ab illis exegit: sed cùm filius nihilominus consilia adversùs eum agitare non desineret, & ad patrem occidendum cum aliquot aliis conjurasset, illum in vincula conjecit; cùmque per annum & menses sex in conclavi domestico captivum tenuisset, tandem occidit: alii laqueo post quinque dierum inediam sublatum tradunt: alii submersum, alii tandem vivum sepultum fuisse scribunt; ut Autor Historiæ Ægyptiacæ ad annos Hegiræ 477um & 478um, cùm annus ab Historico nostro assignatus anno Hegiræ 479° respondeat: mortem verò juvenis referat ad annum Martyrum 803um, J. C. 1087um, qui fuit Hegiræ 480us.

Cyrilli constitutiones.

Ut ad res Ecclesiasticas revertamur, scripsit Cyrillus Canones, sive novas Constitutiones Synodicas, easque in superiorem Ægyptum misit, cùm in Ecclesiis Misræ aliisque lectæ fuissent. Verùm in Sahida receptæ non fuerunt, negantibus omnibus, mutaturos se pristina statuta sua: neque ampliùs quidquam à Cyrillo factum est, cùm illi quos in contubernio habebat suasissent, sufficere sibi quòd illos monuisset, atque ita illum omni culpa vacare.

Edictum adversus Christianos.

Eodem anno Martyrum 802°, J. C. 1086°, Hegiræ 479°, publicatum fuit Edictum, quo Christiani zonam nigram ferre jubebantur: Judæis quoque idem imperatum, eo tamen discrimine, ut oras flavas zonis attexerent, atque ita à Christianis distinguerentur. Tributum quoque unius aurei, tertiæque & quartæ partis aurei ab illis exactum, nempe ut haberet Bederelgemalus unde ingentes belli sumtus toleraret. Magnum autem in exercitu suo Armenorum numerum habebat, eorumque operâ, utpote gentilium suorum, maximè utebatur.

Armenorum Patriarcha.

Occasione autem autoritatis quam ejus tempore Armeni in Ægypto habebant, venit ex Oriente Gregorius quidam, qui se Armenorum Patriarcham dicebat. Constantinopoli navem conscen-

dens, inde Alexandriam venerat cum numeroso famulitio, aiebatque se Patriarchæ Senioris ex sorore nepotem esse. Nobilitatem quoque generis præ se ferebat, tanquam oriundus à Sennacheribo vetere illo Assyriorum rege: patruum dicebat dignitatem Patriarchalem sibi resignavisse, misisseque illum in Ægyptum cum insignibus sanctorum reliquiis, crucibusque aureis, aliisque muneribus. Meminit istius Patriarchæ Abuselah Armenus initio operis sui, additque postea Hierosolyma profectum, ubi Codices Evangeliorum pretiosos auro minioque distinctos muneris loco reliquit. Erat ille admodum juvenis, sed formâ, modestiâ, & præclaris moribus commendabatur. Susceptus est statim à Monacho quodam Armeno, nomine Menachis, à quo in desertum S. Macarii ad visitanda monasteria deductus est. Alexandriam cùm rediisset, habita cum eo disputatione de fide, Jacobiticam profiteri repertus est, cujus etiam publicam confessionem fecit coram Cyrillo Patriarcha, præsentibus Coptitarum plurimis, qui idcirco in Patriarchium convocati fuerant. *Eo die*, inquit Autor noster, *fama apud omnes percrebruit de consensu Coptitarum, Armenorum, Syrianorum, Æthiopum & Nubarum, circa fidem Orthodoxam, quam communi sententia tenuerant veteres sancti Patres, quamque Nestorius, Leo, Conciliumque Calchedonense perverterant.* Eo loco observandum est, quòd ante hæc tempora nulla ferme Armenorum Christianorum mentio occurrit in Jacobitarum Ægyptiorum libris, neque fortassis antiquior ulla illorum observari potest memoria, tantùm abest ut illa de qua deinde tantopere gloriati sunt, & etiamnum gloriantur, consensio fidei cum Syrianis & Armenis admodum antiqua sit, aut ad prima schismatum initia debeat revocari. Neque enim ante illa tempora, hoc est ante 11[i] sæculi finem, communio Armenorum & Coptitarum stabilita deprehenditur: atque ut Græci, etiam in illis ex illa gente Christianis, qui leviùs errabant, nec hæresibus Dioscorianorum Severianorumque tenebantur, multa damnabant, ut ex Nicone, Euthymio, aliisque manifestum est: ita quoque Jacobitæ in iis qui suæ communionis esse dicebantur, non pauca reprehendebant. Ea autem emendata non fuisse ab Armenis posterioribus certissimè demonstratur ex variis erroribus, quos in illorum secta notat Abulbircat duobus locis; præsertim referens verba Petri Melichæ Episcopi, qui septemdecim capita disciplinæ in illis condemnat. Ita quoque Tractatus anonymus Syriacus adversùs eos multis dis-

Errores Armenorum.

putat, tum quòd pane fermentato utantur ad sacrificium, tum quòd vino aquam non admisceant. Fuerunt tamen antiquitùs Armeni multi, qui Jacobitarum hæresin secuti sunt; nam ut Liberatus notat, jam ipsius tempore multos hæc pestis infecerat: sed illi sub Antiocheno Jacobitarum Patriarcha erant, neque proprium habebant Patriarcham; qui verò progressu temporis ita sunt appellati, originem habuerunt à Catholicis Persidis, & Armeniæ, de quibus dictum est alibi. Eâ verò maximè causâ novus hic Patriarchatus, etsi non propriè dictus institutus est, quia Armeni propriam linguam habebant, ritusque singulares, quæ occasio ipsis fuit subtrahendi se à Patriarchæ Antiocheni jurisdictione, cui per omnes Canones antiquos & recentiores subjiciebantur, quod ipsis faciliùs licuit quando Antiochia fuit in Christianorum potestate: similiter qui in ea gente fidem Orthodoxam retinuerunt, suum quoque habuerunt Patriarcham. Quàm verò recens fit illius dignitatis institutio, ostenditur præterea ex silentio Canonum Arabicorum, qui cùm Metropolitæ Æthiopiæ, & Catholici Seleuciæ meminerint, locumque illis assignent post Hierosolymitanum Patriarcham, Armenorum Patriarchæ memoriam nullam faciunt; sed hæc aliàs, quando quidem majorem operam desiderant.

Anno Martyrum 804° obiit Jacobus Episcopus Misræ, cùm sedisset annos 24: & ante Episcopatum fuisset Archidiaconus Monasterii S. Joannis in Valle Habib: sepultusque est in Monasterio seu Cæmeterio Abyssinorum dicto, prope eam urbem. Congregati sunt primores Christianorum, statueruntque ut Episcopum eligerent Sanutium Diaconum Ecclesiæ S. Bischoi: aut Yeminum Archidiaconum Ecclesiæ S. Joannis. At cùm Sanutius fugisset, atque in eo Monasterio latitaret, repertus, Misramque abductus est, ordinatusque in Ecclesia S. Sergii.

Res Æthiopicæ.

Anno sequenti 805° venit in Ægyptum frater Severi Metropolitæ Æthiopiæ cum muneribus, quæ Emiro non placuerunt. Advocavit is deinde Patriarcham, qui cum decem Episcopis aulam ingressus, statim interrogatus est de illo Metropolita, cur illum ordinasset, non solutâ, quæ idcirco debebatur, fisco pecuniâ. Questus est etiam Emirus, quòd promisisset se Meschitas ædificaturum in Æthiopia, missurumque munera: tandem alia multa quæ non præstitisset. Erat inter Episcopos qui Cyrillum comitabantur, Ephræm Episcopus Denkou, causa malorum omnium, adversus quem reliqui querelas detulerant, ut eum amoveret, sed

frustra. Flagrabat autem is majori apud omnes odio, quòd ordinatione suscepta, nunquam ad sedem suam profectus fuisset, aut in ea proclamatus fuisset, aut in ullo altari Diœceseos suæ sacra fecisset; sed perseverabat in officio scribæ Patriarchalis. Ille igitur Emiro respondit: Metropolitam Æthiopiæ ordinatum non fuisse nisi ex ejus mandato. Emirus eum & ipsum Patriarcham mentiri dixit: moxque significavit oportere ut duo Episcopi in Æthiopiam mitterentur, qui Meschitas ædificandas curarent, orationemque in illis Muhamedanorum more fieri: deferri quoque debere tributum annorum quinquaginta; quòd si ipsis minus placeret ea conditio, liberum ipsis esset eligere quid mallent. Questus quoque est quòd mercatoribus Muslemanis negotiationem prohiberent, iter agentibus vias in Æthiopiam præcluderent: quæ si vera essent, scire se quid facto opus esset. Postea omnes dimissi, sed additis unicuique Episcopo satellitibus duobus, quibus quotidie aureos duos solvere cogerentur, quos Patriarcha de facultatibus suis suppeditavit. Significatum est etiam omnibus, eam mulctam eò usque exigendam donec in Æthiopiam literæ missæ fuissent per duos Episcopos, Marcum Wissim & Gizet, & Theodorum Sinjaræ. Maximo in metu Christiani erant, cùm Emirus qui illis eò usque iniquus non fuerat, tam durus erga eos videretur, neque ulla ratione mitesceret. Interea advenit Legatio à Basilio Rege Nubiæ, cum muneribus Emiro destinatis: in qua erat filius Regis defuncti, quem petebat ordinari Episcopum. Nam qui regno successerat, erat prædecessoris sui ex sorore nepos, cui ex Nubarum lege hæreditas debebatur, ut superiùs ex autoritate Abuselah Armeni observatum fuit. Emirus accersivit statim Patriarcham, decemque ex ejus comitatu Episcopos, quibus ex satellitio suo custodes dederat, simulque fratrem Metropolitani Æthiopiæ. Accidit autem eo ipso tempore, ut libellus à Mercatore Muhamedano oblatus fuerit, qui Metropolitam accusaret quòd sibi viam interclusérat, opesque ipsius per vim abstulerat: sed convictus est quòd Severus à Rege Æthiopiæ captus fuisset & in custodiam datus eo tempore, quo injuriam sibi factam mercator ille querebatur. Illius igitur nulla ratione habita, dixit Emirus Metropolitam promisisse, quatuor se in Æthiopia Meschitas ædificaturum, neque tamen id præstitisse. Tum ejus frater respondit eum in iis quibus potuerat locis septem ædificasse Meschitas, rem verò notissimam apud omnes fuisse quid

his ædificiis acciderit: nempe Æthiopes ea solo æquasse, eumque ad necem quæsivisse: Regem, cùm id accepisset, eum in vincula conjecisse. Ita placatus Emirus quæsivit quid facere designarent. Scribemus, inquiunt, literas Copticè & Arabicè, leganturque coram te, ut earum interpretatio apud te constet: scribemus autem quod tibi visum fuerit: designaverunt etiam Episcopos duos qui eas deferrent. In hunc modum hoc periculo defuncti cum honore remissi sunt, Episcopique viatico necessario instructi. Addit Autor se à viris fide dignis accepisse, quòd Emirus Bederelgemalus, qui literas quoque misit per Legatum qui in comitatu Episcoporum profectus est, scripsisset ad Regem Æthiopiæ, se nisi Rex hæc atque illa quæ imperabat faceret, omnes Ægypti Ecclesias eversurum: Regem verò respondisse, quòd si ex Ecclesiis vel lapidem unicum dejeceris, ego lateres & lapides omnes Meccæ ad te mittendos curabo; & si vel unus later desideretur, eum auri pondere pari compensabo. Huc usque narratio de rebus Æthiopicis, mira sanè & pene incredibilis: & de qua ne verbum quidem habemus in singularibus de Æthiopia virorum doctissimorum Tractatibus. Inde porro constat tumultuatos esse adversùs Metropolitam suum Æthiopas, quod Meschitas Muhamedanis ædificasset, de qua novitate & impietate altum est apud Autores omnes silentium: nam autoritate Geographorum Arabum constat, in Æthiopia nullam præter Christianam Religionem publicè exercitam fuisse. Ædificationem autem Meschitarum criminis idololatriæ quodammodo æqualis loco habent Orientales; & quamvis nulla certa pœnitentia eidem præscripta reperiatur, neque enim passi fuissent Muhamedani suis in regionibus, ut tali operi Christianus manum admoveret, erat tamen scelus longè gravissimum, præsertim in Episcopo; neque mirum esse debet quòd Æthiopes sub talibus pastoribus Christianam religionem obliti quodam modo fuisse, in multis videantur. Literæ verò minaces illæ quas Æthiopiæ Regi attribuunt, suspectissimæ videri debent: cùm eo tempore regnum illud non tanti foret, ut exercitum trans mare ducere ille posset, Meccamque ubi ingens erat Muhamedanorum concursus, præsidiariique Arabes sub Emiro Meccano aggredi auderet, aut saltem simulare tale quidquam posset: imo apud illos Æthiopes imbelles, & qui nullas naves haberent, animo designare.

De Syrianis. Erat tunc Kahiræ non mediocris Syrianorum multitudo, quorum

rum primarius Ebn-Tawil appellabatur, & in suburbio Huceiniet dicto habitabat, ubi olim Armenorum militiæ stativa erant. Nempe jam ab Ahmedis filii Toloni, & Hamarowiæ ejus filii principatu, inter diversas cohortes prætorianas, quæ ex multarum gentium mancipiis exercitatis conscribebantur, erant Armenicæ. Emirus autem qui, ut diximus, Armenus erat, ut suæ gentis hominibus commodum locum assignaret, Syrianos inde ejecerat. Ebn-El-Tawil ut hanc suorum calamitatem aliqua ratione solaretur, petiit ab Emiro concedi sibi Ecclesiam vacuam in Monasterio Elkhandek, & obtinuit: jussusque est Gabriel Episcopus Khandek, eam Syrianis concedere. Erat autem illa sub titulo Pauli filii Justi Martyris, & in ea corpus ejus servabatur. Eodem in loco servavit Episcopus locum ubi pabulum ad jumentorum suorum pastum reponeretur: eratque olim Ecclesia S. Macario dicata. Indignati idcirco Armeni, questi sunt non habere se Ecclesias ubi orare possent, cùm Jacobitæ unam eadem in urbecula haberent clausam & inutilem, in qua nullas preces facerent, cùm Episcopus horreum ex ea fecisset. Cùm vera dicere illos comperisset Emirus, Ecclesiam pleno jure illis attribuit, qui eam à fundamentis restituerunt, & in ea officia divina celebrare cœperunt. Ipsa verò postmodum Armenis attributa est, à quibus retinebatur, dum Autor noster suam historiam scriberet. Ibi, inquit, multa miracula facta sunt, sicut in aliis Ecclesiis; quæ fusiùs prosequitur, nos silentio commendanda duximus. Erit tamen locus, cùm aliqua illarum reliquiarum memoria facienda erit, nempe ubi agemus de Ecclesiis & Monasteriis, de quibus præter ea quæ à Christianis scripta sunt, commentarium justum edidit Chaneschi quidam, laudatus ab Abuselah, Makrizio & plerisque aliis rerum Ægyptiacarum autoribus. Noster autem eas solùm reliquias commemorat, quas ipse in variis Ecclesiis religionis causâ visitaverit: neque inutilis omnino censenda hæc disquisitio est, ea præsertim ratione quod vix aliter intelligi possunt nomina sanctorum plurimorum, qui coluntur apud Coptitas, & quæ apud Græcos, Latinos, ipsosque Syros scriptores frustrà quæsiveris. Pleni sunt peregrinationum libri nominibus sanctorum talium, quos sæpè locorum Christiani, etiam posteaquam ad Christianæ fidei unitatem Catholicam redierunt, venerari non desinunt, & incauti Missionarii tales honores patiuntur, quia qui fuerint sancti illi, nesciunt. At quantùm licebit, dabimus operam ut sancti legitimi, à falsis

distinguantur : nam plerique illorum, quia in hæresi vixerunt, tales existimandi sunt.

Res Antiochenæ.

Postea Autor non assignato tempore, nisi per notam insignis calamitatis, quæ Antiochenam & multas alias Syriæ urbes vastavit, per ingentem terræ motum, ait Hierosolyma tunc in Azorum potestatem venisse, quamvis jam antea occupata ab Ortokidis fuisset, quos illo nomine designavit : nempe quia Turcicæ erant originis, & inter gentes varias quæ Turcarum nomine comprehenduntur, Az, qui & Azaz, à Geographis recensentur. Terræ motus contigit anno Hegiræ 484°, qui erat Mostansiri 57us, J.C. 1091us: urbs ferè tota subversa est, & Orontis exundatione magna ædificiorum multitudo concidit. At in Ægypto, Nili inundatio maxima, etiam remotiores ab eo terras ita fœcundavit, ut ubertas quanta vix unquam, major consecuta fuerit. Hierosolymitana urbs in Turcarum potestatem venit, eorum scilicet qui Melikschahi auspiciis, aut licentiâ potius, bella assidua cum ducibus aliis gerebant, quique omnes tributarii Seljukidarum erant. Ita enim fiebat ut mutuis præliis attriti ad obsequium paratiores forent, neque rebellare facilè possent. Inter eos autem erat Ortok filius Aksak Turcomanus, Maredinæ princeps, cui Halepum, sive Berrhæam, dedit Melikschah; & Ortok anno eodem 484° ex vita migravit. Filii ejus Sacman & Ilgazi Hierosolymam & multas alias Syriæ & Palestinæ urbes occupaverunt. In urbe sancta de miraculo luminis cœlitùs apparentis in Ecclesia Resurrectionis certiores facti, quod prius præstigiarum loco habebant, in administrandis publicis negotiis usi sunt ministerio Jacobitæ cujusdam qui Mansur appellabatur. Uxorem habebat caritate & hospitalitate erga peregrinos qui ex Ægypto aliisque provinciis concurrebant, celeberrimam. Ea occasione Mansurus Jacobitis suis Ecclesiam Hierosolymis ædificare aggressus est, atque consilium illud suum per literas significavit Cyrillo Patriarchæ. Nam ex antiqua, quæ etiamnum superest in Jacobitarum Codicibus consignata Patriarchatuum divisione, Hierosolymitana Diœcesis, & Palestina tota ad sedis Alexandrinæ jurisdictionem pertinebant, ut etiam observatur ex Notitiis quibusdam Græcis, & Nilo Doxapatrio. Rogavit itaque Mansurus Patriarcham, ut Episcopum mitteret, à quo Ecclesia nova consecraretur. Anno Martyrum 808°, J. C. 1088°, Episcopum misit qui hoc officio functus est. Hæc observatu dignissima sunt, quippe cùm ex eo loco intelligatur, Jacobitas etsi per totum ferme Orientem dispersi

Miraculum luminis Hierosolymis.
Fulcher. Carnot. p. 407.

omnibus in provinciis Ecclesias haberent, Hierosolymis ante ista tempora non habuisse. Qui autem eorum Antistes ea in urbe erat, non ut apud Orthodoxos Patriarchæ titulo honestabatur, sed Episcopi, aut Metropolitæ, ut apud Nestorianos qui seriùs adhuc, quantùm conjicere possumus, ibi Episcopum proprium habuerunt. Paulò pòst cùm Franci ea in urbe regnarent, habuerunt Metropolitam suum Jacobitæ, quod huc usque servatum fuit. Rationem investiganti, cur in locis humana Jesu Christi conversatione dum in terra esset consecratis, hæretici illi Ecclesias & Clerum non haberent, cùm omnes sectas Muhamedani tolerarent, imò deterior esset Orthodoxorum conditio, quia ob conformitatem fidei cum Græcis Imperatoribus, sæpè in novarum rerum suspicionem adducebantur, non alia potior videtur, quàm quòd Hierosolymis pauci admodum erant Hæretici : atque ita Orthodoxis ex communi Muhamedanorum lege mansit integra autoritas sua, neque alii qui Ecclesias illic non haberent, facilè admissi sunt.

Eodem circiter anno obiit Marcus Episcopus Belinæ, *primus*, inquit Autor noster, *Episcoporum omnium*, scilicet antiquitate ordinationis : nam ex illa, non ex sedium dignitate primus dabatur Episcopis locus, ut ex controversia Episcopi Arment cum altero superiùs observatum est.

Mansit Cyrillus eodem anno ultra præscriptum tempus in Cella prope Ecclesiam S. Michaelis, antequam ad desertum S. Macarii proficisceretur, intentus lectioni sacræ, præsertim quatuor Evangeliorum quæ Copticè legebat cum sua interpretatione, tum ut literam intelligeret ; jam enim rarior erat apud plerosque populares linguæ Copticæ facultas, adeo ut pauci absque Arabica versione sacros libros legere possent : tum ut sensum perciperet, nam ejusmodi Interpretationes, quas *Tafaßir* vocant, Commentarii cujusdam locum obtinebant. Omnes pecunias quas ex reservatis fructibus Episcopatuum recipiebat, impendebat in pauperum sustentationem, & Ecclesiarum restitutionem : afflictorum aut mulctatorum inopiam sublevabat, tamque continua caritas facultates illius patrimoniumque exhausit, ita ut moriens ne aureum aut drachmam quidem reliquerit. Jejunabat ferè semper, uno eoque simplicissimo ex leguminibus ferculo contentus, ad vesperam : cùm alia discipulis pararentur. Orationi intentus erat, sæpè cum discipulis de rebus divinis sermones habebat, quibus & se interfuisse dicit Joannes filius Sahed, filii Jahiæ filii Minæ, cognomine Ebn-

Cyrilli studia, & mores.

Elkolzumi, Autor vel Interpres historiæ hujus : & ex ejus manu communionem multoties percepisse, quam cùm distribueret, solebat benedictionem apprecari linguâ Copticâ. Testatur autem in familiaribus illis colloquiis observasse, illum non modò sacras literas, sed omnia quæ ad earum interpretationem pertinent probe tenuisse, & de illis præclaros sermones habuisse. Ex quibus affectatis non uno loco laudibus intelligi potest, non magnam fuisse olim de ejus doctrina famam, de qua historicus tam anxiè laboraverit.

Obitus Cyrilli.

Obiit die Dominica 12ª mensis Baïni, post susceptam Eucharistiam, anno Martyrum 808°, J. C. 1092°, qui est Hegiræ 485ᵘˢ : & quem annum 481ᵘᵐ Helalæum Autor numerat. Sedit annos 14, menses 3, dies 15 ; sepultusque est in Ecclesia S. Michaelis *Muctara* in Insula Misræ, unde postea translatus est ad S. Macarium Vallis Habib. De anno mortis & tempore Patriarchatus consentiunt Elmacinus & Makrizius, quorum hic annum Hegiræ 485ᵘᵐ assignat, qui ex vero calculo respondet anno Martyrum 808°. Abulbircat sedisse ait annis 13, mensibus 10 : obiisse anno 806°. Multò minor ratio habenda est Indicis Kircheriani, ubi initia Cyrilli assignantur anno J. C. 1098°, nempe sexennio post ejus mortem ; non quòd apud illum scriptorem tales notæ temporum reperiantur, quæ falsissimæ sunt, sed quia Autor Catalogi, dum illas ex ingenio, aut quibusdam locis Historiæ Saracenicæ malè intellectis disponere voluit, in infinitos errores lapsus est.

Vivebat adhuc Mustansirus Ægypti Califa Fatimida, qui anno 487° sexagesimum regni & ultimum vitæ annum implevit : res omnes administrante Emiro, seu copiarum supremo duce, Viziroque simul Bederelgemalo Armeno.

Obitus Sultani Melikschahi. Status Orientis.

Eo ipso anno Hegiræ 485°, quo Cyrillus decessit, diem quoque suum obiit Melikschah Albarslani filius, Seljukidarum 3ᵘˢ. Illius nomen integrum, Gelaleddin Abulfetah Melikschah. Imperium ejus vastissimum fuit ; nam ut Autores omnes consentiunt, complectebatur Mawarlnaharam, seu Transoxianam : Turcicas provincias superiores Hiathelitarum, Portas Caspias, Anatoliam, Mesopotamiam, Syriam : adeo ut longitudo sumeretur ab urbe Kaschgara quæ est in Sinarum finibus, usque ad Hierosolymam : latitudo à Constantinopoli, ad Russorum seu Cozarorum regiones & Mare Indicum. Ea autem imperii illius ratio fuit, ut in singulis Provinciis essent

Præfecti, seu potius Principes, qui eas beneficiario jure possiderent, inter quos plures è Regia familia numerabantur, qui sæpè rebellaverunt. Erant autem in clientela summi illius Imperatoris, cujus nomine Oratio publica in Meschitis fiebat; præmisso tamen Califæ nomine, honoris gratiâ, quia Seljukidæ cùm religionem Sunnitarum sequerentur, Ægyptios Fatimidas hæreticorum loco habebant: Califamque Bagdadensem, tanquam ex legitima linea Muhamedis successorem, venerabantur. Confirmabat antiquam illam & familiæ Seljukidarum innatam opinionem, summa Viziri supremi Nezamelmolk autoritas, qui in Traditionum studio secundùm Chafehiticæ scholæ placita eruditus, doctisque mirum in modum favens, vastum illud Imperium, per annos ferme quadraginta administravit. Principes illi honorem supremi Dominii Sultano deferebant, tributum quoque pendebant, opes, vectigalia, urbes, exercitus, judicia in eorum potestate erant. Neque ulla unquam in Oriente familia extitit, cujus majora erga subditos beneficia fuerint, nec enim urbes, sed provincias & regna assignabant mercedis loco. Cùm verò post istius Sultani mortem diviso in quatuor filios Imperio, illi bellis civilibus se invicem concidissent, plerique Præfecti, aut qui in clientela erant Principes, sicut olim post Alexandri mortem, excusso jugo, nulli subjecti esse voluerunt; sed ut populos in religione continerent à Califa investituras obtinuerunt, quas facilè concedebat, cùm jam libertatem quam antea nullam habebat, quodammodo recuperasset. Nam Moctadi Abbassidarum 27us, qui anno 467° Kayemo avo successerat, mandatum acceperat à Sultano Melikschah, ut intra horas viginti-quatuor Bagdado excederet: obtinuitque ægrè decem dierum inducias; quo intervallo Sultanus obiit. Ex illis præfectis orti Principes Persidis, quos *Atabekos* vocant, quia Regiorum liberorum juventuti præfuerant, & Mosulenses ex Zenghi familia, qui totam ferè Syriam occupaverunt, tum multi alii: quorum aliqui in Palestina & Syria sublati sunt per Francos Cruce signatos: alii tandem post annos ducentos à Tartaris deleti sunt: alii dignitatem & imperium servaverunt, auxeruntque ex aliorum potestate inferiorum spoliis, ut Noraddinus à quo Christiani magnas clades acceperunt. Ex illorum satellitio nati sunt novi homines Curdi, quorum præcipuus Salaheddinus Joseph, qui Syriæ & Ægypti regnum obtinuit; tanta in Orientali illo Imperio vicissitudo rerum fuit. Ut ad Melikschah revertamur, fuit in illo principe sum-

ma dignitas, æquitas, religio, quanta in Muhamedano esse potest: publicorum commodorum cura non vulgaris; doctorum & literarum amor: benignitas in subditos maxima: nam tributa per totum fermè Imperium levavit, atque etiam multa planè sustulit: pontes, ædificia ad Caravanarum stationes, balnea, scholas, Meschitas passim ædificari jussit, assignatis reditibus amplissimis. Vias sterni fecit: aquæductus, & diversoria locis desertis in itinere Meccano magno sumtu construxit. Avaritiæ & rapacitatis, communi inter illos principes vitio caruit, neque de libidine infamatus est. Avunculi & aliorum cognatorum principum in bello captorum cædes, excusavit necessitas: nam aliis pepercit. Nihil verò magis famam illius læsit, quàm Viziri sui Nezamelmolk cædes per sicarium commissa, paucis diebus antequam ipse è vivis excederet. Cùm enim paulò antea asperiùs eum objurgasset, Vizirusque liberiùs respondisset, exacerbatique animi indicia non obscura Sultanus dedisset, suspicio fuit illum Viziro percussorem immisisse, quòd austeritatem ejus & arrogantiam ampliùs ferre non posset. Neque id tamen ullis indiciis compertum: nam sicarius statim occisus est; eratque ex scelerata illa Bateniorum secta, qui postea *Hassissin* ab Arabibus, à nostris *Assassini* appellati sunt. Nam regnante Melikschah cœpit illa pestis sub Ismaelitis, ut quidem se appellabant, principibus, qui in loco quodam inaccesso ultra Ispahanam, Castrum *Elmout* ædificaverant, unde eorum Princeps, seu Cheïkus, quem Autores nostri *Vetulum de Montanis* appellant, sedem fixit. Canis aberrans inter venandum ibi à Christiano quodam repertus, viam præmonstraverat: hinc malum omen captum à vicinis, ut scribit Abulfeda. Princeps ille venationi nimium indulsit, eamque sibi, tanquam Regiæ majestatis partem reservavit: aureum pauperibus dabat pro singulis feris quas venatu capiebat: decem mille uno die cepit: nempe eo modo quo etiamnum venari Orientales principes solent, & nostro sæculo Muhamed IV^us^ Turcarum Imperator, saltus indagine cingendo. Obiit Melikschah anno ætatis 38°, regni 20°, triginta quinque post Vizirum diebus. Is erat Nezamelmolkus, quo nullus celebrior inter illius dignitatis viros in tota Orientali historia reperitur. Hujus vitam scripserunt multi, atque inter alios Ebn-Chalican.

MICHAEL PATRIARCHA LXVIII.

MICHAEL Pat. LXVIII.

Quæ electionem ejus præcesserunt.

MORTUO Cyrillo cùm electio ad Alexandrinos pertineret, convenerunt primores illius Ecclesiæ, & per multos dies frustrà agitatis consiliis, in nullius electionem communibus suffragiis consentire potuerunt. Unde communicatâ cum illis qui in El-Rif reperiebantur Episcopis, sententiâ, lustratisque Monasteriis, adhibuerunt quoque ad consilium Episcopos qui ex Thebaide advenerant, sed inutiliter. Tandem ad Monasterium S. Macarii profecti sunt, ubi nominatis diversis Monachis, qui non placuerunt, demum propositus fuit ab aliquibus Episcopis Samuel Anachoreta reclusus, Syrus origine, qui cùm multis laudibus commendatus fuisset, missi sunt Episcopi, atque inter eos Sanutius Episcopus Misræ, qui eum deducerent: sed priusquam ad cellam ejus pervenirent, relatum est illum absurdis & perversis quibusdam circa fidem opinionibus imbutum esse. Accusabatur præsertim, quòd corpus Domini nostri Jesu Christi sumtum ex Virgine Maria, in quo passionem mortemque sustinuit, & miracula fecit, ex intima unione cum Verbo increatum esse, & consubstantiale Verbo secundùm divinitatem, affirmaret: tum quòd negaret Christum Dominum Feriâ 5ª Paschalem agnum cum discipulis comedisse: tum alias quasdam opiniones minus Orthodoxas habere dictus est. Hæc cùm audivissent Episcopi, ultrà non progressi sunt: querentibusque Alexandrinis quòd electione diutiùs protracta, ipsi magno suo incommodo, instante hyeme, domo abessent; volentibusque ut ea in aliud tempus differretur, Episcopi obstiterunt: verbaque ad eos fecit Sanutius Episcopus Misræ, probans non potuisse Patriarcham eligi, eum, quem constaret ex pravis quas tuebatur opinionibus, nusquam legisse sacras literas, quæ talem impietatem apertè refellerent. Ea occasione Autor prolixam adversùs Phantasiastas orationem refert, tanquam ad Alexandrinos habitam ab eodem Episcopo, in qua è sacræ Scripturæ Patrumque testimoniis ostendit doctrinam Ecclesiæ semper fuisse, quòd *Deus Verbum humanam naturam assumserit ex B. Virgine, similem nobis in omnibus, excepto peccato: eamque sibi conjunxerit per intimam unionem, conservatis utriusque naturæ proprietatibus: futurum alioquin ut omnia quæ facta erant dum in terris Jesus Christus converjaretur, operareturque mysterium redemtionis nostræ, imaginaria tantùm &*

Expositio fidei.

phantastica fuissent. Laudat autem sanctos Patres, Gregorium Thaumaturgum, Nazianzenum, Joannem Chrysostomum, Epiphanium Cypri, Hippolytum & Paulum Romanos Pontifices; Cyrillum Alexandrinum: tum ex Jacobitis Severum Antiochenum, Jacobum Serugensem, & quosdam alios. Ex illorum sententiis concludebat Episcopus eum qui contrà sentiret, indoctum esse, & sacrarum literarum expertem: sibi autem Episcopis non licere, ut consensu suo electionem confirmarent Canonibus contrariam, quibus prohibetur, ne indocti ad ullum Sacerdotii gradum promoveantur. Transactis adhuc diebus aliquot, mentio facta est Sacerdotis cujusdam Reclusi in Monasterio prope Sinjaram, nomine Michaelis; qui cùm omnium testimoniis laudatus fuisset à doctrina morumque sanctitate, primò miserunt ad eam urbem, ut secundùm publicam famam de eo inquireretur. Cùmque civium commendatione fama ejus confirmata fuisset, eum adiverunt: & cùm circa fidei præcipua capita idem Episcopus illum interrogasset, neque solùm rectam illam comperisset, sed etiam doctrinam ejus intellexisset, reliquis significaverunt Episcopi quòd ipsum adivissent ad deferendam illi Patriarchalem dignitatem; priùs tamen quàm eo nomine ipsum salutarent, opus esse ut capita quædam scripto comprehenderentur, ipseque perscriptas conditiones observaturum se polliceretur, & subscriptione firmaret.

Conditiones futuro Patriarchæ ad subscribendum propositæ.

Prima fuit ut exhiberet Confessionem fidei, secundùm doctrinam quam ex habitis cum eo sermonibus intellexerant. Id promisit. Tum ut annuam pensionem quam ejus decessores Ecclesiæ Alexandriæ solverant, ad Ecclesiarum ædificia reparanda, tum ad sumtus ad Officia sacra necessarios, pauperumque sustentationem, soluturum se polliceretur. Respondit se non modò quæ præcedentes Patriarchæ contulerant, sed plura adhuc si posset daturum. Post hæc petierunt ut scripto quoque se obligaret ad abolendam simoniam, adeo ut neque pro Episcoporum ordinatione, neque ullo quocumque prætextu pecunias contra Canonum statuta exigeret aut reciperet: imò dantes & accipientes anathemati subjicerentur. Petierunt pariter ut quandoquidem Patriarcha esset, non omnium Ecclesiarum, sed solius Alexandrinæ Episcopus, cui non magis liceret aliorum Ecclesias invadere, quàm ei qui uxorem haberet, cum alienis uxoribus commisceri, restitueret Episcopis multas Ecclesias, quas decessores ejus sibi contra jus attribuerant, ut aliquot etiam Monasteria. In Episcopatu

Misræ

Misræ sive Cahiræ, Ecclesiam B. Mariæ Muhallaca dictam in Castro *Elchemah* S. Mercurii ad litus Elsahir; & B. Mariæ in Vico Græcorum: quas duas posteriores Christodulus occupaverat post obitum Episcopi Philothei: & Gabrieli ejus successori fructus aliquos ex utraque percipiendos assignaverat: tum etiam dies quosdam constituerat, quibus Liturgiam celebrare in illis Ecclesiis posset, ut in archivio Ecclesiæ ejusdem legebatur. In Episcopatu Wissim & Gizæ Ecclesiam S. Michaelis, in Insula Misræ, eam quæ Muctara. In Episcopatu Tmüeos Monasterium *Elchemah* & aliud sub nomine S. Mercurii *Elsakar* vulgò dictum: cum aliis ad ea pertinentibus quæ continebantur instrumento asservato in Cella Patriarchali: tum ut annuas pensiones remitteret, quas ex Episcopatuum proventibus ejus decessores exigebant. Hæc omnia facturum se pollicitus est, anathemati se subjiciens, si secus ageret; omnibusque capitulis subscripsit, justa esse omnia quæ proponerentur ultrò agnoscens.

His peractis, è Cella egredi noluit, priusquam ornamenta Patriarchalia acciperet, simulque Episcopi orationes consuetas ad Ordinationem super eum pronuntiarent, quod fecerunt, eumque ordinaverunt. Neque antea, ullum exemplum occurrit ordinationis alibi factæ quàm in Ecclesia Alexandrina præsentibus Episcopis. Ea tamen rata fuit, ipseque Alexandriam deductus, ibique proclamatus est 12ª Paophi anno Martyrum 809°, qui erat J.C. 1093ᵘˢ, Hegiræ 486ᵘˢ: atque ita vacavit sedes menses quatuor, ordinatioque ad sequentem annum pertinuit, cujus 2ᵘˢ mensis erat Paophi: atque ita convenit Autori nostro cum Makrizio, qui centum viginti quatuor dies vacasse sedem asserit; quod ita intelligendum, ut ex Epagomenis, qui supersunt dies quinque assumantur. Abulbircat anno 806° mense Epiphri ordinationem assignat. Dein profectus est ad Monasterium S. Macarii in Valle Habib, ubi sicut in Ecclesia Muhallaca Misræ, proclamatus est. Michael electus & statim ordinatus.

His cæremoniis perfunctum rogavit Sanutius Misræ Episcopus, ut secundùm pacta quæ ipse subscriptione firmaverat, Ecclesiæ suæ restitueret eas quas Christodulus Patriarcha usurpaverat. Michael non modò negavit se facturum, sed etiam impudenter mentitus asseruit subscriptionem falsam esse: testes, qui cùm instrumentum perscriberetur adfuerant, excommunicavit, si contra se testimonium perhiberent, neque Episcopis Ecclesias aut Monasteria restituit. Facta fuerant exempla aliquot pactionis ab eo confirmatæ: Subscriptis conditionibus stare negat.

unum ipse servaverat : aliud Alexandrini Sacerdotes habebant ; aliud Joannes Episcopus Saca, quia erat Episcoporum senior : aliud Episcopus Misræ. Alexandrinos Sacerdotes minis, pollicitisque adeo commovit, ut illud quod habebant ipsi restituerint : cessitque similiter Episcopus Saca ; ex quo enim Patriarchalem dignitatem sibi confirmatam vidit, tam impudenter & tyrannico more Episcopos, & reliquos omnes Christianos vexavit, ut obsistere nemo auderet. Attamen Misræ Episcopus minas ejus, blanditiasque insuper habens exemplum pactorum, quod penes se habebat, reddere noluit. Eum Michael ab Ecclesiarum suæ Diœcesis administratione, Liturgiæque celebratione suspendit : nec contentus, vetuit ne in Ecclesiis Diœceseos ad publicas preces nominis ejus commemoratio fieret. Cùmque Sanutius audiisset velle discipulos ex suis aliquot ad se mittere, ut quasi judicio condemnatum deponeret, Misrâ exivit, & ad Monasterium Philemonis prope Fiumam se recepit, ubi aliquamdiu latuit, sede vacua relicta, adeo ut judicia Ecclesiastica nulla jam inter Christianos essent propter ejus absentiam : sed graviter expostulantibus Misræ primariis, iniquam sententiam rescidit, Episcopumque ad sedem suam redire permisit.

Mors Bederelgemali Vizirii.

Anno Hegiræ 487°, qui Mostansiri 60us Imperii, postremusque vitæ fuit, paucis ante illum mensibus obiit Bederelgemalus, supremus copiarum Ægypti Dux, Vizirusque simul, in quo to a rerum omnium autoritas erat, adeo ut Califæ, præter titulum, nihil superesset. Paulò antequam abiret è vita, obtinuerat ab eo Diploma amplissimum, quo filius ejus Abulkacim Chainschah, qui honoris gratiâ Afdal cognominatus est, successor ejus institueretur. Illum laudat magnopere Autor istius historiæ, quòd Ægyptum summâ prudentiâ, æquitate & temperantiâ gubernaverit, adeo ut fœlicitas publica ei deberetur : potestatem verò non modò paternæ æqualem obtinuit, sed majorem quodammodo.

Mors Mostansiri Califæ Ægyptii.

Mostansirus qui non diu supervixit, obiit eodem anno, ætatis 67°, regni 60° ; princeps nulla alia re, quàm longitudine regni, laudatus. Designaverat olim Nezarum filium suum natu majorem, ut sibi succederet : sed secundùm Autorem nostrum mutato in fine vitæ consilio, juniorem natum annos viginti successorem appellavit. At Muhamedani Autores contraria scribunt ; factumque Afdali Viziri industriâ, ut Mostali (nam ita vocatus est Mostansiri successor) Califa salutaretur, Emirique, Judices, virique

in Republica primarii fidem ei tanquam Domino jurarent. Erant quippe secretæ inter Nezarum & Afdalum inimicitiæ, ex quo hic Palatio egrediens, Afdalum venientem, quòd statim equo non desiliret, contumeliâ affecerat, clamans ad eum, *Descende Armene:* tum quòd Viziri dignitatem cuidam ex purpuratis promiserat. Itaque Alfdalus, cùm Mostansirus vellet, ut se vivo sacramentum Nezaro præstaretur, moram traxit: eo mortuo convocatis præcipuis Ducibus, & literatis, ultimam Califæ defuncti voluntatem fuisse dixit, ut filius ejus minimus regno succederet: quam productis testibus confirmavit. Nezarus & alii ejus fratres jurare in ejus verba coacti sunt: postea Alexandriam fugit, ubi obsessus est ab Afdalo, & captus: vitâque concessâ, cùm res novas moliri non desineret, in vincula conjectus est, & fame necatus: vel, ut alii scribunt, inter parietes duos ad mensuram corporis ejus ædificatos constrictus, miserè periit.

Jam verò ad res Ecclesiasticas revertendum, de quibus nihil ferè memoriæ proditum est ab Autore hujus vitæ usque ad annum 10um Patriarchatus Michaelis, quo ait obiisse Mostalin Califam Ægypti, postquam annos septem sub Afdali Viziri potestate regnasset, relicto impubere sex annorum filio Almansore Abu-Hali, qui ad solium evectus, novo cognomine appellatus est Amerbeahacamilla, 7us Fatimidarum qui in Ægypto regnaverunt. Fuit is annus Hegiræ 495us, quem assignat quoque noster Autor sub Helalæi nomine: Kharagium verò numerat 491um, Martyrumque anno 818 comparat. Is est J. C. 1102us, qui respondet partim anno Hegiræ 495°, partim sequenti 496°, qui incœpit à 15a Octobris. Eo ipso anno Legatus ad Afdalum ex Æthiopia advenit, rogans ut Metropolita ad Æthiopes mitteretur. Accersitus ab Emiro statim fuit Michael Patriarcha, jussusque petitioni eorum satisfacere, quàm citissimè posset, ut novus Metropolita cum Legato proficisceretur. Cùmque non facilè reperiretur aliquis huic ministerio idoneus, ex Vallis Habib Monasterio S. Macarii quæsivit Monachum nomine Georgium, quem Metropolitam ordinavit & in Æthiopiam misit. Ibi post breve temporis spatium cùm moribus incompositis omnium adversùs se odia concitasset, à Rege captus, omnibusque pecuniis, quas nefariis artibus collegerat, spoliatus, & in Ægyptum remissus est. Scripsit etiam Rex Afdalo adversùs eum, unde statim in vincula conjectus, diu mansit in carcere cum Fergio Monacho, quem ob vexatos Episcopos, alios- Res Æthiopicæ.

que Bederelgemalus pari pœna affecerat. Quomodo hæc missio cum altera, de qua in præcedenti vita diximus, cohæreat, dicere non possumus.

Accusationes adversus Episcopum Misræ.

De Episcopo Misræ Sanhuto, cùm autoritate Principis jussus fuisset Michael ne quid adversùs illum moliretur, tamen mortuo Bederelgemalo, iterum vexare illum Episcopum aggressus est, adeo ut ex urbe sua fugere coegerit. Et illo 10° Patriarchatus anno, congregatis Episcopis accusavit eum, quòd tempore Cyrilli bis eodem die Liturgiam celebrasset, semel in Muhallaca, semel in Ecclesia S. Sergii, eaque de causa excommunicatus ab eo fuisset, nec absolutus: quam ob causam Episcopatu & Sacerdotio excidisset. Ita compositâ ad arbitrium sententiâ, Episcopos ad eam subscriptione firmandam metu coegit: omnes enim ferociam ejus & impotentiam timebant. Illam sententiam quasi ab Episcoporum concilio confirmatam misit per unum ex syncellis suis ad Sanutium, ut eum citaret, & deponeret; sed ille postquam diversa in loca fugisset, tandem Misræ apud amicum latuit. Erat in eadem urbe Michael habitans in domo quam ædificandam curaverat prope Ecclesiam B. Mariæ Muhallacam. Duobus verò ante festum Pentecostes diebus, Ecclesiæ S. Sergii, quæ erat in Castro *Elchemah*, Oeconomo dari jussit ador, quantum opus erat ad parandas oblatas pro solennitate proxima: *Doron* hoc loco vocantur, sicut in diversis hujus Historiæ locis. Significare etiam jussit Sacerdotibus & omni Clero, se in eadem Ecclesia festo Pentecostes sacra facturum: se enim cogitare de illa constituenda in Ecclesiam Patriarchalem: dicebatque primariis Laicorum & plebi: Ego sum Episcopus vester, nec à vobis fugiam. Die Sabbati profectus est cum multis aliis Demnhuram versùs, obviam Afdalo, qui ex Tani redibat. Cùm salutationis officio functus fuisset, jumentoque suo impositus, statim quasi ictu, peste perculsus est, unoque aut altero verbo pronuntiato obmutuit, domumque reportatus, obiit Dominicâ Pentecostes, quæ incidebat in 30^{am} mensis Pachonis, anno 818° Martyrum, J. C. 1102°, Heg. 496°, anno Patriarchatûs 10° nondum completo: sedit enim annos novem & menses octo. Sanutius Episcopus Misræ ad Ecclesiam suam, magnâ civium lætitiâ reversus est.

Mors Cyrilli.

Tumultus ob Ecclesiam à Christianis ædificatam.

Circa ea tempora tumultus adversùs Christiànos extitit, eò quòd nobilis quidam Christianus Abuliemin, qui in Divano Provinciæ Inferioris sub Abdel-Messia ejusdem Divani Præposito of-

ficium exercebat, novam Ecclesiam ædificavit in loco vicino *Piscinæ Abyssinorum*, prope aliam dictam *Abi kadamet*. Erat ibi antiqua Ecclesia eodem nomine appellata, ubi tria altaria in totidem sacellis erant; primum S. Pachomii, secundum S^tæ Maharielis virginis & martyris, tertium S. Severi Patriarchæ Antiocheni. Cùm ædificium vetustate labasceret, illud restaurare cœpit Abuliemin absque diplomate aut licentia Emiri: qua ratione delatus est ad ejus tribunal, non modò quòd Ecclesiam absque illius venia ædificavisset; sed etiam quòd Meschitam vicinam vetustate collapsam solo æquasset, materiam omnem ædificandæ Ecclesiæ impendisset, locum ipsum occupasset, hortumque ibi fecisset. Res testibus adductis comprobata, eum exitum habuit, ut Ecclesia à Muhamedanis occupata atque in Meschitam conversa fuerit.

Expeditio Francorum Hierosolymitana.

Patriarchatus Michaelis insignis fuit expeditione prima Francorum in Palestinam, de qua cùm longè plura àpud Autores nostros, quorum historias continet famosa illa Collectio sub titulo *Gesta Dei per Francos*, reperiantur quàm apud Muhamedanos, pauca & necessaria dicemus. Quidquid enim dicere sæpè soliti fuerint viri aliquot in literis Orientalibus doctissimi, quasi Arabes historici nostros longè superent, neque absque illorum subsidio quidquam in sacri Belli rebus intelligi queat, verum id ex aliqua parte est, nam ab aliis quàm à Muhamedanis, nomina hominum & locorum, Dynastiarum distinctiones, statum denique Orientis qui tunc erat turbatissimus, agnoscere difficile est, nisi hæc ab Orientalibus ipsis petantur. At quantùm ad rerum gestarum seriem, cùm in pari, imò & majori ignorantia Europæ illi fuerint, ac nos Orientis, qui eos solos consulere vellet, non meliora reperiret passim, quàm quæ apud Elmacinum & Abulfaragium extant; in aliis plus verborum erit, rerum non magis. Utrumque igitur studium conjungat necesse est, qui hanc historiam diligenter explicare velit; sed ita tamen ut Autores Belli sacri Latinos, longè præferat; neque enim vel unum Orientales habent, qui non cum Willelmo Tyrio, scriptore accurato, & docto; cujusque virtutes omnes agnoscere non cujuscumque lectoris est; sed cum illis qui sordidi maximè judicantur, possit comparari. Cùm porro historiæ illius pertractatio singularem operam desideret, in ea non aliter immorabimur, quàm ut præcipuas res suis temporibus assignemus; simulque moneamus quinam illi principes Muhamedani aut cuja-

tes erant, cum quibus Cruce signati prosperis initiis pugnaverunt: summa enim apud Historicos nostros obscuritas nascitur ex confusis Soldanorum, Miramolinorum, Califarum, Emirorumque appellationibus: neque enim hæc ab advenis sciri facilè poterant, quamvis ut verum fateamur, plerumque castigatè de illis loquatur Willelmus Tyrius, neque illius culpâ sed lectorum imperitiâ factum sit, ut quæ rectè in literas miserat, perversè intelligerentur. Ut igitur paucis dicamus de sacra Francorum in Orientem expeditione; hæc sunt quæ in Musulmanorum annalibus annuatim de illis referuntur.

Res illius expeditionis præcipuæ.

Anno Hegiræ 490°, J. C. 1096°, ab illis Nicæa capta est.

Anno 491°, J. C. 1097°, captæ Antiochia, Mearra, & aliæ minores urbes, cum ingenti Muhamedanorum cæde.

Anno 492°, J. C. 1098°, die Veneris 13ª mensis Chaaban, capta sunt Hierosolyma. Erat urbs sub potestate Mostali Califæ Ægyptii: eam enim expugnaverat ante triennium, anno scilicet 489°, Afdalus Emirus, atque inde pepulerat filios Ortok, Sakmanum & Ilgazium, qui eam sub Seljukidarum clientela tenebant. Cùm Bederelgemalus ejus pater supremam in Ægyptiaco Fatimidarum regno autoritatem sibi confirmasset, statim amissam Syriæ partem recuperare aggressus, Tyrum aliasque multas urbes ceperat: nam Fatimidæ olim totam Syriam, Palestinamque obtinuerant. Afdalus patris vestigia secutus, alias oppugnavit faciliori successu, quòd mortuo Melikschah, filii ejus civilibus bellis vires amplissimas attriverunt: beneficiarii principes, in vicinos debiliores vi & fraude grassabantur: atque ita in multos exiguosque principatus divisa erat Syria. Sackmanidæ potentiores facti Hierosolyma obtinuerant: eaque urbe capta, Afdalus Præfectum urbi constituerat Aftekhareddoulam, qui infœliciter eam adversus Francorum exercitum defendit. Atque Ægyptii Califæ nomine Legatio cum literis missa, cujus meminerunt Albertus Aquensis, Willelmus Tyrius, & alii, eo spectabat, ut se hostem Turcarum ostenderet, & Christianos spe alicujus fœderis incautos opprimeret. Turcarum autem nomine, quod apud rigidiores Muhamedanos opprobrii vim habebat, non modò designabantur Seljukidæ qui rerum potiebantur jam à Togrulbeghi tempore, quique revera Turcicæ erant originis; sed etiam per contemtum ita vocabant Fatimidæ, Abbassidas qui ex Chorasana, Turkestaniaque prodierant, quosque ut invasores Pontificatus atque Imperii detestabantur, dirisque devovebant. Nam simul atque urbs aliqua in Ægy-

ptiorum potestatem venerat, publica pro Califis Fatimidis tanquam legitimis Pontificatus & Imperii successoribus fiebat oratio. Attamen cùm tot Francorum victoriæ, Muhamedanorumque ad centena multa millia cædes, magnum toto Oriente terrorem injecissent, cœperunt illi compositis, quantum fieri poterat, privatis simultatibus, de communi periculo cogitare. Itaque copias ex omnibus ferme provinciis eduxerunt præterquam ex Ægypto : unde nisi post cladem urbis sanctæ, pedem Afdalus non extulit.

Christianis Ægyptiis prohibita à Latinis Peregrinatio Hierosolymitana.

Mirum nemini esse debet, ea clade tantopere perculsos Muhamedanos fuisse, qui urbem celebrem sanctitate, & ad quam Christiani ex toto orbe confluerent, ereptam sibi deplorabant. Sed non minor fuit Jacobitarum Ægyptiorum dolor, tantum erat illo tempore hæresis illius adversùs Ecclesiam Orthodoxam odium. Nec illum dolorem suorum Autor noster dissimulat, dum ita scribit. *Inde factum est ut nos Christiani Jacobitæ Coptitæ non ampliùs peregrinationis religiosæ ad eam urbem instituendæ facultatem habeamus, sed neque ad eam accedendi. Notum est enim odium eorum adversùs nos, quasi in fide erremus, adeo ut palam nos impietatis condemnent.* Hæc propria ipsius verba referri, visum est operæ pretium, ut ex eo loco & multis aliis quæ alibi relata sunt intelligatur, quàm absint longè, non modò à vero, sed etiam à verisimili, quibus visum est doctrinas quæ consensum perpetuum Ecclesiarum Orientalium & Occidentalium certissimè demonstrant, præsertim de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, in Orientem illatas & propagatas fuisse, ab eo tempore quo Franci in Palestina regnàverunt. Videmus enim statim ademtam ab illis fuisse Jacobitis Ægyptiis sacræ peregrinationis libertatem, quasi hæreticis. Paulò pòst, cœpere Orientales Christiani Latinorum fidem moresque perspicere ; statimque illos errorum, tam in fide quàm in disciplina, multorum damnaverunt; adeo ut ne minimis quidem in rebus illis parcerent, quæ salva fide possunt tolerari. Quos verò adversùs Latinos edidere Tractatus, illi circa regni Hierosolymitani tempora proculdubio facti sunt, cùm multa accusationis capita contineant, quæ disciplinam spectant, corruptam, ut omnes sciunt, & prope eversam in illius Belli licentia. Talis est Tractatus Petri Melichæ Episcopi, qui à multis aliis descriptus est : tum Expositio Liturgiæ facta per Dionysium, Barsalibi, & eo consilio, quod ipse testatur, ut haberet Metropolita Hierosolymitanus Jacobitarum, unde suæ Ecclesiæ

fidem & instituta adversùs Francos qui urbem obtinebant, defenderet. Sed plura de illis odiis dicentur, & alibi dicta sunt.

De Nili obstructione.

P. 289.

Aliam, cujus nulla apud Historicum nostrum memoria est, ex Elmacino narrationem referemus, quæ cùm hujusmodi sit ut eruditorum ingenia exercere non mediocriter debeat, ipsius verbis illam referemus. *Tempore illius, nempe Michaelis Patriarchæ, Nilus quamplurimum decrevit: ita ut Mustansirus illum in Æthiopiam mitteret cum muneribus & ornamentis multis: eique obviam venit Rex ejus: & cùm illum prostratus salutasset, quæsivit, qua de causa eò venisset, & exposuit illi quòd Nilus Ægypti diminutus esset, unde magnum regioni & populis damnum consequeretur. Itaque diverticulum seu septum recludi jussit, ut aqua inde in Ægyptiacas regiones deflueret, idque propter adventum Patriarchæ: crevitque Nilus una nocte ad tres cubitos & ad plenam mensuram exundavit, irrigataque terra & consita est: magnoque cum honore rediit Patriarcha in Ægyptum, illumque Mustansirus Princeps beneficiis & veste ornavit.* Eandem historiam, ut multa alia, ipsis verbis ex Elmacino refert Makrizius, & ex eo, ut videtur, non tamen nominato, Autor non valde antiquus Descriptionis Raudæ, cui titulus *Kawkab el Rawdet*, cujus maxima pars occupatur in Collectaneis de Nilo per ordinem distribuendis; & non deerunt fortassis alii qui eamdem exscripserint. Ipsam quoque, sed ex Elmacini quem solum viderat testimonio, retulit, & attento examini subjecit vir clarissimus Jobus Ludolfus, deque ea multùm dubitat, nec immeritò. Absurdum quippe illi prorsus videtur, ut diverticulo tanta vis aquarum in aliam partem, Orientem versus emitti posset: neque tamen Æthiops ille suus Gregorius id impossibile judicabat. Dicebat autem *se à fide dignis hominibus accepisse, haud procul ab eo loco ubi cataractæ Nili sunt, terram omnem, Orientem versùs, declivem esse, & nisi mons unicus obstaret, Nilum potiùs illuc quàm in Ægyptum aut in Mare Septentrionale fluxurum. Igitur monte illo, labore non adeo difficili perfosso, flumen omne averti & in Mare Orientale, id est Rubrum, derivari posse. Gnarum id Turcis, multisque Lusitanorum; & Imperatorem Æthiopiæ hanc ob causam sæpè olim præclaras conditiones à Saracenis obtinuisse: imo id illum semel effectui dare voluisse, atque laborem suis imperasse: sed à Christianis Ægypti exoratum fuisse, quos simul omnes perituros constiterit.* Hæc ex Gregorii Æthiopis

Hist. Æthiop. L. 1. c. 8. & Commentar. ad eum locum p. 132. § 66. Wansleb. Rel. It. p. 47. Gall. 61.

pis relatione Ludolfus. Id etiam, sive verum sive falsum fuerit, credidit sanè fieri posse maximus ille Alfonsus Albuquerquius, ut ex Commentariis ejus patet. Quòd si movere autoritas Elmacini Ludolfum potuit, multò magis Makrizii, qui, si quis umquam inter Orientales, magno judicio scripsit: ut Autoris etiam alterius quem nominavimus. Kircherum nihil moramur, qui omnia quæ Indici Patriarcharum suo addidit, non ex Autore ullo idoneo, sed ex Elmacino descripsit. Verùm aliam quoque habemus autoritatem, in Epistola Magistri Hospitalarii Hierosolymorum, ad Carolum VIIIum Francorum Regem scripta anno 1448°, in qua loquens de Presbytero Joanne Indorum Imperatore, hæc habet. *Destinavit præterea Oratorem hic Indorum Rex Soldano Babyloniæ cum muneribus, sicut mos Orientalium est; ei denuntians, nisi ab affligendo Christianos desierit, se bellum pestiferum civitati Mechæ, ubi sepulcrum Machometi esse dicitur, Ægypto, Arabiæ, & Syriæ quæ ditioni ipsius Soldani subjectæ sunt, illaturum, flumenque Nili totum qui Ægyptum irrigat, & sine quo nullus ibi vivere posset, surrepturum, & iter aliud illi daturum simili pacto minitans.* Habetur hæc Epistola Spicilegii Tom. 7°: neque defutura videntur aliquot ejusmodi testimonia Autorum recentioris ævi, qui eam sententiam confirment. Attamen magis accedendum videtur ad eorum opinionem, qui huic Elmacini narrationi fidem non facilè adhibendam existiment. Nota sunt eruditis, quæ de Nili fontibus nostro aut superiori sæculo detectis, Autores multi scripserunt, præsertim Hieronymus Lupus, qui in Æthiopia per annos aliquot vixerat: & Baltazar Tellezius, uterque è Societate Jesu; quorum hic in historia Æthiopiæ quam Lusitanicâ linguâ edidit, veram fontium descriptionem dedit, nec fabulosas, ut alii, sed certas causas exundationis Nili, quæ antiquos tantopere exercuit, dum remotissimas & abditas investigando, eas negligebant quæ verisimillimæ videri debebant; & quas Autores antiquissimi tanquam notissimas tradiderant, antequam experientiâ oculatorum testium confirmatæ fuissent. Jam enim certum est imbres qui in Æthiopia continui & largissimi decidunt mense Maio, immensam illam vim aquarum producere, quæ Nilum augent tantopere, ut totam Ægyptum inundet: & id multi scripserant conjectando tamen: quorum collecta testimonia edita reperiuntur ab Henrico Stephano ad calcem Herodoti. Sed ut rem certam tradiderat Athanasius, aut quicumque tandem sit scriptor vitæ

P.4.c.7.

Hist. de Æthiop. L.1.c.5.

Antonii. Strabo l. 4° & 17°, Heliodorus in Æthiopicis, & alii. Parem causam assignavit quasi ab Æthiopibus acceptam Benjamin Tudelensis in Itinerario suo : & alii fortassis ; ut ex recentioribus Leo Africanus libro 9°, & multi alii. Hanc quoque rationem cum aliis retulerunt Arabes Geographi aut Historici ferme omnes, sed simplicior erat quàm ut recipi posset. Cùm igitur ex imbrium copia, Nilotica incrementa producantur, fieri nequit, aut impossibile saltem videtur, maximi fluvii cursum averti in alterum Mare posse : atque ita totam Elmacini narrationem contemnendam arbitramur. Neque est cur historici autoritate moveamur, quæ ut ex tota hujus Epitomes serie satis apparet, mediocris, si non planè nulla esse debet, præsertim cùm Autor vitæ Michaelis, ætate suppar, qui Legationis Regis Æthiopiæ meminit, & missi ad eum Metropolitæ quem Michael ordinavit, nec profectionis Patriarchæ, nec clausi apud Æthiopas fluminis, meminerit. Adde quòd cùm Michael nonnisi annis duobus Mostansirum viderit, nempe anno 486 & 487°, quo obiit, illis ut etiam 485° præcedente, aqua ultra sexdecim cubitos creverit. At id fieri non poterat, si clausa fuissent ostia quibus ab Æthiopia in Ægyptum flueret, neque annonæ raritas metuebatur, cùm ad duodecim cubitos incrementum pervenerat. Nam ut Edrisius vel quicumque sit Autor Geographiæ Nubiensis vulgò dictæ, omnesque Arabes & Persici Geographi docent, cùm incrementum Niloticum est cubitorum sexdecim, terræ magna pars alluitur ; cùm decem & octo, tota regio ; estque tunc summa ubertas : cùm viginti, damnum infert : & modò duodecim excederet, nihil erat periculi. Testis de suo tempore Julianus Augustus Ep. 50ª ad Ecdicium Ægypti Præfectum, quâ non sine lætitia, ut videtur, nuntiat fluvialis exundationis mensuram ad cubitos quindecim ascendisse. Anno Mostalis 1°, qui erat 488us, cubitorum 17½ fuit : 489°, 13. cub. digitorum 17. 490°, cub. 17. dig. 1. 491°, cub. 18. dig. 16. 492°, cub. 18. dig. 14. 493°, cub. 18. dig. 15. 494°, cub. 18. dig. 7. 495°, quo obiit Mostali, cubit. 17. digit. 13. Itaque tam extremis Mostansiri annis, quàm toto Mostalis vitæ decursu, ex quo Patris loco regnavit, semper Nilus exundavit ; cùm tamen, si Elmacino credendum est, eo anno quo in Æthiopiam Michaelem missum ait, non modò non creverit, sed etiam diminutus sit. Imò omni illo temporis spatio, si an. 489um excipimus, ad eam mensuram crevit, quæ ubertatem efficeret, quamvis tredecim cubitorum incrementum

Itin. Benjam. p. 118.

Hist. Ægypti t. 2. ad hos annos Historia Nilotica.

Geogr. Nub. Clim. 3. p. 3. p. 98.

publicæ inediæ cauſa non eſſet, ſed minoris fertilitatis. Cùm igitur ex certis annalium Nili monumentis, quæ extant in Libro qui Tarich Nil appellatur, & qui ſingulis annis incrementa notat, & Ebn-Werdi in Hiſtoria ſua Ægyptiaca, probaverimus fluvii ſolitam exundationem toto decurſu Patriarchatus Michaelis non defeciſſe, imò ſi unicum annum excipias, fuiſſe ad juſtam menſuram, non eſt cur Elmacini teſtimonio quidquam tribuatur. Hæc fuſiùs & minutiùs fortaſſis quàm par erat, perſequi viſum eſt operæ pretium, tum quia non obvia ſunt, tum quòd ex neglecta una fabella, magna Geographiæ & hiſtoriæ conturbatio oriatur: tum quòd virum doctiſſimum Ludolfum in ea difficultate ſolvenda plurimùm laboraſſe agnoſcamus: tandem quia nuper alius magni ſanè inter literatos nominis nobiſque dum viveret conjunctiſſimus Bartholomæus Herbelotius, illam retulit ex Elmacino in Bibliothecam Orientalem ſuam, abſque ulla cenſura. Quamvis autem neminem fortaſſe in his peregrinis literis doctiorem noſtra aut ſuperior ætas viderit, tamen quia Collectanea illa quæ in Alphabetum digeſta ſunt, caruerunt poſtrema Autoris emendatione, non majorem habent autoritatem, quàm à ſcriptoribus ex quibus illa deſumpſit: hic autem non alium quàm Elmacinum nominat.

Quæ diligentiſſimi Continuatores Bollandiani laboris, de hoc Patriarcha ſcripſerunt, omnia ex Elmacino, & obſervationibus Ludolfi tranſlata ſunt: quid de illis ſentiendum ſit, ex illis quæ huc uſque diximus, ſatis intelligitur. Rectè porro Michaelem non in carcere detentum, ut habet Elmacini verſio, ſed Eremitam, viri doctiſſimi fuiſſe intellexerunt: rectius etiam ſi intelligatur cum ex illo Aſcetarum genere fuiſſe, qui *Habis*, hoc eſt Ἔγκλειστοι, ſeu Recluſi dicuntur. Neſteruha pagus Ægypti, unde ortus erat Michael, non Neſterudu, quæ eſt vox nihili. ſ. 512. & ſeq.

MACARIUS PATRIARCHA LXIX. MACARIUS Patr. LXIX.

VACANTE per Michaelis obitum Alexandrina Jacobitarum Sede, ad Miſræ Clerum & cives, Monachoſque S. Macarii pertinebat ea vice ſucceſſoris ejus electio. Dubitari poſſet an Monachis, tanquam potiori Laicorum parti, jus eſſet ferendi ſuffragia: fortè quia in Diœceſi Miſræ Monaſterium erat, niſi jam ab aliquot ſæculis jam tunc in uſu receptum eſſet, ut inter eos multi Monachorum S. Macarii jura ad eligendum Patriarcham.

ad sacerdotium aut diaconatum promoverentur. Præterea Monasterii hujus summa erat apud Coptitas, præsertim à Benjamini tempore, qui per annos aliquot ibi latuerat, antequam capta à Muhamedanis Ægypto prodiret, dignitas & existimatio, tum quòd esset privilegiis multis ornatum, tum etiam quòd Patriarchæ ibi Quadragesimam & Festa Paschalia ut plurimùm celebrabant. Malim igitur convocationem illam Monachorum ad comitia Patriarchalia, referre ad communem disciplinam, cujus originem Autores non assignant. Quantùm ad alternationem illam, cujus exempla jam aliquot occurrerunt, pertinet, illius quoque origo nobis obscura est; nec alia videtur fuisse, quàm quòd præcipui inter Christianos, cùm essent in Aulicis Ministeriis, præsertimque Divanorum sive Curiarum Scribæ plerumque forent, obtinuerunt autoritate sua, tam apud Christianos quàm apud Principes, ut in urbe, quæ jam caput regni erat, & unde peti debebat electionis confirmatio, comitia aliquando fierent; ut ipsi, qui ob negotia sua Alexandriam proficisci non poterant, liberè illis intervenirent; tum etiam ut Alexandrini, qui tanquam Clerus & Cives urbis primariæ, & in qua Patriarchalis Cathedra antiquitus fuisset, omnem illorum comitiorum potestatem ad se non traherent, quod sæpiùs conati sunt. Quidquid sit, ea tandem fuit per aliquot sæcula consuetudo, ex qua satis intelligitur, quodnam esset in eligendo Patriarcha jus Cleri & Plebis. Nempe in ea urbe, cujus vices erant, conveniebant Episcopi, Monachi, & etiam Laicorum præcipui, etiam ex aliis urbibus, ut ex sequenti narratione fiet manifestum. At electionem, quæ à solis Laicis facta fuerit, aut etiam à solis Sacerdotibus, nullam huc usque observavimus; neque talem contigisse, aut secundùm illarum Ecclesiarum disciplinam fieri potuisse, accuratè demonstrant ea quæ de electione Patriarchæ scribunt Ebnassalus in 2ª Operis sui Theologici parte, & Abulbircat.

Literæ ad vocandos Episcopos ad electionem.

Mortuo igitur Michaele, Clerus & Cives Misræ, ubi conventus indici debebat ad eligendum ejus successorem, literas miserunt ad omnes Episcopos, tam in provincia inferiori, quàm in superiori, seu Sahide, quibus significabant de obitu Patriarchæ, eosque hortabantur ut in urbem, quàm citissimè fieri posset, convenirent, ad eligendum ex communi omnium consensu, qui ad eam dignitatem sustinendam magis idoneus videretur. Pares literæ ad Alexandrinos missæ sunt, tam Kahiranorum, quàm Monachorum S. Macarii nomine. Cùm autem ipso Pentecostes die, atque adeo

in media æstate, Michael obiisset, omnesque occupati essent in colligendis terræ fructibus, Episcopos quoque ea cura tangeret, ob primitias, decimas, & alia Ecclesiarum suarum jura, pauci admodum Misram venerunt ante festum sanctæ Crucis. Dies hujus solennitatis in Kalendario Copticarum est 17us mensis Toth, qui cùm non exactè respondeat Septembri Juliano, (nam incipit à 29ª Augusti) eodem die tamen apud nos & apud illos festum celebratur: nam 17us Thoth est 14us Septembris, quo Exaltatio sanctæ Crucis apud nos agitur.

Qui primi venerant, Misram profecti sunt ad Monasterium S. Macarii, ut cum Episcopis, quorum aliqui jam eò se contulerant, & Monachis communes ad Deum preces facerent pro fœlici boni Pastoris electione. Erat jam inchoatus mensis Paophi, diesque aliquot partim orando, partim consultando transacti sunt, dum inquireretur de Monachis qui doctrinâ & morum probitate præ cæteris commendarentur. Inter omnes duo præcipuè publicâ famâ, omniumque testimoniis laudati, digni visi sunt qui cæteris præferrentur, Macarius Sacerdos ad sancti Macarii, & Junes, sive Joannes Diaconus; constitueruntque inter se Episcopi, & cæteri qui ipsis in consilio adfuerant, ut alteruter eligeretur in Patriarcham. Scripserunt igitur ad eos qui Kahiræ adhuc aut Misræ hærebant Ecclesiasticos & sæculares, de utriusque laudibus, & per easdem literas polliciti sunt se alterutrius, qui dignior illis videretur, inaugurationi assensuros. Illi verò congregati sunt in urbe veteri, seu Misra, ad Ecclesiam S. Sergii Martyris in Castro *El-Chemah*; lectisque literis, & earum relatione facta, tum auditis qui Monachos illos duos noverant, Macarium prætulerunt. Erat enim senex, eloquens, Canonum, qui ad Regularem vitam spectant, peritus, rerumque experientiâ subactus. Joannes à doctrina, & dicendi facultate commendabatur; sed erat juvenis: Canones autem qui conditiones necessarias continent in eo qui Patriarcha eligendus est, juxta Abulbircat & Ebnassalum, præcipiunt, ne quis ad eam dignitatem assumatur, minor annis quinquaginta. Omnes igitur una voce Macarium proclamaverunt, scripseruntque ad congregatos Episcopos quòd in eum vota omnium consensissent: illi electionem ratam habuerunt.

Mox missi qui Macarium adducerent: at ille invitus & reluctans, dixit se neque doctrinam habere talem, neque in rebus Macarii electio.

Ecclesiasticis satis esse versatum, ut tanto muneri par sibi videretur: præterea natum se ex secundo conjugio, atque ita non posse legitimè ordinari. Excluduntur quidem per mox laudatos à nobis Canones, qui ex matre secundis nuptiis implicata nati fuissent; sed istius irregularitatis, quam in se accusabat Macarius, non meminerunt. Verùm nulla ad illius reluctationem ratione habita, statim ornatu Patriarchali vestitus est in ipso loco, ordinatusque Dominicâ 13ª Athyr, anno Martyrum 819°, J. C. 1103°, Hegiræ 497°, juxta vulgarem supputationem 492°, secundùm Kharageos. Postea Misram ductus est, divertitque ad Ecclesiam S. Cosmæ prope pontem vicinum horto Zaherio. Abulfadel cognomine Ebn-Elescof, seu Episcopi filius, qui magna apud Emirum supremum gratia & autoritate valebat, (erat enim ipsi ab actis & epistolis, Divanorumque aliquot præfecturam administrabat,) obtinuit ab eo ut novum Patriarcham benignè susciperet: & quandoquidem Monachus erat, atque adeo pauper, ut ne drachmam quidem possideret, rogavit Emirum, ut remitteretur ei pecunia quam donarii titulo Præfecti Alexandriæ à novis Antistitibus exigebant. Id ultrò concessit Afdalus, Macariumque cum maxima pompa ad se venientem benignè suscepit, eique literas sigillo regio munitas scribi jussit ad omnes Præfectos, Duces & Ministeriales Divanorum, quibus ei auxilium, si opus foret, favoremque præstare jubebantur; tum prohibebantur ab eo quidquam exigere sub quocumque titulo. Cùm verò Macarius ad salutandum Emirum processit, exivit ex Ecclesia S. Cosmæ, præeuntibus Sacerdotibus qui psalmos & hymnos ex libro canebant: Evangeliaque, thuribula & cereos accensos præferebant. Episcopi Patriarcham cingebant: Laicorum primarii sequebantur: cohortes aliquot præsidiariorum militum latera claudebant. Pari honore Alexandriæ à Præfecto urbis susceptus est: factaque est ejus inauguratio in Ecclesia S. Marci eodem anno, 12ª mensis Cohiac. Ea ratione vacavit sedes, mensibus quinque, diebus tredecim. Erravit, ut sæpè, Abulbircat, dum assignavit ordinationi mensem Bayni, & annum Martyrum 817um: & cùm Michaëlem anno superiori obiisse scribat, ex ejus calculis vacavisset sedes anno integro. Elmacinus annum Martyrum 819um, eumdem cum Autore nostro, 1um Michaelis numerat: sed cùm anno 496° Hegiræ comparat, neque errare, neque accuratiori supputationi contradicere censendus est. Nam quando electus est Michael, annus Hegiræ

decurrens numerabatur 496us; qui inceperat à 15ª Octobris: desiit verò 3ª ejusdem mensis, qui secundus erat in anno Ægyptiaco. Quòd autem Alexandriæ confirmatum eum asserit, nihil aliud his verbis significatum voluit, nisi proclamationem, Ἐνθρονισμὸν Græci vocant, in ea Ecclesia factam, quæ adeundæ, ut vulgò loquimur, possessionis forma erat. Eadem habet Makrizius, qui ubique Elmacinum exscribit. Hæc autem annotamus, quia versio ab Erpenio facta, tot erratis præsertim circa res Ecclesiasticas obsita est, ut à nemine sæpè possit intelligi. Quis enim per *præfecturam Ecclesiæ* ordinationem sacramentalem significari suspicetur? aut *rem sacram administrare*, idem credat ac Liturgiam celebrare; & multa similia?

Contentio cum Alexandrinis.

Cùm tandem novus Patriarcha in Alexandrina D. Marci Ecclesia proclamatus & salutatus fuisset, magna ipsi cum Alexandrinis contentio fuit, ob annuam aureorum quingentorum pensionem, qui in sumtus Ecclesiarum deputabantur. Cùm enim syngrapham, quâ decessoris sui exemplo quingentos aureos quotannis persolvere polliceretur, ab eo exigerent; ille subscripturum se negavit, testatus se daturum quæ posset, plura etiam, si facultas suppeteret; verùm suæ sibi paupertatis conscium nunquam obligaturum se ad præstandum quod fortasse solvere nequiret. Si hæc ad eum excusandum non sufficerent, rogabat se ut sinerent ad Monasterium reverti; quod sibi optabilius foret, quàm dignitas ad quam illum nihil tale cogitantem vocavissent. Tandem multis ultro citroque sermonibus habitis, persuaderi sibi passus est, ut aureorum ducentorum quotannis solvendorum syngraphæ subscriberet, quâ contenti Alexandrini conquieverunt.

Alia cum Monachis S. Macarii.

Venit deinde Misram, seu Kahiran veterem, ut primam illic Liturgiam solennem celebraret, atque proclamaretur. Advenerat Sabbato, 24^a Cohiac; Dominicaque sequens huic officio destinata fuerat: sed intervenientes Monachi S. Macarii, dixerunt primam Liturgiam solennem, post eam quæ Alexandriæ à novis Patriarchis celebrabatur, ex antiqua consuetudine alibi quàm in Ecclesia S. Macarii celebrari non debere: eam legem à decessoribus ejus observatam, quam si immutare conaretur, aut Misræ in Ecclesia Muhallaca sacra faceret, antequam fecisset in altari S. Macarii, pro certo sciret nullum ipsi cum Monachis illius Monasterii fore commercium, neque commemoraturos nomen ejus ad altaria sua in Liturgiis aliisque precibus publicis, neque permissuros

ut eorum Ecclesiam ingrederetur, aut in ea sacra faceret; seque vitam priùs, quàm loci prærogativam amissuros. Ne igitur animos eorum majorem in modum exacerbaret, eâ Dominicâ Liturgiam non celebravit, neque diebus sequentibus, donec ad S. Macarium profectus, Monachis satisfecisset, celebratâ Liturgiâ in eorum Ecclesia, Dominicâ 23ª Tybi. Ultima die ejusdem mensis Misram rediens post solennem Synaxin, in Ecclesia S. Mariæ Muhallaca proclamatus est.

Instrumentum electionis Patriarchæ publicè lectum.

Observat Autor noster in ea cæremonia inter Missarum solennia lectam esse formulam quam *Taklid* vocant, Græcè, Copticè & Arabicè. Literæ illæ erant communi Episcoporum, & præcipuorum Ordinis Ecclesiastici & Monastici nomine scriptæ ad omnes Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, omnemque plebem Christi amantem, Alexandriæ & in tota Ægypto, quibus postquam significaverant obitum Patriarchæ, cujus memoriam laudibus prosequi solebant, testabantur se in ejus locum elegisse, alterum nomine talem, cujus simul doctrina, virtutes & antè acta vita commendabantur. Huic instrumento subscribebant Episcopi, postea tres Sacerdotes Alexandrini, tresque Diaconi: tum Komos seu Archimandrita S. Macarii, tandemque primi dignitate inter cives Alexandrinos & Cahiranos. Tale erat exemplum quod suo tempore observatum inseruit Abulbircat operi suo, etsi propriè non *Taklid*, seu *Tazkiet* vocari videatur. Alterum, quod eo nomine designat instrumentum, & cujus formam exhibet Copticè & Arabicè, simile est quodam modo, & vocatur Græca voce Συστατικὴ, quasi commendatorias tantùm literas contineret: cùm tamen prioris exemplo, electionem novi Patriarchæ factam doceat, eo tantùm discrimine quod prolixius est & ornatius. Tertium tandem utraque lingua exhibet, quo propriè & paucis verbis significatur, talem electum & ordinatum fuisse Patriarcham Alexandriæ. Utriusque hujus instrumenti formulas reperimus in Pontificali Seguieriano, Coptico-Arabico. Prima quæ ea est quam *Taklid* & *Tazkiet* vocat historicus, extat in eo Codice Græcè, Copticè & Arabicè, & ea vocatur voce Græca Ψήφισμα, hoc est Decretum de Electione. Altera Συστατικὴ vocatur: Tertia, cujus historicus noster meminit, in eodem Pontificali non extat.

Pontif. Seguier. Ms.

Quamvis porro non dubitemus prolatam ab illo Autore actorum formam esse legitimam, quia tamen scripsit longè post illa in

in quibus versamur tempora, mutationem aliquam intervenisse facile fuit. Nam Autor noster unius Instrumenti meminit, quod quidem legi debebat in illis Ecclesiis ubi novus Patriarcha proclamabatur: & ex quo constabat electionem factam esse secundùm Canones, electum esse Monachum, ejusque electionem factum fuisse, communique consensu approbatam ab Episcopis, à Clero, à Monachis præsertim S. Macarii, & à Laicorum Alexandriæ Misræque primoribus. Prima quam Abulbircat exhibet forma, antiquior omnino censenda est, & statim literis consignata antequam ordinatio celebraretur; electo stante adhuc coram Episcopis, qui in Throno sive superiori loco erant: & inter duos Sacerdotes medio. Eam verò formulam instrumenti, scriptam in charta, antiquior Episcoporum dabat Diacono, qui ex Ambone, ut notant Abulbircat & Ebnassalus, eam legebat: antequam novus Patriarcha ordinaretur, & in ipsa ordinatione. Secundæ formulæ literarum locus fuit post celebratam ordinationem ubi ἐνθρονισμὸς fiebat; & ea est de qua Autor noster loquitur, ex cujus verbis docemur adhuc ineunte 12° sæculo servatum fuisse Alexandriæ morem, ut illæ literæ quas Συστατικὰς vocant, Græcè ad antiquitatis honorem legerentur: quod sequentibus quoque sæculis observatum fuisse Pontificalis liber testatur.

Jam verò ut ad Patriarcham revertamur, facta illius proclamatione Misræ in Ecclesia Muhallaca, more consueto Liturgiam celebravit; & omnibus qui in Ecclesiam convenerant Christianis, communionem distribuit: id enim observabatur ubicumque primam solennem Liturgiam novus Antistes celebraret, ut Ebnassalus & Abulbircat notaverunt, & Autores istius historiæ multis in locis.

Anno 5° Macarii, qui erat Hegiræ 501us, juxta Autoris supputationem, annorum scilicet Helalæorum sive Lunarium, lectum est Diploma Emiri in aula majori Palatii, quo edicebatur, ut eo anno deincepsque supprimeretur computandi ratio secundùm annos Kharagios dictos, qui erant solares. Fusè hæc explicat Makrizius in Descriptione Ægypti: sed cùm hæc ad Chronologiam & Kalendariorum rationem spectent, non ad institutum nostrum, nec paucis verbis explicari queant, scire sufficit ad hæc usque tempora Coptitas, etsi in suis negotiis contractibusque inter Christianos semper æram Martyrum quæ ducit initium ab anno J. C. 284°, usurpaverint præsertim in rebus Ecclesiasticis, tamen secutos fuis- Mutatio formæ anni Ægyptiaci.

Qqq

ſe aliam annos computandi methodum, de qua nihil quod ſciam huc uſque ab Chronologis proditum eſt. Supputabant ſiquidem annos ab Hegiræ capite : verùm cùm Muhamedani annis lunaribus utantur, qui dies 354 efficiunt, Coptitæ eumdem annum conſtituebant menſibus propriis ſuis, qui 30 dierum ſunt, quique adjunctis Epagomenis ad verum annum ſolarem reducuntur. Hos igitur menſes cùm adhibuiſſent ad ſupputandos Hegiræ annos, triginta tribus annis elapſis, annus currens Hegiræ uno anno Copticum antevertebat; atque ea eſt diſcriminis ratio quam aliquando notavimus : igitur anni *Kharagii* ſolares ſunt : ita dicti quòd ſecundùm eos menſes, qui Ægyptiacum annum componebant, atque adeo ſolares, Tributum quod *Kharage* appellant, exigeretur. Hanc igitur ſupputandi rationem Edicto ſuſtulit Afdalus anno 501°; adeo ut anni ſolaris mentio nulla in tabulis publicis, aut tribunalibus fieret. Tentatum id antea fuerat à Moſtangido Califa, ſed nullo ſucceſſu. Hujus Edicti qui præter Makrizium meminerit, vidimus neminem : neque de ea mutatione quidquam habent Annales Ægypti. Ea verò occaſione monitos lectores velim Joſephum Scaligerum virum ſanè doctiſſimum, quique magnos in Orientalibus literis progreſſus fecerat, de iis tamen quæ ad Orientalium Cyclos, Periodoſque pertinent, quamvis ubique teſtimoniis ex quacumque lingua quæſitis libros ſuos de Emendatione temporum inſerſerit, in hoc tamen genere nihil omnino vidiſſe. Unde non modò multis locis ubi aquam hærere ſibi fatetur, ſed ubique fermè errat; tantùm abeſt ut ex ejus dictatis emendari Chronologiæ, quam in hoc opere ſequimur, ratio debeat.

Tempeſtas. Anno 504°, ingens turbo ventorum, pulveriſque exortus eſt, ſequentibuſque diebus aer fervidus, rubenſque tanquam flammæ diſcurrerent, quæ tantum omnibus terrorem incuſſerunt, ſecutis tenebris denſiſſimis, ut pleríque domos ſuas reliquerint, exiſtimantes inſtare judicii diem.

Terræ motus. Anno Martyrum 818°, quem comparat Autor cum anno 501° Kharagio, horâ 3ª, feriâ 6ª, 3ª Toth, ingens terræ motus Miſiræ fuit : ſed erratum à librario eſt; legendumque 828°, ut habet Elmacinus : & annus ille eſt Hegiræ 506ᵘˢ. Ea ipſa nocte Eccleſia S. Michaelis, *Muctara* dicta, in Inſula Miſræ diruta eſt, juſſu, ut creditum, Afdali Emiri; quæ tamen ruina terræ motui adſcripta fuit, quo Makrizius concuſſam magna ex parte fuiſſe ſcribit, jubenteque Emiro quod ſuperfuerat dejectum, ob

hortorum suorum viciniam. Verisimilior tamen Autoris nostri narratio est, qui scribit Josephum quemdam fidei desertorem, Præfectum Fabrûm Emiri, dum Raudæ quæ est insula prope Misram ædificium amplissimum construeretur, petiisse à Christianis pecuniam, ne illud ad Ecclesiam usque vicinam produceret : promisisse quidem illos, sed non præstitisse, imò cum contumelia comminatos fuisse, se ejus crimina ad Sultanum delaturos. Unde ille vindictæ occasionem quærens, ea nocte quæ terræ motum secuta est, operas immisit, à quibus Ecclesia eversa est ; famaque sparsa, quòd muris vetustate collabentibus, ob Christianorum in illis reparandis negligentiam, conciderit.

Electio Episcopi Misræ.

Anno Martyrum 833° obiit Sanhutus Episcopus Misræ, de quo dictum est superiùs non uno loco, & quem impensè laudat Joannes filius Sahedi, Autor hujus historiæ. Corpus ejus delatum est in Ecclesiam S. Sergii, comitantibus Episcopis, Sacerdotibus, & Laicorum primariis ; & post solennes exequias illatum sepulcro, quod sibi & fratri suo Severo Hieromonacho, prope Ecclesiam vicinam loco *El-Habesch* dicto paraverat. Exequiis & orationibus Christianorum more celebratis interfuit cum aliis Gregorius Patriarcha Armenorum. Aberat Macarius, scripsitque ad eum Joannes filius Sahedi, tam privatas quàm publicas, nomine Cleri & Civium Misræ literas, quibus petebant ut vacanti sedi dignum Episcopum constitueret. Respondit ille neminem se ordinaturum, nisi quem ipsi elegissent, neque in se moram ullam futuram. Suspicati sunt Patriarcham ita respondisse, ut sedem vacantem relinqueret, ipseque, ut Michael conatus fuerat, Episcopatum per Vicarios administraret. Sed cùm negarent licere Episcopo duas Ecclesias tenere simul, congregati in Ecclesia S. Sergii, duodecim ex diversis Monasteriis viros religiosos nominaverunt : ex illis quatuor suffragiis delecti, quorum nomina schedis inscripta, & in altari collocata sunt. Post preces, celebratamque triduo Liturgiam, datamque omnibus Eucharistiam, adductus est junior Diaconorum, qui schedam eduxit, in qua scriptum erat nomen Joannis filii Sanhuti. Electio ejus communi consensu approbata est, perscriptumque ejus instrumentum quod omnium Sacerdotum, primorumque inter Laicos subscriptionibus firmatum est. Testatur Autor se illud scripsisse, cùm verò rogaretur ut subscriberet recusasse, facturum se id quod petebant pollicitus, cùm Joannes advenisset, & præsens ab eo didicisset an esset orthodoxus. Postea

missum est electionis instrumentum cum literis, quas ut præcedentes, Autor narrationi suæ inseruit. Respondit Patriarcha, cujus etiam literas subjicit: & illarum ea sententia fuit, ut Gregorius Armenorum Patriarcha, Joannem quem Kahirani elegerant, adduci juberet; & si constaret de ejus fide præclarisque moribus, posse eum ordinari. Misit quoque ex discipulis suis seu syncellis duos qui eum deducerent. Obtentâ à Præfecto Kahiræ licentiâ, & præsidio, processit novus Episcopus ex Abulfadli Sabidi viri primarii domo ad Ecclesiam S. Sergii, cum Evangeliis, thuribulis, & cereis; & post Liturgiam lectis literis confirmatoriis seu *Taklid* Patriarchæ, quibus electionem à Kahiranis factam confirmabat, ordinatus est à tribus Episcopis, Menna Episcopo Melichæ, Michaele Atfijæ, & Joanne Khandekæ. Dominicâ sequenti proclamatus est in Ecclesia B. Mariæ in Vico *Zowaila* dicto. Narrat Autor se ab illius amico quodam accepisse scribam, & syncellos Patriarchæ metu virorum primariorum Misræ, non ausos quidquam ab eo exigere, quod argumento est non planè sublatas exactiones fuisse sub illo Patriarcha, frustraque factas tot constitutiones synodales, quæ simoniam prohibebant. Ait etiam Macarium postquam Joannes Hegumenus ordinatus est, noluisse consentire ut ordinaretur Episcopus, quin subscriberet syngraphæ quâ pollicebatur mediam redituum Episcopalium partem se ad Patriarchium quotannis missurum. Syncelli quoque aureos duos exigebant quoties Paschales Epistolas deferebant.

Plura de Macario & rebus Ecclesiasticis Autor non recitat, ea opinor ratione, quòd hanc vitam non perfecerit, sive morte præventus fuerit, antequam Patriarcha abiret è vita, seu aliam ob causam quæ nobis ignota est. Eam certè historiam imperfectam esse constat, cùm obitûs illius non meminerit, sed statim ad res politicas convertatur ejus oratio, quas ab anno 496°, quo obiit Michael, paucis persequemur.

Res Muhamedanæ. Eo anno, qui fuit J. C. 1102us, obiit Mustali, Califa Ægypti, anno Hegiræ 495°: cui suffectus est Amer-beahacam-illah, ejus filius, 7us Obeidiorum seu Fatimidarum, ex quo regnare in Ægypto cœperunt; 10us verò ex quo in Africa Califas se appellaverunt. Natus erat annos quinque; atque adeo negotia omnia administravit Afdalus, summus exercituum Præfectus, filius Bederelgemali, qui in eadem dignitate & autoritate sub Mostansiro fuerat. Vixit Amer annis 35; regnavit 29. Carpitur ab Histo-

ricis omnibus, non modò quòd Sectæ Rafidæorum, seu Haliadarum, patris & avorum exemplo, esset addictissimus; sed quòd crudelis, durus, ingratus erga Afdalum, vafer, mendax, superbus, & ludo delitiisque diffueret. Alioqui valebat ingenio, doctus erat, scribebat eleganter, & fraudum artifex eximius erat. Hæc autem quæ sub ejus principatu contigerunt, paucis secundùm annorum seriem subjicimus.

Anno 496°, post multa bella Barkiaruk, Melikschahi filius natu maximus, & qui Sultani dignitatem acceperat testamento patris, cum fratre Muhamede concordiam iniit, vastato interea Oriente per excursiones unius in alterum, Emirisque, aut etiam Mamalucis sive mancipiis ad amplissimas præfecturas evectis, novos quotidie principatus fundantibus. Magna interim Bagdadi fama fuit sub Califa Mustadiro Ardechiri filii Mansour, qui ex urbe Merou in Corasana oriundus, & concionibus faciendis in Meschita Nezamia, quam Nezamel-Molk Vizirus ædificaverat, intentus, sæpè auditorum triginta millia congregabat. Inter eos conveniebant mulieres quoque magno numero: & quasi rem prodigiosam narrant, quòd juvenes multi formâ præstantes, capillati, in quos Muhamedani, tot mulierum mariti, insaniunt, ejus hortationibus comas totonderint; vinumque passim effusum fuerit. Obiit autem impostor ille eo ipso anno, sicut alius dictus Cheik Abulmuhali, qui asperam vitæ formam sibi præscripserat, nunquam in strato dormiens, sed sedens; una veste contentus. Tales quippe nebulones parabat mendaciorum pater, dum Christiani in Oriente essent, ne misera illa gens veritatem fidei agnosceret.

Anno 497°, J. C. 1103°, facta est provinciarum partitio inter Seljukidas Melikschahi filios, ita ut Barkiaruk Sultani nomen & honores haberet, & ad quinque orationis tempora tympanum ad fores palatii ejus pulsaretur; atque præter Bagdadum possideret Montanam regionem, Hamadanam, Hispahanam, Rayam, & omnes earum provinciarum ditiones; Bagdadique fieret oratio ejus nomine: Muhamedi cederet Armeniam, Aderbijanam, Diarbekeram, Geziram & Mausilam; Sinjaro, quem pater ab ea urbe in qua natus erat ita vocaverat, Corasanam: utrique suis in provinciis precum suo nomine, tanquam Imperatori honor deferretur. Eodem anno Boamundum & Tancredum acie victos à Muhamedanis scribunt, amissis suorum decem millibus. Acca à

Balduino capta, defendente urbem Zahreddoula Giouschi, Emiri Bederelgemali liberto: Ægyptiis auxilium ferre negligentibus. Obiit Dekak filius Tetesch, princeps Damasci ex Seljukidarum stirpe: relicto filio impubere sub tutela Togtekini. Is est quem ex prava punctatione Nisum ubique vocavit Erpenius Elmacini interpres.

Anno 498°, J. C. 1104°, obiit Barkiaruk, annos natus 24, cùm duodecim regnasset: relicto filiolo Melikschah avi nomine, quadrienni: qui Bagdadi proclamatus, sed paulò pòst à patruo Muhamede spoliatus est.

Anno 499°, J. C. 1105°, Ismaelitæ arcem Apamææ occupaverunt, occiso Ahlaf filio Mulaheb, jussu Abutaheri, qui, inquiunt, primus Sectam Batinæorum seu Assassinorum propagavit. De iis multa dicenda occurrunt, quæ alio loco opportuniùs referentur. Inter Francos & Ismaelitas hoc anno sæpiùs certatum est.

Anno 500°, J. C. 1106°, occisus est ab iisdem Batinæis Singiar-Chah Sultanus, filius Melikschahi.

Anno 501°, J. C. 1107°, Balduinus Hierosolymorum Rex Saïdam seu Sidonem obsedit.

Anno 503°, J. C. 1109°, Muhamed-Chah Sultanus Seljukida, collectis auxiliis Sakman filii Ortok, Chelati & Armeniæ principis, Cherefeddin Maudoud, Mosulæ & Negemeddin Ilgazi, Maredinæ principum, adversùs Francos Tankredum, & Balduinum prosperè pugnavit.

Anno 507°, J. C. 1113°, obiit Emir Rodowan, Halepi seu BerrhϾ princeps, ex Seljukidarum familia: erat enim filius Tageddoulæ Tetesch, filii Albarslan, atque adeo frater Melikschahi, sub quo non modò fratres, sed agnati omnes, imò duces, & purpurati amplissimas ditiones possidebant, sed ut beneficiarii qui supremum Sultanum agnoscerent. Cùm verò Franci continuas usque ad Halepi mœnia excursiones facerent, prædasque de Musulmanis agerent, multos in captivitatem abducerent, Rodowanus nunquam adversus eos progressus est. Filius ejus Albarslan annorum sexdecim juvenis sub tutela Lului principatum obtinuit. Eodem occisus est ab ignoto sicario Maudoud Mosulæ princeps, qui in Syriam venerat ad auxilium Tahireddini Togtekini & adversùs Francos sæpiùs fœliciter pugnaverat. Muhamedschah Sultanus, ad quem utpote supremum princi-

pem dominium illud recidebat, Mosulæ, & Geziræ principatum concessit Aksenkaro, dato simul consiliario & præcipuo administro Zenghio, quem *Sanguinum* & *Sanguineum* Autores nostri vocant, patrem Mahmoud Noraddini, avum Noraddini illius celeberrimi à quo primùm concussæ sunt res Christianorum Hierosolymitanæ, & per quem magnas illi clades acceperunt.

Anno 509°, J. C. 1115°, Afdalus Emirus Ægypti inducias cum Balduino Rege Hierosolymorum fecit, postquàm is ingentem caravanam Muslemanorum cepisset, desperaretque Emirus, posse eum armis opprimi. Contigit hoc eo in loco qui retinuit nomen *Sebkhat-Bardiiil*, Salinæ-Balduini.

Anno 511°, J. C. 1117°, obiit Muhamedschah Seljukida relictis quinque filiis, Mashudo, Mahmudo, Togrilo, Solimane, & Seljuko, quorum secundus Bagdadi anno sequente proclamatus est.

Anno 512°, J.C. 1118°, obiit Califa Abbassida Mostdaher-Billa Muctadis filius, cùm dignitatem titulo tenus tenuisset ab anno 489°: successit ipsi filius ejus Mostarsched, qui ex ea familia 29us fuit.

Anno 515°, J. C. 1121°, occisus est à sicariis Emir Afdal, immissis à Califa Amero, quem sæpè veneno appetierat, cùm jam animadverteret gravem se & odiosum esse principi.

Anno 516°, J. C. 1122°, obiit Ilgazi filius Ortok Princeps Maredinæ & Miafarekinæ, multis adversùs Francos præliis famosus.

Huc usque præcipua capita retulimus rerum his annis gestarum, ex quibus Autor admodum pauca delibat; nisi tamen quod accuratiùs loquitur de Balduini in Ægyptum expeditione: ait autem eum Farma, quam nostri Pharamiam vocant, cum cepisse anno Patriarchatus Macarii 15°, Martyrum 834°, qui est J. C. 1118us, assignatus huic expeditioni à Willelmo Tyrio. Is est Hegiræ 512us: & paulò pòst morbo correptum in itinere obiisse, cùm Arischam pervenisset. Corpus ejus sale & aromatibus conditum, Hierosolyma, sicut jusserat, deportatum est, ubi in Ecclesia Calvariæ sepultum est; ibique adhuc sepulcrum ejus cum Epitaphio visitur. Assignant anno 511° Ebn-Chalican, Ebn-Chucna & alii; levi temporis differentia.

Plura Autor non scribit, tantùm fusè narrat Afdali cædem, sed ita ut facilè intelligatur scripsisse illum vivo adhuc Amero Califa, qui ab omnibus historicis accusatur, quasi jussu ejus cæ- Emiri Afdali cædes.

des perpetrata fuerit, cùm nimiam Emiri potentiam ferre non posset. Commissa est autem à sicariis duobus ex Batinæorum seu Assassinorum numero ad pontem ipsum, cùm stipatores corporis, & servi armati ob angustiam loci præcessissent, vel ponè sequerentur. Sicarii statim confossi sunt: ipse lecticâ delatus in Palatium, exanimis repertus est. Funus ei amplissimum decretum à Sultano, cui etiam ipse operam dedit, & solennem super eum orationem fecit. Sed antea, omnem ejus pecuniam quæ quater millies, mille nummorum aureorum fuit: vestes, peristromata, tapetes, vasa, gemmas, equos, arma, omnia tandem bona ejus fisco addixit. Ipse anno Hegiræ 524°, regni 29°, eodem modo occisus est ab iisdem Batinæis, conductis, ut quidam existimaverunt, ab aliquot purpuratis, qui clientes aut amici fuerant Emiri Bedeleldgemali, & Afdali ejus filii: quamvis decem sicarii rem absque aliorum ullorum auxilio, confecerint. Quippe is erat nefariorum illorum hominum furor, ut modò cædem ad quam missi erant perpetrassent, de salute sua ne cogitarent quidem, sed læti perirent.

Califæ cædes à sicariis.

Narrat hoc loco Historia Ægyptiaca quam sæpè laudavimus, rem pene incredibilem. Erant, ut diximus, decem furiosi illi, qui cùm aliquamdiu occasionem cædis patrandæ non reperissent, existimaverunt Califam de paratis sibi insidiis monitum fuisse; quod si foret, melius esse ut rem in aliud tempus rejicerent. Unus tale ipsis consilium dedit, quo certiores forent, an indicia de ipsis ad Sultanum pervenissent: nempe ut alicujus ex eorum numero caput amputatum prope Palatium projicerent: si agnosceretur, signum esse detectæ conjurationis, secus si nemo illud agnosceret. Illis non assentientibus, quod ita numerus eorum minueretur, sicarius ille statim ferro se transverberavit. Caput igitur illius amputatum projecerunt, eo in loco quem designaverat: cùmque circumlatum à nemine agnitum fuisset, intellexerunt nullam suspicionem conjurationis esse. Ita resumtis animis Amerum dum satellitio omni stipatus per pontem transiret, loco angusto adorti sunt: dumque primi percussores à servis armatis conciderentur, omnesque adversùs eos concurrissent, alii eum aggressi multis plagis confoderunt: ipsi ab armatis qui sequebantur cæsi sunt. Atque hic fuit Ameri finis.

De ritibus immutatis.

Ut ad Macarium revertamur, manca est illius vita; neque de eo quidquam occurrit præterea apud historicum quem sequimur: pauca

pauca etiam scribit Autor Chronici Orientalis ab Abrahamo Echellensi editi, & eadem prope quæ Elmacinus. Is eum Patriarcham refert quosdam ritus immutasse: *Nam antea*, inquit, *filii Coptitarum priùs baptisabantur, tum circumcidebantur; ipse verò constituit ut priùs circumciderentur, tum baptisarentur. Item sponsalia cum orationibus & thure in domibus contrahebantur; ille verò decrevit id fieri in Ecclesia tempore coronationis sponsorum.* Plura non habet Chronicon; neque in illis verbis quidquam difficultatis est. Cùm enim, ut nihil de ipso ritu Circumcisionis apud Coptitas usurpatæ dicamus, id quippe singularem Dissertationem desiderat, certum sit à multis sæculis eam post Baptismum fuisse prohibitam, facile omnino fuit, ut, qui per summam ignorantiam & superstitionem eam conservandam arbitrabantur, etiam baptisatos filios circumciderent. Canones de ea disciplina anonymi aliquot extant, Macario, ut videtur, antiquiores: atque adeo hac in parte non tam condidisse novas regulas, quàm veteres revocasse censendus est, ut etiam in altera circa matrimonii celebrationem: sunt enim Canones antiqui & recentiores permulti, quibus constituitur ut Coronatio sive Benedictio nuptialis, non fiat nisi juxta ritus in Ecclesia Coptica receptos, quorum præcipuus erat ut Liturgia celebraretur; tum ut multæ preces super sponsos inter Missarum solennia recitarentur. Hæc autem omnia legitimè extra Ecclesiam fieri non poterant; & omnem illam disciplinam antiquiores habere origines, Macarii temporibus, omnino certum est. Nullas sanè de duobus istis capitibus Constitutiones edidisse Macarium prope indubitatum est, cùm illarum memoria nulla occurrat in amplissimis Collectionibus; neque ullas illius nomine recenseant Abulbircat, Autores celeberrimi diversorum Juris Canonici syntagmatum, Ebnassalus, & Echmimensis, qui aliarum diversarum meminere, de illis Macarii verbum nullum faciant.

Elmacinus plura adhuc habet in eamdem sententiam: quem primò interpretis sui verbis loquentem inducemus, quia liber est inter omnium manus, etsi sensum plane nullum efficiant. *Hic verò Patriarcha multos abrogavit in Ecclesia ritus, quemadmodum suffitus & positam in Ecclesia horam Alleluia, quæ dicebatur in rei sacræ administratione, post lectionem Actorum: ita ut cùm Minister sacrificio adesset, ante intermitteret sacra, quæ sacrificus absolvebat. Ordinavit itaque Alleluiam ante lectionem librorum, & Minister rem divinam exorsus eidem ad finem us-* Elmacini de ea re testimonium expenditur. Elm. p. 298.

que insistebat : at qui oblatione fungebantur, non inclinabant se se, ille verò ut fieret præcipiebat. Gryphos sanè & ænigmata scribebat Erpenius dum hæc exararet : neque enim ullus omnino sensus ex verbis illis exsculpi vel conjectando potest : maximè ob ridiculam illam & putidam affectationem, quæ certo consilio, non errori tribuenda est, ut omnia nomina & verba permutet, ne dicat *Liturgiam*, *Sacerdotem*, *Diaconum* ; nam qui ita loquitur, dat operam ne intelligatur, dum pro istis vocibus quas omnes intelligunt, *rem divinam*, *sacrificum*, *Ministrumque* substituit. Quasi si quis Lutheranus vertendo Eusebium aut alios Autores Ecclesiasticos, scriberet Athanasium fuisse *superintendentem* Alexandriæ, cùm priùs *senior* illius *Consistorii* fuisset : quod in *templo* assiduus esset, *cœnamque* frequenter celebraret. Non sanum esse qui ita scriberet, vel insani ipsi sentirent : non alia tamen est Erpenii interpretatio. Quamvis autem in Arabicis errata quædam librariorum subesse existimemus, ita tamen totus locus verti potest. *Hic verò Patriarcha abrogavit consuetudines multas ; atque inter alias thuris suffitum, eumque constituit in Ecclesia fieri, horâ hymni : qui quidem dici solebat in Liturgia post lectionem Actuum Apostolorum. Cùmque advenirer Diaconus qui Liturgiæ ex officio suo ministrare debebat, ante horam illam, Diaconus qui tunc sacro ministrabat, locum ipsi relinquebat, alter Liturgiam perficiebat, seu ad finem usque illius, ministerio suo fungebatur. Constituit igitur ut hymnus diceretur ante lectionem scripturarum, utque Diaconus qui Liturgia incipiente ministrare cœperat, eidem ad finem usque insisteret.* Hunc esse verborum Elmacini sensum eò confidentiùs existimamus, quòd extant constitutiones diversæ ; de eadem disciplina, ne Diaconus qui ministrare altari debet, seu dignitate, seu ordine vicis suæ, si non statim ab initio Liturgiæ præsens sit, locum non resumat ; sed qui incepit ministerium, illud perficiat. Hæc itaque planissima sunt. In ultimis vocibus aliqua est difficultas ex voce rara & abstrusa, quæ fortassis sensum aliquem singularem in Liturgiarum stylo habet, quæ inter alia involucra significat. Eo sensu ita locus vertendus est. *Prosphora autem seu oblatio non involvebatur, jussitque Macarius ut hoc deinceps fieret.* Nam vox est è Græcis desumta & corrupta, ut pleræque aliæ : at eam pro *Oblata* seu *Pane Eucharistico* apud Autores Christianos usurpari multis exemplis probari potest. De quo ritu Elmacinus loquatur conjectari

non omnino facile est : nam multi sunt & varii passim in tota Liturgiæ parte, quæ Anaphoram propriè dictam, seu, ut nos loquimur, Canonem antecedit. At magis verisimile est id Macarium voluisse, ut quoniam antequam inferretur Oblata ad altare, reponi solebat in Prothesi, seu, ut Rituales nostri loquuntur, in Credentia; deinde ad altare ferebatur à Diacono cum calice, eodem prope ritu qui à Græcis vocatur Μεγάλη εἴσοδος ; tuncque ut Græci, ita reliqui Orientales honorem aliquem deferre solent elementis mox in corpus & sanguinem Christi consecrandis, majorem aliquantò quàm sacris Imaginibus, ut à nobis in Commentario Liturgiarum explicatum est ; præscribantque Rituales libri, ut Oblatio simul cum calice velo tegatur, fieri potuit, ut sive rituum ignorantiâ, sive ex præpostera pietate, quidam ea palam gestarent : hoc prohibuisse videtur Macarius.

Quid de ista mutatione judicandum.

Ex hac nostra interpretatione intelligi potest qualiter Protestantes versari soleant in explicandis illis, quæ ad Religionem pertinent : bellè quippe secum agi putant, si persuaserint lectoribus suis, fuisse aliquando cùm Patriarcha quidam Alexandrinus ritus Ecclesiasticos immutaret, atque ita scilicet, ignari facilè sibi insinuari paterentur, sacros Ritus quos Majorum nobis religio commendavit, esse ex illarum rerum genere, quæ institui, antiquari aut immutari à quolibet Antistite possint : atque ita pro voce quæ *Consuetudinem* significat, *Ritus Ecclesiasticos* substituit Calvinista interpres, quasi inter consuetudines, quarum aliæ bonæ, malæ aliæ, & perversæ esse possunt, & Ritus sacros discrimen nullum intercederet. At multis hujus historiæ locis agnosci potest, quàm difficilis mutatio fuerit earum cæremoniarum, quas traditio commendaret : neque tantam fuisse manifestum est Patriarcharum autoritatem, ut de illis pro arbitrio suo statuerint. Verùm nihil magis risu dignum quàm ad istius commutationis probationem adducere, vanam futilemque orationis ambagem, ex qua sensus exsculpi nullus queat. Ea tamen Athanasio Kirchero sufficere visa est, ut ex ea non intellecta, hanc Canoni Chronologico Patriarcharum suo notam adjiceret : *Macarius ritus Ecclesiasticos mutavit :* ut ex ipsius testimonio, Protestantes, qui eruditionem ejus laudare non desinunt, pugnent contra Catholicos. At nihil tale unquam apud idoneum ullum scriptorem legitur, nisi apud Elmacinum, vel potius Erpemium, quem Kircherus excerpsit ita, ut in marginali synopsi hæserit, ubi hæc legun-

Macarius Patr. LXIX.

tur, *Macarius ritus Ecclesiasticos mutat :* nam si textum legisset, statim vidisset in Arabica quidem oratione difficultatis esse plurimum : sed in Latina sensum esse nullum, atque adeo dubitasset.

Obitum Macarii assignat Elmacinus anno 845° Martyrum : is est J. C. 1129us, atque adeo Hegiræ 524us & 525us : nam 524us incepit à 14a Decembris anno 1129°: obiit autem 23a mensis Cohiac, qui Decembri ex parte respondet : atque ita eodem anno quo Amerus Ægypti Califa occisus est. Sedit Macarius annos 26. dies 41. ut etiam scribit Makrizius. Sepultus est Misræ in Ecclesia Muhallaca, ut habet Autor Chronici Orientalis. Canon apud Abulbircat propiùs quàm solet ad historiæ veritatem, anno 844° Martyrum obiisse scribit : postquam sedisset annos 26. menses 7. 25a Kohiac. Kircherus ex falsis calculis qui toto suo Canone decurrunt, Chronologiam pervertens, initium ejus regiminis figit, anno J. C. 1020°, vel potius 1120° : nam apparet errorem esse typographicum. Si igitur anno 1120° Macarius sedere cœpit, sedit usque ad 1146um, ut ipse annotat, cùm eo anno assignet initia successoris : in quo calculo errat annis 35 : cùm obiisset Macarius annis 9, antequam eum ordinatum fuisse credat. Sed majus adhuc peccatum, cùm annum Christi 1120um comparat anno Martyrum 819°, cùm is sit annus Christi 1103us, & Hegiræ non 496us, sed sequens : multò minus respondet anno J. C. 1120°, qui fuit Hegiræ 514us.

Gabriel Patr. LXX.

GABRIEL FILIUS TARIK PATRIARCHA LXX.

Vacatio sedis Alexandrinæ.

CUM omnes, quos sequi possumus, Autores testentur vacasse aliquandiu Sedem post obitum Macarii, & inter se dissentiant ; nam Elmacinus & Chronicon, quibus accedit Makrizius, vacasse aiunt annos duos mensesque circiter totidem ; Marcus, filius Zaraa, Autor hujus vitæ, annos plures ; hæc omnia ad certam temporum rationem possunt revocari ex istius ultimi testimonio : nam Gabrielis ordinationem in Ecclesia Muhallaca factam asserit 9a mensis Mechir, anno 847° SS. Martyrum : atque ita, si mortuus est Macarius anno ejusdem Æræ 845, rectè dictum est ab aliis

vacationem fuisse annorum duorum & mensium totidem. Electio tunc ad Alexandrinos spectabat, verèque id ab Historico dictum, quando Michael, qui Macarium præcesserat, ab illis quoque electus est, & Macarius à Kahiranis. Sive igitur statim ab illius morte comitia Patriarchalia haberi non potuerint, aut per discordiam soluta fuerint, seu aliud quidpiam impedimenti natum fuerit, quod scire non possumus, (nam de eo silet Historia) tandem eo quem diximus anno Martyrum 847°, convenientibus Misram sive Kahiram viris Christianorum Jacobitarum primariis, & Alexandrinis aliquot qui in urbe erant, deliberari cœptum est de novo Patriarcha deligendo. Nulli adfuerunt Episcopi, nulli ex ordine Monastico ob longam Ecclesiæ vacationem; sed communicatis inter se consiliis venerunt ad Monasterium S. Macarii, adieruntque senem Monachum, Aba Josephum Syrum, qui erat in Syrorum Monasterio, ut ejus sententiam sciscitarentur. Ille divinitùs, ut volunt, monitus, Gabrielem designavit, sicut antea Macarium eligendum prædixerat.

Gabrielis vita & mores.

Fuit Gabriel, cognomine filius Tarik, ex nobilioribus Kahiræ familiis, vocatusque fuit nomine sæculari Abulola; non Taril, quod in Chronico Orientali legitur, ex prava lectione, quam refellunt Codices manuscripti. Erat Diaconus in Ecclesia S. Sergii ejusdem urbis, prudens, pius, vitæ exemplaris, largus in faciendis eleemosynis, hospitibus recipiendis, viduis orphanisque sustentandis intentus, assiduus ad preces & ad Liturgias, doctus, & sacrarum literarum peritus, quique eleganter scribebat tam Copticè quàm Arabicè, librorum curiosus, unde multos utriusque Testamenti codices ad Ecclesiæ suæ usum comparaverat. Fuerat aliquando inter Scribas Divanorum Ærarii & aliorum: cùmque omnes Misræ, seu Kahiræ, congregati in ejus electionem consenserunt, natus erat annos quadraginta septem. Deductus est in Ecclesiam Muhallacam, 9ª Mechir, anno, ut diximus, 847° Martyrum, J. C. 1131°. Mox Alexandriam cum magno comitatu profectus, ibi ordinatus est, Præfecto summo exercituum tunc existente Ahmede, filio Afdali, nepote Bederelgemali, qui post patris cædem loco ejus constitutus, cognominatus est Chahinchah.

De Confessione fidei ante communionem.

Alexandriâ Misram reversus, ad Monasterium D. Macarii profectus est, ut ibi ex more proclamatio ejus fieret, juxta observatam more majorum consuetudinem. Ibi non levem cum Monachis controversiam habuit, quam propriis Autoris verbis, quia ma-

ximi momenti eſt, referendam exiſtimavimus. *Ea fuit*, inquit, *circa ſenſum Confeſſionis, quæ dicitur ſuper Euchariſtia ante ejus perceptionem, quæ talis eſt:* Credo & confiteor hoc eſſe corpus Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quod accepit ex Dei genitrice ſanctâ Maria Virgine, fecitque illud unum cum divinitate ſua. *Recuſaverunt quidam ex illius Monaſterii Monachis hæc ultima verba dicere:* Fecit unum cum divinitate ſua*: eò quòd adjecta eſſent: & quod affirmarent conſuetudinem apud ſe non eſſe, ut ea dicerent. Ipſe verò excuſabat ſe his rationibus: quòd ea dixiſſet die ordinationis ſuæ, ſicut ſuggeſſerant ipſi, qui illum ordinaverant, Epiſcopi: neque licere ea ſupprimi, cùm ſententiam veram continerent. Itaque de ea re multis ſermonibus habitis, tandem eò deventum eſt, ut illis verbis alia adjici placeret ab omnibus comprobata in hunc modum:* Fecit illud unum cum divinitate ſua, abſque diviſione, commiſtione & confuſione. *Huic additioni cùm conſenſiſſent, ſimul cum ea orationem pronuntiavit; uſurpaturque ita ad hanc uſque diem.* Hæc Marcus Hiſtoricus, qui mox ita proſequitur. *Attamen cùm plerique eam additionem comprobaſſent ejuſque uſum recepiſſent, quidam ex Sahid, ſeu Ægypto ſuperiori, permanſerunt in priſtina ſua conſuetudine, quibus idcirco nullam moleſtiam dedit, neque cogere voluit ut aliorum exemplo ſe conformarent.*

De ipſa Oratione quæ Ὁμολογία adhuc Græco nomine in Coptica lingua conſervato appellatur, diximus ad Liturgiam, ubi ex Rituali Gabrielis Patriarchæ, ex Abulbircat & aliis certiſſimæ autoritatis ſcriptoribus, attulimus ea quæ ad ritus quos in ea pronuntianda Coptitæ præſcribunt explicandos, aliquid conferre videbantur. In Diſſertatione verò de Euchariſtia expoſuimus, quanta ejus vis cenſenda ſit, ad agnoſcendam eorum fidem circa Euchariſtiæ Sacramentum. Ex hac autem hiſtoria quædam ad ejus origines cognoſcendas obſervanda ſunt. 1um, quòd jam ante ſæculi duodecimi initia tam vetus eſſet uſus iſtius Orationis, ut qui additionem, quæ illo tempore facta eſt, acceptare renuebant, ne id facerent vetuſtate conſuetudinis in Eccleſia receptæ ſe excuſarent. 2um, quòd in ordinatione novi Patriarchæ, illa Confeſſio ab Epiſcopis conſecrationem celebrantibus ab eo exigebatur; imò quòd verbatim ſuggereretur, ſicut Canones ejuſdem Eccleſiæ fieri præcipiunt. 3um, quòd eo ſolo argumento ſatis apparet fidem de Euchariſtia, circa quam, ſi Proteſtantes audiamus, tam ignari ſunt

Orientales ut quid credant, vix ipsi sciant, perspectissimam illis fuisse, quando addita pauca verba, quæ sententiam non mutarent, haud leves apud eos turbas excitaverint.

Paulò post ordinationem Gabrielis obiit Junes, sive Joannes, Episcopus Misræ, qui sepultus est in Monasterio prope locum Habessinorum dictum, ubi erat cœmeterium. Neminem autem Patriarcha, quandiu vixit, ejus loco Episcopum ordinavit: nempe, ut suspicari possumus, simili ac decessores sui ambitione ductus, ut urbs regia non alium haberet Episcopum, quàm ipsum Patriarcham.

Vetuit ne mortui in Ecclesiis sepelirentur: cùmque contra hoc ejus mandatum sepultus fuisset Justus, sive Isus, Archimandrita in Ecclesia Vici Græcorum, eam claudi jussit, atque ita mansit clausa per multos dies, donec eam aperiri permisit, rogatus à primariis Kahiræ civibus. Ne in Ecclesiis mortui sepelirentur.

Anno 2° Patriarchatûs, transtulit corpus Macarii decessoris sui ex Ecclesia Muhallaca Misræ, ad S. Macarii Monasterium: postquam preces, quales in Exequiis peraguntur, pro eo celebratæ fuissent: corpus panno serico involutum; additumque tegmen quod impositum erat super sepulturam S. Macarii magni, quæ postea consuetudo in aliorum Patriarcharum exequiis usurpata est. De exequiarum illarum solennitate scribit Ebnassalus, Abulbircat quoque & alii, præter ea quæ in libro Rituali continentur, speciatim verò in eo qui scriptus est autoritate Gabrielis Patriarchæ. Vel illi soli exequiarum Rituales, adjunctæque preces sufficiunt ad confirmandam fidei disciplinæque similitudinem inter Ecclesiam Romanam Copticamque, & alias omnes Orientales, circa orationes & sacrificia Eucharistica pro defunctis.

Postea Autor conversus ad res sui temporis, eas ita narrat, ut neque ordinem temporum, neque aliorum historicorum narrationem sequatur: cùmque nonnisi longo sermone possit cum illis conciliari, consultius visum est paucis exponere quæ Ameri mortem consecuta sunt, ut ita ad res Ecclesiasticas revertamur. Res Muhamedanæ.

Afdali, ut creditum est, necessariorum conjuratione occiso Califa Amero, magna ut in ejusmodi mutationibus, turbatio fuit: Vizirus, simulque supremus copiarum dux, qui patris & avi exemplo, utramque dignitatem retinuerat, * Abuhali Ahmed, Afdali filius, de regno occupando cogitavit. Verùm frustrà: cùm ingens inter purpuratos discordia esset; nec minor ex superstitiosa

plebis contentione. Erat enim pervulgatum, neminem ex illa Fatimidarum stirpe absque mascula prole mortuum, atque ita exspectari voluerunt, partum uxoris Ameri, quæ tunc uterum gerebat: utque interea salutaretur Hafeth frater patruelis ejus, sed ita ut regni administrationem haberet, non titulum, Califæque dignitatem. Cùm illa fœminam peperisset, Hafethus Califa renuntiatus est. Amerus post cædem Afdali, filium ejus de quo loquimur, in carcere tenuerat: eo occiso eductus, & dignitati patriæ avitæque restitutus, statim cogitavit quomodo Califam in potestate haberet, omniaque negotia ad se traheret: unde principis jussu non toto vertente anno occisus est. Novæ deinde turbæ tum inter milites, tum in ipsa Hafethi familia exortæ sunt: rixantibus inter se filiis, Abuhali El Hacen, qui successor jam designatus erat, post Sulimanum natu majorem, & fratrem ejus Abuterab Haidara. Obierat Suliman, instabatque Hacen ut successor designaretur: quod cùm obtinere non posset, ad rebellionem Emiros incitabat, quorum plerique literas ejus & consilia patri patefecerunt. Cùmque ejus causa multi tumultuarentur, adeo ut milites in duas factiones divisi Sunitarum, & Rafidæorum seu Haliadarum, inter se pugnassent magna utrimque cæde commissa, Hafethus per triduum in Palatio obsessus est, Emiris postulantibus, ut Hacen occideretur. Cùm jam ligna congererent, incendiumque minarentur, accersitis Judæis duobus medicis suis, Califa parare potionem mortiferam eos jussit: primus negavit: alter nomine filius Karaka eam paravit, atque illam Hacenus bibere jussus, confestim expiravit. Apertis ostiis corpus jacens tumultuantibus ostensum est, atque ita conquieverunt. Hafethus Judæum veneni artificem omnibus bonis spoliavit: alterum nomine Abu-Mansour, qui per caput Principis & Legem juraverat, se veneni parandi modum ignorare, honoribus cumulavit, constituitque Judæorum Principem, seu *Roschhagalout*, id est Æchmalotarcham. Hæc Autor Historiæ Ægypti, & alii præcipui Muhamedani, Ebn-Kalican, Speculum temporum, & diversi alii. Neque tamen verisimilitudine carent ea quæ Marcus filius Zaraæ, præter illos refert Solimanum veneno sublatum: Hacenum verò non modò apud patrem egisse ut regni successor, sed etiam consors designaretur, tum apertè rebellasse: armasseque promiscuam hominum multitudinem ex diversis legionibus; quibus pecunias, possessiones, imò & præfecturas distribuerat: & eorum præsidio ferociorem

ferociorem factum magnum suspectorum sibi numerum occidisse, quorum cadavera, truncatis capitibus ne agnoscerentur, præcipitabantur quotidie ex muris palatii.

Eo tempore Gabriel ejus jussu in carcerem missus est, evasitque datis aureis mille, qui ipsi à mercatoribus subministrati sunt.

Cùm Hacenus omnium animos adversùs se concitasset, milites plurimi ab eo deficientes, ad Præfectum regionis Occidentalis se receperunt. Is erat Beheram cognomine Tageddoula, Armenus, inter belli duces celeberrimus, qui cum Bederelgemalo ex Syria in Ægyptum venerat, sub Califa Mostansiro. Dein per omnes militiæ gradus ad præfecturam pervenerat, conservata semper professione Religionis Christianæ. Gratus erat militibus, & prudentiâ non minus quam benignitate, & rerum bellicarum peritiâ commendabatur. Ita factum, ut omnes concursu ad eum facto postulaverint ut Kahiram veniret, Vizirusque esset, atque regni turbati gubernaculis manum admoveret. Ille licèt invitus morem ipsis gerere coactus est: statimque ut ejus adventum Hacenus sensit, fugam arripiens se occuluit. Pater ejus Califa in Palatium rediit; & Beheramum Vizirum suum designavit, eo ipso die, quo dignitatem ejus beneficio recuperaverat, anno scilicet Helalæo sive Lunari 529°. Is autem, ut aliàs observatum est, annus est Hegiræ vulgatus.

Erat Beheramo frater, qui ob virtutes & nobilitatem (nam propinquitate Reges Armeniæ attingere dicebantur) ordinatus erat Patriarcha Armenorum. Vocabatur Gregorius; cùmque in Ægyptum salutandi fratris sui causâ venisset, ibi vitâ functus est: in cujus locum substitutus est alter, Ananias nomine; qui in Ægypto ordinatus est. Qua ratione factum id fuerit dicere non possumus, cùm rerum Ecclesiæ Armenicæ nulla ferme apud Arabes memoria sit: sed quidquid sit, contra disciplinam ordinatio ista facta est, cùm Armenii Jacobitæ, non ad Alexandrini Patriarchæ, sed Antiocheni jurisdictionem spectarent. Hæc absque interruptione à nobis describuntur, ut omnia quæ ad Beheramum pertinent uno contextu prosequamur. Cùm verò ille rem publicam sapienter administraret, incitati sunt adversùs eum Muhamedani, quia, ut etiam notat Abulfeda, Armenis Christianisque aliis munera publica, Divanorumque officia præcipua committebat; ita enim fore dicebant, ut multi, quæstûs gratiâ, Reli- Armenorum Patriarcha.

gionem Christianam amplecterentur. Excitato igitur adversùs eum tumultu, multi armati, apprehsosque lanceis Alcoranos præferentes, concursum ad Regiam fecerunt. Beheramus, quamvis equitatui Armenorum, & sagittariis, quos habebat, fidere potuisset, tamen suis edixit, ut qui vellent, collectis sarcinis secum proficiscerentur in Sahid, quò recipiendi sui consilium ceperat. Aiebat enim nolle se in causa esse cur tantum sanguinis effunderetur, quantum ad dignitatem retinendam, si pugnaret, fusum iri sentiebat. Regnum Ægypti ad Musulmanos spectare, bellumque ut eo spoliarentur suscipere, æquum sibi non videri. Ita in Thebaidem profectus est, ad fratrem qui urbis & ditionis Kus Præfectus erat. Verùm Rodowan seditiosorum dux, qui Viziratum occupare satagebat, & quem mox obtinuit, jam eò nuntios præmiserat; quibus acceptis, Muhamedani urbis cives fratrem Beherami Yasalum Præfectum in tumultu occiderant, & ad majorem ignominiam in fimeto equilis sui sepeliverant. Cùmque portas occlusissent, urbem aliquot diebus Beheramus obsedit: tum ab obsidione recessit copiis diffluentibus solusque ad Monasteria profectus, in uno sedem fixit, atque secundùm alios Autores Monasticam vitam professus est. Observat Abuselah Armenus in Chronico suo, servatam adhuc, dum ipse scriberet, memoriam fuisse Beherami in Monasterio S. Sanutii prope Echmimam, ubi magnus erat Cœnobiorum pro viris & fœminis numerus. Addit Abulfeda Rodowanum qui Viziri dignitatem per vim obtinuit, cum copiis profectum in Thebaidem, Beheramum cepisse: cùmque didicisset eum Monachum factum fuisse, dimisisse liberum. Ita ille ad annum 531um: sub quo etiam depositionem ejus refert Ebn-Chuena. Mirum quòd nulla ejus memoria sit in historia Ægypti, in odium, ut credibile est, Christianæ Religionis. Ejus tamen meminit Makrizius, aitque movisse Rodowanum adversùs illum, faventibus illis qui Religionis Muhamedanæ acerrimi defensores erant, quòd vir Christianus eos contemneret, omnemque, quantum in se erat, autoritatem ad Christianos transferret.

Eo igitur ipso anno quo Rodowan filius Vahaxchi, aut ut habet historicus noster, Valahaxchi, Viziri locum obtinuit, Misram cum copiis ingressus, maximam urbis partem populatus est, præcipuè verò Christianorum bona diripienda suis concessit: Ecclesiæ Misræ, & suburbiorum spoliatæ. Monasterium Armenorum

Zaheri appellatum incensum est; & in odium gentis, Patriarcha ipsorum nuper ordinatus, occisus est, cum omnibus qui illic comprehendi potuerunt Monachis.

Rodowan statim atque imperium stabilivit, vetuit ne Christiani ad ulla Divanorum officia admitterentur: jussit ut secundùm vetera edicta zonis præcingerentur; equorum ipsis usum prohibuit, duplicavitque tributum, sicut & Judæis: eos autem in quatuor classes divisit, divitum qui quatuor aureos; aliorumque, quorum tenuiores unum pendere cogerentur. Paucis tamen annis dignitatem servavit, nempe quatuor aut quinque: & eo intervallo Ecclesia *Moniat Refti* quam Michael Episcopus Sahariet magnâ curâ, nec minoribus impensis restituerat, à Muhamedanis eversa est, frustrà implorato Viziri auxilio, qui paulò pòst excitatâ adversùs eum seditione pulsus, fugit in Syriam. Ibi collectâ fugitivorum & Arabum manu, in Ægyptum reversus, hostes primo prælio fudit: secundò victus est. Cùmque sub spe securitatis à Califa revocatus esset, apud eum, sed sine autoritate, liberè vixit.

Autor noster de Beheramo, præter illa quæ superiùs relata sunt, scribit Califam postquam Rodowanus depositus est, ad eum misisse, hortatumque ut ad se rediret, Vizirique dignitatem reciperet: illum se excusasse, tum quòd rerum mundanarum curam omnem abjecisset, tum quòd vitam Monasticam cujus professionem fecerat, colere instituisset; seque jam Monachum esse, non militem. Translatum tamen in arcem regiam ubi reliquum vitæ tranquillè egerit, ibique mortuum: funus ejus cum pompa deductum ad Ecclesiam *Zaherat*, quæ erat Armenorum, ubi corpus ejus sepultum fuit. Habebant tunc Armeni Episcopum in urbe Atfia, qui tantùm apud suos autoritate valuit, ut eum elegerint Patriarcham. Rogaverat Gabrielem Patriarcham, ut Ordinationi suæ interesset: qui veritus ne manus ipsi imponere cogeretur, non prius venit quàm in Ecclesia propria Liturgiam celebrasset, jejuniumque solvisset. Nempe pia hæc consuetudo apud Orientales Christianos hucusque observatur in omnium Sacramentorum celebratione, ut non modò ad Liturgiam celebrandam Ministri aut adstantes Sacerdotes non accedant nisi jejuni: sed in aliis omnibus, ita ut nisi metus mortis urgeat, Sacerdotem jejunum esse oporteat, ut baptiset, ut sponsis sacramentalem benedictionem tribuat, ut Episcopi qui omnes cum Ordinatore manus imponunt, jejuni sint. Displicebat igitur Armenorum istius

Armenorum Patriarcha post alios electus.

Patriarchæ electio, Gabrieli, tanquam contra Canones facta: neque enim legitimè electus censeri poterat, qui à paucis Armenis Ægyptum incolentibus, absque Episcoporum patriæ suæ, amplissimarumque provinciarum consensu; in aliena Diœcesi, absque venia & autoritate Antiocheni Patriarchæ ad quem spectabat Catholicum Armeniis ordinare electus erat. Causam autem novæ illius disciplinæ, nullam aliam cogitare possumus, quam quod sub Viziris aut Emiris qui Armenicæ erant originis, Bederelgemalo Afdaloque ejus filio, licèt Muhamedanis, nam Christianis favebant, tum sub Beheramo Christiano privilegium aliquod obtinuerint, ordinandi sibi Metropolitam, qui honoris gratiâ appellaretur Patriarcha. Nullus enim propriè loquendo Armenorum Patriarcha fuit, sed tantùm Catholicus; quæ dignitas ex Græcis Notitiis satis intelligi potest: nam Catholici Persidis & Armeniæ, non ante Justiniani tempora instituti fuerunt. In Ægypto ubi Armeni omnes advenæ erant, multò minus habere potuerunt suum Patriarcham. Quod igitur ad historiæ verisimilitudinem nobis maximè videtur accedere, paucis explicabimus.

De communione Alexandrinorum & Armenorum.

Armenorum cum Ægyptiis commercium ante illa de quibus scribimus tempora, exiguum aut nullum fuisse certum est. Cùm verò sub Viziris illis qui genti suæ maximè favebant, multi in Ægyptum venissent, horum maxima pars Christiani erant, quibus ut de Beheramò vidimus, antequam Viziri dignitatem obtineret, licebat religionem suam profiteri. Quàm verò ignoti essent Christiani illi Armeni Jacobitis, argumento est, id quod superiùs retulimus de Gregorio illorum Patriarcha, qui Kahiram venit sub Cyrillo Patriarcha LXVII°. Nesciebant enim quam fidem teneret; utque edidit Confessionem suam, Jacobitam eum fuisse intellexerunt, non sine admiratione, quæ nonnisi ex novis rebus oriri solet. Venit autem Gregorius sub Bederelgemalo; atque ut docet Abuselah Armenus, eo protegente obtinuit Ecclesiam S. Gregorii prope Doram ad mare suæ gentis Christianis attribui, quam sub Marco filio Zaraæ, Jacobitæ restitui sibi obtinuerunt. Cur Ecclesias proprias peterent, duplex ratio fuit. Prima, quòd linguâ patriâ Liturgiam, omniaque sacra officia celebrarent, ut qui erant in Ægypto Syriani, hoc est Syri Jacobitæ, quorum Ecclesias & Monasteria non pauca commemorantur, & in hujus historiæ serie & apud Makrizium; tum eum quem maximè secutus est Chanecchium, qui singularem de Ægypti Monasteriis tra-

dictatum scripserat : & Abuselah Armenum, qui multa quoque ex eo in opus suum transtulit. Altera ratio erat, quòd ritus Armenorum diversi admodum à Copticicis forent, non modò secundùm cæremonias, & quam Græci vocant ἀκολουθίαν, quæ per se indifferens est ; verùm in duobus capitibus quæ Coptitæ inter gravissimos errores numerabant, Azymorum usu, & vini meri nullâ aquâ commisti consecratione. Hæc in Armenis etiam Jacobitis Coptitas probavisse, ne levi quidem indicio existimari potest : damnasse probant testimonia Petri Melichæ Episcopi, Ebnassali, Abulbircat, & aliorum qui illa inter Armenorum errores numerant : dissimulasse Emirorum reverentiâ, verisimile omnino est. Nam præterquam quòd videmus Gregorium illum Patriarcham eorum, qui sub Cyrillo venit, ad communionem admissum, ex eo in quo sumus historiæ loco, apertè hæc communio utriusque Ecclesiæ demonstratur, cùm Gabriel Liturgiæ in qua novus ille Patriarcha consecratus est, licèt non integræ, adfuerit ; reliqui verò Episcopi qui manus ipsi imposuerant, quod Gabriel refugiebat, cùm toto officio cooperati sint, proculdubio cum eo communicaverant. Ex illis igitur causis duabus factum videtur, ut non admodum refragantibus Alexandrinis Jacobitarum Patriarchis, Armeni majorem in modum aucti, Emirorumque patrocinio potentes, non modò Ecclesias, sed etiam Episcopos sui ritus habere cœperint ex eorum privilegio. Deinde cùm aliquid adhuc ad illorum Ecclesiæ in Ægypto stabilitatem deesse judicarent, eâdem autoritate quæ canonica non erat, post mortem alterius Gregorii, qui in Ægypto obiit, cùm ad Beheramum fratrem venisset, Hananiam elegerunt, qui cum multis Monachis Armenis occisus est, tunc cum Rodowan Viziratum occupavit : quo exemplo excitatus Episcopus, quem habebant in urbe Atfige, ad eam dignitatem adjecit animum. Eam electionem cùm Gabriel Patriarcha improbaret, quippe contra Canones de non eligendis ad Patriarchalem dignitatem Episcopis factam, tum ob eas causas quas tetigimus, nec tamen ei se opponere vel posset, vel auderet, saltem noluit manus ipsi cum aliis Episcopis imponere ; quod si fecisset, ratam sanè illam habuisset. Hæc sunt quæ de isto Armenorum Patriarcha observare potuimus.

Gabriel cùm intelligeret quantopere decessores sui circa simoniam peccassent, & juxta Evangelii doctrinam, gratis dandum quòd gratis acceptum erat, cùm Episcopos quinquaginta tres or- Gabriel purus à simonia.

dinasset, non pecuniam, non munus exegit, sed ne quidem oblatum recepit: verùm vetuit ne quid simile fieret pro quacunque ordinatione, excommunicationi subjiciens tam dantes quàm accipientes. Sacerdos quidam Bechira Episcopatum Echmimæ ambiens magnam ipsi pecuniam obtulit; sed repulsam passus, ad Califæ filium, regni successorem jam designatum, venit; datisque muneribus, postulavit commendari se apud Patriarcham, quò Episcopus ordinaretur. Excusavit se Patriarcha, datoque ad Califam libello, ostendit esse contra Christianæ disciplinæ regulas, id quod Bechira petebat. Califa vetuit ne ea occasione quidquam incommodi ipsi facesseretur. Postea tamen, Gabriel ne indignatione & ambitione ad ultimam desperationem traheretur, fidemque ejuraret; eum alterius Sedis Episcopum ordinavit: oblatam verò pecuniam aspernatus, Oeconomo Ecclesiarum dari jussit ad cellæ ædificationem in Kasser-el chemah.

Res Æthiopicæ. Eo tempore insignis in rebus Ecclesiæ Æthiopicæ novitas tentata est. Rex Metropolitam Michaelem, qui ante ordinationem suam Habib vocabatur, cogere conatus est ad ordinandum ea in regione majorem Episcoporum numerum, quàm consuetudo longo temporis usu confirmata permitteret. Numerus autem præscriptus, ut ex Canonum Arabicorum Pseudo-Nicænorum variis Collectionibus aliisque monumentis, tum ex adjuncta ad marginem Codicis Regii annotatione intelligimus, septem Episcoporum erat. Nam si vel decem habuissent, sufficiebant ad ordinandum Metropolitam, aut etiam si liberet, Patriarcham: atque ita ab Alexandrinæ Sedis subjectione recedere potuissent, nec ad ejus autoritatem recurrere opus habuissent, quoties Metropolitæ Sedem vacare contingeret. Negavit Michael posse id fieri, absque arbitrio Patriarchæ. Ad eum igitur Rex Æthiopiæ literas misit, quibus hoc suo regno beneficium dari postularet; alias quoque per Legatum ad Califam Ægypti in eamdem sententiam: qui Patriarchæ mandavit, ut Regi Æthiopiæ satisfaceret. Verùm ille excusavit se, ostenditque petere Æthiopes, ut plures septenis Episcopi ordinarentur, non alio consilio, quàm ut consuetam Sedi Alexandrinæ obedientiam subtraherent; quando, ubi possent sibi, eo inconsulto Metropolitam ordinare, illius adeundi necessitatem habituri nullam essent: inde audaciores futuros ad inferendum finitimis Muhamedanis bellum. Cùm hæc excusatio Califæ placuisset, scripsit ad Regem Æthiopiæ Patriarcha, eumque per literas

hortatus est, ut à proposito desisteret. Relatum verò est ab illis qui eas detulerunt, ignem è cœlo Regis palatium tetigisse, magnamque ejus partem absumsisse; famem, pestem, siccitatem omnes illius regionis provincias afflixisse: cùmque pœnitentiâ ductus benedictionem & veniam à Patriarcha per literas postulasset, statim atque pervenit ad Regem illius responsio, finem accepit publica calamitas.

Anno antequam è vita excederet, vidisse eum aiunt in somnis, sacerdotes & monachos cum Evangeliis, crucibus & thuribulis, (gravissimè tunc ægrotabat) qui dicerent venire se ad eum visitandum, sed anno elapso reversuros, & eum secum abducturos. Cùmque ex illo morbo convaluisset, obiit anno sequenti; &, ut Autor Historiæ suæ initio notavit, fuit is Martyrum 862us: qui convenit ex ejus calculo cum anno Lunari Arabum 539', sed contra vulgarem ejus supputandi rationem. Annus ille Æræ Martyrum respondet anno J. C. 1146°: is verò Hegiræ 541°, qui fuit Hafethi 17us. Sedit autem Gabriel annos 14, & menses 6: unde, etiam rectè colligitur ejus inaugurationem factam fuisse anno Martyrum 847°. Obitûs dies, fuit 10ª mensis Farmuthi. Abulbircat annum 861um supremum ei fuisse scribit, Pontificatûs annos 14, menses duos.

Præter ea quæ à nobis relata sunt de mulcta quam Hacemus ab eo extorsit aureorum mille, nullam à principibus extra tumultus occasione Beherami excitatos, calamitatem Christiani experti sunt; præterquam semel. Accusati sunt enim à nefario quodam Monacho Monasterii Abukema, qui erat balsamo ad *Myron* sive Chrisma conficiendum præpositus, quod apud eos exercerentur auguria, & divinationes, quibus inquirebant in salutem principis; artem quoque auri & argenti conficiendi exercerent. Unde missus satelles cum militibus ad Vallem Habib, ubi altare S. Macarii & ejus Ecclesiam spoliaverunt: sed rei veritate patefacta, Monachi seniores qui abducti Misram fuerant, liberi remissi sunt: delator ulcere insanabili percussus miserè periit.

Gabrielis Constitutiones.

Extant in amplissima Collectione Canonum Coptitarum Synodales Constitutiones hujus Patriarchæ; quas, quoniam multa notatu dignissima complectuntur, Canonumque Collectoribus sæpè memorantur, in epitomen redactas referemus: I. Ne ullus pro ordinatione quidquam acciperet, atque ut dans munera quàm accipiens excommunicarentur. II. Ut ad preces matutinas & vespertinas Christiani in Ecclesiam convenirent. III. Ut Episcopi

Symbolum fidei Orationemque dominicam plebi explicarent linguâ vulgari. IV. Episcopi, Sacerdotes, Clerici, vel Monachi ad choreas ludosve spectatum non irent. V. Ut nemo eorum, oblationes fidelium aliosque fructus Ecclesiasticos ad peculium augendum aut bona acquirenda impenderet. VI. Ut neminem excommunicare liceret, pecuniarum, aut alterius causæ ad forum sæculare spectantis prætextu. VII. Ut Laici Ecclesiasticis necessaria subministrarent. VIII. Ut ad communionem Eucharistiæ omnes jejunio & oratione se præpararent. IX. Ut pueri, qui ad vitam Ecclesiasticam à parentibus destinabantur, à teneris annis sacras scripturas & disciplinam Ecclesiæ docerentur. X. Ut matrimonia Quadragesimali tempore, aut etiam Paschali, non celebrarentur. XI. Ut ludiones, vel mimi, in Ecclesiis non inducerentur, sub prætextu lætitiæ in solemnioribus festis. XII. Cùm in Thebaide nonnulli maximam diei partem, quando nuptias celebrabant, tripudiis, ludisque consumerent, ita ut Dominicis Liturgia aliquando ad noctem usque differretur, fieri id prohibuit. XIII. Ut etiam ne diebus Dominicis solennes preces pro mortuis fierent. XIV. Ne Ecclesiastici cum familiis suis in Ecclesia habitarent. XV. Ut nemo oblationes, primitias, & decimas offerre negligeret. XVI. Ut Baptismus tempore Liturgiæ, aut Orationis publicæ, non administraretur. XVII. Ut Monachi absque causa ex Monasterio suo non exirent. XVIII. Ut mortuorum corpora in Ecclesiis non sepelirentur. XIX. Ut nullus post Baptismum circumcideretur. XX. Ut nullus pellicem uxori legitimæ superinduceret. XXI. Ut Sponsalia & Coronatio, id est officium benedictionis nuptiarum, non celebrarentur nisi præsente Episcopo, aut qui ab eo delegatus foret. XXII. Ut Sacerdotes ex oblatis, quæ ad altare offeruntur, nihil seponerent, quo veluti cibo communi uterentur. XXIII. Ut omnes Sacerdotes, & reliqui Ecclesiastici ad altare non accederent, nisi cum vestibus ordini suo congruentibus. XXIV. Ut nemo mulierem domi suæ haberet, præter uxorem, matrem, sororem, amitam, materteram, aut aviam. XXV. Ut Liturgia aliter quàm secundùm receptum ordinem non celebraretur. XXVI. Ut Episcopi bis quotannis ad Cellam Patriarchalem convenirent. XXVII. Ut Episcopus neminem ad Monasticam Professionem admitteret, nisi qui esset ex sua Diœcesi, & post triennii probationem. XXVIII. Ut Monacho non liceret, absque summa necessitate, pernoctare extra

 GABRIEL Patr. LXX.

tra Monasterium, aut alibi communionem accipere. XXIX. Ut Episcopi, Sacerdotes, & Monachi de die balnea non ingrederentur, aut coram aliis nudarentur. XXX. Ut Episcopis & Monachis non liceret puellas venum expositas emere : si quæ, inter alia mancipia ad eos hæreditate pervenissent, eas venumdare, aut, quod magis optandum, manumittere festinarent : atque interea eas ad domesticum ministerium non admitterent. Hæc sunt disciplinæ capita quæ Constitutionibus illis continentur, quarum plurima aut Canonibus toti Ecclesiæ communibus, aut præcedentium Patriarcharum statutis præscripta cùm essent, ob effrænem licentiam renovare coactus est. Pauca admodum sunt, quæ non intelligere facile sit, ex iis quæ toto hujus operis decursu diximus: reliqua locis aliis explicabuntur.

Memoria Gabrielis filii Tarik apud Æthiopes conservatur in Synaxariis quorum Ludolfus meminit in Commentario ad Historiam suam. *Laudatur*, inquit, *ab Encomiaste, quòd precibus & adhortationibus suis Æthiopiæ motus sedaverit. Literatus fuit : Canones & alios nonnullos Rituales libros composuit.* Quæ verò de eo retulimus, quò hæc laus pertineat, satis explicant. Verùm quod Ludolfo ea occasione visum est Gabrielis nomen inter sanctorum memorias Kalendario inserere ad 10am mensis Farmuthi, absque ulla autoritate fecit : neque enim occurrit nomen ejus in Kalendario Ægyptiaco. *Ludolf. Com. p. 431.*

Porrò quòd Wanslebius, & ex ejus testimonio Autores Historiæ Chronologicæ Patriarcharum Alexandrinorum eidem Gabrieli præter Canones attribuunt Officium Hebdomadæ sanctæ, videtur dubium, cùm illius mentio in ejus historia non occurrat : neque illius officii, cujus plura in Bibliothecis exemplaria reperiuntur, Autor dicatur fuisse Gabriel. Sed, opinor, Wanslebium fefellit nominis homonymia : nam inter istius Patriarchæ successores, Gabriel 88us anno Martyrum 1127°, J. C. 1411°, Rituale Sacramentorum edidit, cujus testimoniis usi sæpè sumus : alia quoque Ecclesiastica Officia reformavit : inter quæ fieri potuit, ut etiam Hebdomadæ sanctæ Officium recenseret. Nam antiquius illud cùm sit utroque Gabriele, à neutro componi potuit, sed facilè ab 88° recenseri simul cum aliis. *Hist. Patr. Alex. p. 323.*

MICHAEL' Patr. LXXI.

MICHAEL PATRIARCHA LXXI.

POST Gabrielis obitum quatuor & ampliùs menses elapsi erant, antequam congregati Misræ Episcopi, Christianorumque primarii, circa novi Patriarchæ electionem consensissent. Prensabat Jounes quidam filius Kidarani Monachus ex S. Macarii cœnobio, suffultus auxilio Episcoporum aliquot, inter quos præcipui erant Jacob Episcopus Lekana ex Regione Behira : Christodulus Fuæ, Michael Tendatæ, quibus accedebant Nobiliorum Laicorum suffragia. Neque si ambitionem excipiamus, videbatur indignus supremo apud Jacobitas sacerdotio Jounes, sive Joannes : nam peritissimus erat linguæ Copticæ, & in scripturarum utriusque Testamenti lectione versatus, facundus, facilis; eratque in eo oris dignitas præcipua. Abu-Yuceph quidam cognomento Philosophus, cùm mores hominis & superbiam nosset, scripsit Misram ad congregatos pro electione, monens ne eum ad gubernandam Ecclesiam incauti eligerent, qui se ipsum regere non posset. Itaque post aliquam contentionem, repulsam tulit, statutumque ut ex communi consuetudine, sicut in dubiis, longisque de eligendo Patriarcha deliberationibus factum fuerat, Dei voluntas per schedulas sorte educendas exquireretur. Ita volentibus omnibus, hæc sententia in acta relata fuit, subscripseruntque omnes excepto Michaele, qui idcirco à plerisque existimatus est Joanni favisse, cùm re vera subscribere non posset; neque enim literas noverat, aut Copticas aut Arabicas. Marcus filius Zaraæ qui hanc & præcedentem historiam scripsit, (sed quæ ab aliquo interpolata est, sive ille Copticè eam scripserit, sive, quod sæpè videmus, in libris Orientalibus, continuator vel descriptor aliquid de suo addiderit, eo jam mortuo) Marcus, inquam, ille aderat inter alios; & cùm viris primariis, Episcopisque significasset, quis & qualis esset Michael, placuit nomen ejus inscribi inter candidatos, qui tres fuerunt : Joannes filius Abulfetah Monachus ex Cœnobio S. Joannis : Salomon filius Dehiari ex Cœnobio Primi; & Michael Monachus S. Macarii, in Cella dicta *Denschuri*. Is pietate quidem & laudabili vita commendabatur; sed cùm à prima juventute parentes ejus institutionem neglexissent, nec Copticè nec Arabicè legere poterat : unde ob scientiæ defectum, contentus accuratâ disciplinæ monasticæ observantiâ,

Electio per sortem.

Sacerdotium, aut alium Ordinem Ecclesiasticum non acceperat. Tribus schedulis, quarta de more adjuncta est inscripta nomine Jesu Christi Pastoris boni, quæ cùm educeretur, ut alibi dictum est, significatum sibi credebant, neminem ex tribus propositis dignum esse Patriarchatu, & tres alios inscribebant.

Positis super altari schedulis, Liturgiâque per triduum celebratâ, adductus infans, eam eduxit quæ Michaelis nomine inscripta erat. Publicata electione, & ejus proclamatione facta, omniumque acclamationibus comprobata, eo ipso die ordinatus est Diaconus, secundo Presbyter, tertio *Komos*, seu Hegumenus, in Ecclesia Muhallaca Misræ, impetrata priùs autoritate Califæ, qui electionem diplomate confirmavit. Ita Alexandriam magno & splendido comitatu deductus, ibique ordinatus est, Dominicâ 5ª Mesori, anno Martyrum 876°: sed errat Autor perspicuè: nam mortem ejus assignat anno ejusdem æræ 863°, cùm non integrum annum superstes fuerit. Anno igitur 862° ejus ordinatio facta est, aut 861° secundùm Chronicon Orientale, quia mense Mesori ordinatus est, ultimo anni Ægyptiaci: atque adeo statim initium habuit annus 862ᵘˢ Martyrum: is est J. C. 1146ᵘˢ, Hegiræ 541ᵘˢ, quo ejus mortem Makrizius assignat. Abulbircat, quod rarum est, consensit huic supputationi, ut anno 861° ordinatus sit, sequenti mortuus, postquam sedisset menses octo, dies 4: & obierit 3ª Farmuthi, Feriâ 6ª post Pascha.

Notat Autor non mediocrem laborem fuisse ut doceretur Liturgiam D. Basilii, eamque memoriter teneret: neque Misram rediisse donec eam didicisset, sacrumque secundùm eam celebrasset. Ea quippe disciplina est Jacobitarum Ægyptiorum multis locis perscripta, ut Sacerdos nullus ordinetur qui Liturgiam memoriâ non teneat, quod multò magis in Patriarcha necessarium erat. Liturgia memoriter tenenda Patriarchis.

Cùm Misram rediisset, tantâ pompâ exceptus est, ut similis nunquam visa fuerit: prodierunt enim obviam non Christiani solùm, sed Muhamedani tantâ frequentiâ, ut plures Christianis essent.

Statim quinque Episcopos ordinavit, atque inter eos Ebn-Nesra filium Nobilis ex Misra Christiani, Monachum & Diaconum S. Macarii, in Cella Denschiri, quamvis triginta tantùm annos ætatis haberet; sed moribus erat omnique virtute conspicuus. Eum Misræ ordinavit Feriâ 5ª contra consuetudinem Ec-

clesiasticam, quæ ordinationes fieri præscribit Dominicâ.

Ordinavit quoque Abulmukaremum filium Abu-Juceph Episcopum, qui erat ex primaria inter Christianos dignitate. Diaconum etiam Ebn-Jaroud ordinavit Episcopum Chebarelkhimat; & Marci nomen dedit: frequens quippe non in Patriarchatu modò, sed etiam in promotione ad Episcopatus, mutatio nominum. Notat hoc loco sedem Chebra Demnehour toto Gabrielis tempore Episcopum non habuisse, quia consuetudo erat ea in Diœcesi, ut nullus nisi virgo eum Episcopatum obtineret: qui autem ordinatus fuerat, uxorem habuerat, quæ tamen erat mortua. Monachum Sahiditam Simonem ordinavit Episcopum Moniat Ebn-Hassid: alium Theonam ex eadem regione, qui priùs mercaturam exercuerat, Episcopum Echmimæ: Abulbedrum Balinæ: atque ita per paucos menses, multos in variis sedibus constituit.

Monachorum scelus.

Causam mortis ejus fuisse memoriæ proditum est, datum à Monachis ex Cella filii Haidaræ venenum, quo tabescens, postquam sex fere mensibus decubuisset, diem suum obiit. Erant autem illi amici & contubernales illius qui tantopere laboraverat, ut Patriarchatum obtineret: neque bene affecti erga eum erant Monachi, quòd ipsos sub arctissima disciplina contineret, adeo ut non modò verbis, sed etiam verberibus delinquentes castigaret.

Sub illo brevissimo Pontificatu Ecclesia Jacobitica summam tranquillitatem obtinuit: quia Hafethus satis benignus erga Christianos fuit, nec Viziri quidquam adversùs eos illo intervallo moliti sunt.

Michael iste in Chronico Orientali appellatur Ebn-Dakalti, & ita quoque in Canone apud Abulbircat. Quod verò Poeta Æthiops cum admiratione eum laudat, quòd schedula ejus nomine inscripta, ex urna prima prodierit, stuporem ipse suum prodit, cùm laudis argumentum quærit in disciplinæ apud Coptitas & Nestorianos receptæ eventu, in quo non miraculi plus, quàm in tot aliis electionibus per sortem Ecclesiasticam factis intervenit.

JOANNES PATRIARCHA LXXII.

JOANNES Patr. LXXII.

MORTUO post brevem vix novem mensium Pontificatum Michaele, statim de sufficiendo in ejus locum Patriarcha inter Coptitas deliberari cœptum est. Cùm autem in præcedenti electione multa in laudem Joannis filii Kidarani Monachi ex Cœnobio D. Joannis dicta fuissent, ejusque nomen inter tres candidatos inscriptum esset, plerique Episcopi & Laicorum primores, qui ad eum inclinaverant antequam electio sorti permitteretur, eum communibus votis expetiverunt. Ita absque longa dilatione missi sunt qui eum ex Cella sua extraherent, & Misram adducerent, ubi ordinatus est in Ecclesia Muhallaca, primo die Sacerdos, nam erat jam in Diaconorum ordine: postero Hegumenus seu Komos. Pergere etiam ad ejus consecrationem inter se statuerant, nisi obstitisset Joannes ambitiosus ille Monachus, qui per amicos & patronos quos in aula Califæ muneribus sibi conciliaverat, obtinuit, ut omnes Episcopi, & primores Christianorum, coram Principe, Judicibusque Divani præcipuis, rationem electionis à se factæ reddere cogerentur. Cùm in consessum venissent, unus Episcoporum libera oratione testatus est, non posse Christianos, nisi profligatis majorum suorum institutis, eum eligere Patriarcham, qui eam dignitatem, ambitu, malisque artibus quæsivisset, præsertim interpositâ Principum autoritate. Itaque electum fuisse communi consensu virum, qui totam in desertis vitam transegisset, nihil tale cogitans, adeo ut catenis ferreis constringendus fuisset, ne fugam arripiens in interiorem solitudinem se reciperet: doctum, pium, talem denique qualis inter mille unus vix reperiretur: factum id non novo, sed omnium sæculorum exemplo, cùm semper Christianis licuerit eligere in supremum Ecclesiæ suæ pastorem, quem ipsi vellent. In frequenti igitur illo Judicum, Jurisque Muhamedani Consultorum Senatu statutum est, ut delegati Alexandriam proficiscerentur, convocatisque Christianis intelligerent, utrum ex duobus mallent. Cùm in urbem venissent, ab omnibus Christianis una voce acclamatum est: *Joannes filius Abulfetah Patriarcha noster, atque ipse hoc honore dignus est.* Ejus autem modestiam ipsi Muhamedani admirati sunt, in eo consessu: nam cùm ab uno eorum interrogatus esset, quam haberet opinionem de Joanne filio Kidarani com-

Joannis electio.

petitore suo, numque eum existimaret digniorem se, & magis idoneum ad Patriarchæ munus sustinendum; respondit : *Ita sanè, quandoquidem præstantior est & legum Ecclesiasticarum peritior.* Eum in modum electione ejus, Califæ nomine confirmatâ, ordinatus est Kahiræ, seu Misræ, ut videtur, nempe quia ex more non priùs ordinari poterat, quàm Califam salutasset ; etsi id sileat historicus. Verùm id satis intelligitur, quia postea completam fuisse Alexandriæ cæremoniam asserit.

Facta est ordinatio Dominicâ, quæ erat 2ª dies τῶν ἐπαγομένων, quas Nisi vocant Ægyptii, dies quinque scilicet quibus augebatur annus, anno Æræ Martyrum 863º. Cùm autem obierit Michael 3ª Farmuthi anni superioris 862ⁱ, vacavit sedes reliquis anni mensibus quatuor, uno die minus ; & rectè ordinatus dicitur eo ipso anno, quia ἐπαγόμεναι ad exeuntem annum pertinent non ad ineuntem : falliturque Chronici Autor cùm vacationi tribuit annum unum, dies 70 ; quem calculum secutus est Makrizius : Abulbircat 862º. Sequens qui verus est, ut diximus, inaugurationis annus, respondet anno Æræ Christianæ 1147º, quem sequitur Bissextilis, in quem incidebant ἐπαγόμεναι : atque ita ex earum nota certus est character anni, qui 862º Æræ Martyrum non convenit.

Post ordinationem Alexandriam profectus est, ubi per solennem proclamationem consummata est ejus inauguratio : deinde Misram rediit ; & magnâ pompâ exceptus, ad Ecclesiam S. Mercurii deductus est, ubi habitabant Patriarchæ. Joannem filium Kidarani, ne ex repulsæ dolore aliquid adversùs se Ecclesiamque moliretur, consolari volens, obtulit ei Episcopatum Semnudæ : sed ille accipere noluit ; & quod reliquum vitæ fuit, in Monasterio suo quod erat in regione El-Rif, transegit.

Res Muhamedanæ. Eo tempore Rodowan ex arce Imperiali in qua tenebatur, quasi in libera custodia, perfosso pariete Misram venit ; & in ea urbe Kahiraque per veteres clientes suos, Nigritasque & alios milites tumultum excitavit, & urbem obtinuit : verùm etsi Hafethus Califa domi se continens, nihil adversùs eum moliretur, tamen seditione orta, à Nigritis quibusdam occisus est Rodowan ; neque Hafethus dum superfuit, alium Vizirum constituit. Christianos qui erant in Divanorum ministerio, quos Rodowan pepulerat, præcipuè Ebn-Yunes restituit, qui alios quoque in eodem officio collocavit. Verùm calumniis appetitus paulò pòst cum fratre, jussu Hafethi est occisus, Samaritani qui calumniati eos fuerant,

non toto vertente anno, in ipso loco supplicio affecti sunt.

Mortuus est Hafethus, anno 544° Helaleo, qui convenit cum numero annorum Hegiræ, qui à Muhamedanis historicis usurpatur: regnaverat autem annos circiter viginti. Ejus loco salutatus est filius ejus Abu-Mansur filius Ismaelis, vel potius Ismael, ut habent accuratiores historici, qui novam dignitatem accipiens, novo quoque nomine appellatus est *Dafer-ledin-Illa:* annorum septemdecim juvenis. Is statim Vizirum assumsit Negemeddinum filium Mesal, patri suo familiarissimum: sed unus ex purpuratis Hali filius Selar, qui tractui Alexandrino præfectus erat, collectis militibus ex Occidentali Regione vicinisque præsidiis, conflatoque valido exercitu, Kahiram ingressus, eodem anno illum expulit, & Viziratum occupavit.

Negemeddin dum exercitum comparat, & Nigritas armat, occisus est in prælio; caputque ejus conto præfixum, Kahiram circumlatum est. Eo tempore Christiani zonas abjiciendi, & notas quas deferre cogebantur in vestimentis omittendi consilium ceperunt: sed triduo tantùm hæc novitas duravit. Quidam Muhamedanorum Doctores, novo Viziro persuaserant, ut eam ipsis libertatem concederet: spemque fecerant Christianos hujus beneficii gratiâ pecunias subministraturos. Sed cùm elapso triduo nemo illorum nomine eas præstaret, aut promitteret, vetera edicta renovavit. Idem Vizirus insurgente adversùs eum Nassero Abbassi filio occisus est. Pater Nasseri Abbas, præfectus erat urbi Balbaïs, & vicinæ regioni: inde movens ut filio suppetias ferret, Kahiram cum magnis copiis ingressus est: & satagente filio eodem Nassero, Vizirus exercituumque Princeps declaratus à Califa fuit. Hæc ita narrat historicus noster, aitque etiam Vizirum Adelum (nam ita honoris causâ appellatus est Hali filius Elselar) manu Nasseri occisum per insidias, etsi mater Abbassi uxor ejus esset. Verùm tam confusa est, & tot contrariis autorum inter se testimoniis perturbata illorum temporum historia, ut facilè explicari non possit. Eò tandem res cecidere, ut Abbassus Viziri dignitate & vita prædecessorem suum Halim spoliaverit. Erat secundùm Autorem nostrum Abbassus, ex regia familia Moltemidarum, filiorum Temim, qui in Africa interiori regnum occupaverant; quod ab aliis non scribitur. Daferus Califa juvenis, & deliciis diffluens, Nasserum ejus filium ob ætatis florem eximiamque pulcritudinem, tam perditè amare cœpit, ut non

modò dies, & noctes cum eo compotationibus & lusu consumeret, sed etiam sæpè noctu egrediebatur ex arce paucis consciis, & absque custodia ad Nasserum comessatum ibat. Cùm inde maximâ apud omnes infamiâ Nasserus flagraret, à patre ad occidendum Califam impulsus est, eo magis quòd, ut plerique Autores tradunt, filius ei significaverat, parari sibi ab illo insidias, excitarique se ad patris necem, promissa Viziri dignitate. Ita cùm Califa noctu, duobus tantùm comitibus, ad Abbassi domum venisset, oppressus subitò occisusque cum illis est, cadavera in puteum conjecta. Postero die Abbassus ad Aulam profectus est, & ad Principem ut admitteretur, instabat. Cùmque cubicularii & alii causas diversas prætexerent, tandem jam à nocte præterita eum non comparuisse, fateri coacti sunt. Abbassus fratres ejus duos, Josephum & Gabrielem, tum Salehum fratrem eorum patruelem, Haceni à patre veneno necati filium, immissis militibus statim occidi jussit, tanquam cædis in Califa perpetratæ reos: multi præterea quos suspectos habebat, occisi sunt. Mox in Gynæcæum Abbassus ingrediens, Fayezum puerum quadriennem eductum, Califam proclamari fecit, omnesque sacramentum ei dicere coegit: atque in hunc modum rerum potitus est. Puer spectaculo tot cadaverum adeo territus fuit, ut toto vitæ tempore, hebes & emotæ mentis fuerit. Verùm non diu impunè tulit Abbassus: nam cùm rumor cædis ab eo perpetratæ emanasset, Duces præcipui advocaverunt Talahia filium Rezik, Præfectum *Moniat Bani Khacib*, qui Kahirâ potitus, Abbassum & ejus filium fugâ salutem quærere coegit. Illi in Syriam pecuniam, gemmas, & quidquid convasare potuerunt, secum tollentes, fugerunt. Soror Daferi, ad Francorum duces qui nuper Ascalonem ceperant scripsit, ut fugientes, si fieri posset, comprehenderent, magnam si id facerent mercedem pollicita. Egressi igitur ex urbe manipuli aliquot militum eos interceperunt; commissâque pugnâ Abbassus occisus est, Nasserus captus & Cahiram missus: omnis eorum præda in Francorum potestatem venit. Nasserus mulieribus Gynæcæi quæ Daferi uxores aut concubinæ fuerant, traditus, crudeliter excarnificatus est: nam dexteram quâ dominum occiderat, soror principis tamdiu verberavit, ut eam prorsus contriverit. Carnes ex toto corpore forficibus concisas, coram eo comederunt, soccisque muliebribus eum contuderunt: postea vivus in crucem sublatus est: & cadaver igne consumtum,

consumtum. Cædes Daferi incidit ex omnium Autorum consensu in annum Hegiræ 549um, J. C. 1154um: in aliis circumstantiis tanta est eorum diversitas, ut major esse non possit. Autor noster Talahiam fuisse scribit Præfectum Behnese & Aschmonin in Thebaide: evocatumque non modò à Ducibus qui Abassum ferre non poterant, & qui Califæ fratrumque ejus cædem molestè ferebant, sed ab ipsis etiam Gynæcæi mulieribus, quæ in doloris signum, comas præcisas ad eum miserunt: ipse verò quasi Califæ occisi vindex, capillos ex hastis appendit, nigraque vexilla præferri jussit: eoque ipso anno Kahirâ potitus, Abassum fugere in Syriam coegit. Cùm verò Viziri dignitatem novi Califæ nomine accepisset, vestem, torquem, reliquaque insignia, statim ad ædes Abassi cum indice uno ex cubiculariis, qui cædem commissam aliis ignorantibus viderat, venit, designatumque locum fodi jussit: ubi tria cadavera reperta sunt, Daferi, & duorum comitum: postea funus magnâ pompâ deductum est.

Novi Viziri in Christianos crudelitas.

Ita confirmata ipsi suprema autoritas fuit, quâ statim intemperanter abusus est; erat enim avarus, multosque pecuniarum quocumque modo comparandarum studio perdidit. Erat præterea Christianis infensus: unde vetuit ne cidares pendulas deferrent, sed aliquâ notâ in capitis tegmine, tam ipsi quàm Judæi, à Muhamedanis distinguerentur. Calumniatorum adversùs eos delationes facilè recepit. Eo tempore contigisse videtur, quod paulò superiùs refertur, sed absque annorum nota: quod scilicet Ecclesia quæ à Jacobitis Matareæ ædificata fuerat, prope locum ubi balsamum nascitur, unde Chrisma parari huc usque solet, à Muhamedanis spoliata, & in Meschitam conversa sit, cùm antequam perfectum fuisset ædificium, in ea sacra fecissent, ipsamque sub nomine S. Georgii dedicassent. Notum est porro ex omnibus tum Christianorum, tum Muhamedanorum libris, quanta sit illius loci etiam apud Infideles veneratio, ex antiqua traditione quæ apud omnes pariter recepta est, quòd Beata Virgo cum infante Jesu in Ægyptum fugiens, eodem in loco consedit; pannosque in vicino fonte laverit, qui inde virtutem quamdam conceperit, adeo ut non alibi in toto orbe balsamum illud exquisitum, quàm Matareæ nascatur. Plena sunt hujus traditionis etiam Itineraria, tam antiqua quàm recentiora: imò & Muhamedani Geographi, scriptoresque rerum naturalium.

Traditio de origine Balsami.

Kawini. Makrizi.

Vuu

Circa eadem tempora, magna in Ægypto raritas annonæ fuit; quam secuta est tanta lues in bobus & armentis, ut aratores, camelis, equis, mulis & asinis uti coacti fuerint.

Res Muhammedanæ. Aded ultimus Fatimidarum.

Mortuus est Fayez Califa anno Hegiræ 555° : cujus loco Califa renuntiatus est Aded, seu Adad, Hafethi filius, 11us & ultimus Fatimidarum. Eo ipso anno obiit Moctafi, 32us Califa Abbassidarum, cùm 25 annis sedisset : cui successit Mostangid, Moctafis filius. Erat autem eo tempore exigua aut nulla Califarum Bagdadensium autoritas : neque in ipsa urbe Bagdado quidquam poterant, Seljukidis rerum potientibus : Mesopotamia, Syria & Palestina, erant in Atabekiorum, aut Christianorum, vel minorum aliquot principum potestate. Ipsi etiam Seljukidæ post continua bella quæ à morte Gelaleddini Melikschahi vix interrupta sunt, uno ex filiis Sinjaro, qui usque ad annum 551um superstes fuit, principatum inter cæteros amplissimum obtinente, donec temerè adversùs Cachanum Turcarum regem movens, bis victus est, primoque prælio amisso omni exercitu; tum secundo captus, & per quadriennium in cavea ferrea conclusus, tandemque elapsus : illi, inquam, Seljukidæ vastissimi illius imperii lacinias aliquot, in multas familias divisi ægrè retinebant. In hoc rerum statu Ægyptus sub principibus pueris in omnium qui viribus prævalebant, ducum prædam cedebat. Talahia Vizirus, confirmatâ, ut videbatur, dignitate, anno 556° à tribus sicariis occisus est. Rezik ejus filius, eâdem à Califa ornatus est, appellatusque Ajal Meged Elselam : sed eam non diu tenuit, rebellante Chawero, qui ex paternis necessariis ad Præfecturam Kusæ in Thebaide provectus ab eo fuerat. Erant Chawero inimicitiæ cum Hassamo Talahiæ ex sorore nepote, qui Præfectus erat Moniet-beni Chassib, & per insolentiam ex avunculi dignitate conceptam, omni qua poterat ratione, Chawerum offendebat : servos ejus, si qui per ejus Præfecturæ loca transirent, spoliabat, aut capiebat : cùmque alter sæpè de injuriis apud Vizirum questus esset, nihil profecerat. Verùm Hassamus majoris contumeliæ causâ arculam operis elegantis ad eum muneris loco misit, in qua lora bubula quibus cædere servos solebant, continebantur. Itaque Chawerus desperatus, nihilque non metuens, in aviam solitudinem Lowakat fugit, ut missas adversùs se copias paulatim siti, aeris fervore, pabulique & commeatus inopiâ conficeret. Cùmque per menses tres frustrà insecuti eum fuissent quos Vizirus miserat, tandem

per desertum Elwak ad Piscinam prope Alexandriam venit, substititque ad *Mehallet Abdelrahman*: unde in vicum vicinum *Belkina* dictum transivit anno 558° Hegiræ ineunte. Vix triduo illic fuerat cùm ad eum convenerunt ex Garbia sive Occidentali regione Ægypti, & ex aliis locis, præcipuè ex deserto, milites, Arabesque magno numero, adeo ut intra paucos dies equitum decem millium exercitum conflaverit. Tum Arabes latrociniis assuetos prædatum dimisit terras filiorum Rezik, quibus agri hostium divisi fuerant: omnemque illis prædam concessit: primoque successu elatus movit ulteriùs, & prope Misram Kahiramque castra posuit. Vizirus & sui, adeo territi subitò Chaweri adventu fuerunt, ut omissâ pugnâ omnes fugerint. Ipse in facculum congestis unionibus & gemmis infiniti pretii, quod annuum Ægypti reditum exæquaret, solus equo conscenso fugit: mille aureos in alio posuit, & super sellam equi collocavit. Incidit in Arabum turmam, à quibus spoliatus, nudusque in deserto relictus est, ubi paulum abfuit quin frigore & fame periret. A Jacobo illorum Arabum duce agnitus, & in tentorium deductus est: cùmque de eo fama ad Chawerum pervenisset, eum ad se adduci jussit: eumque non ut hostem, sed ut amicum in Vizirorum Palatio collocavit, redditâ concubinâ, filiis & quibusdam domesticis: sæpè ad eum veniebat, & ad mensam eum adhibebat. Cùmque accusatus fuisset quasi fugam moliretur, & Emiros ad defectionem sollicitaret, catenis constrictus est: quas cùm limare illum renuntiatum foret Chaweri filio, is ad eum cum gladio ingressus eum obtruncavit, patre nescio, & factum graviter dolente.

Eodem ipso anno Dargam Ducum præcipuus Viziratum occupavit; excitatâque adversùs Chawerum militiâ, illum Kahirâ fugere coegit: Taï qui Rezikum occiderat, in concursu primo captus & cæsus est. Dargamus dignitatem tenuit mensibus novem, nempe à mense Chewal anni 558[i], usque ad Jomadam 2[um] anni sequentis. Vocatus est novo titulo *Melic Afdal*, frater ejus Molhem, Adeli nomine, Nasser alter ejus frater, *Nasser el Muslimin* appellatus est. Chawerus Damascum fugit ad Noraddinum ex Atabekiorum stirpe famosum principem, juratum Christianorum hostem; à quo benignè susceptus, auxilium petiit & obtinuit. Missus idcirco cum magno exercitu Chiracoüa, quem nostri Autores *Siraconum* vocant, ex Curdis oriundus, Jobi, qui Saladini pater fuit, frater. Is cum Chawero in Ægyptum veniens ad

Vuu ij

Balbaïs castra posuit : ubi cùm adversùs eum processisset Nasser el Muslemin, cum exercitu longè superiori, victus tamen est. Chawerus ad Kahiræ suburbia venit, mox in urbem receptus est; cùm Dargamus fugiens & ignotus occisus esset; caputque ejus postea suis ostensum fuisset.

Chiracoüi Vizirus Ægypti.

Cùm interea Chawerus monitus fuisset parari sibi insidias à Chiracoüia, & ipsum Kahiræ mœnibus exclusisset, ingens tumultus tota Ægypto fuit ex diversarum partium studiis : omnes milites ad prædam versi, multas in urbe cædes perpetraverunt, domos diripuerunt, raptasque è conjugum sinu mulieres, aut alios homines liberos vendiderunt, Christianos, Armenos, Turcas, Ægyptios. Eo in tumultu Chenufa Monachus S. Macarii ab illis captus, cùm ad Muhamedanam religionem profitendam compelli non potuisset, occisus est anno Martyrum 808° : sepultusque cum honore in Ecclesia S. Sergii Misræ. Tunc dirutæ ab infidelibus plures Ecclesiæ, atque inter alias prope Kahiram *Hamara* & *Zahara* : omnes vastatæ & spoliatæ.

Chiracoüa prope urbem cum infesto exercitu obsidionem & prædas non intermittebat, donec accepit per Arabes, advenire cum Francorum exercitu Regem eorum Almericum, quem Arabes *Meri* vocant, eos quippe magnis muneribus ad suppetias sibi ferendas Chawerus excitaverat. Eorum adventu territus Chiracoüa, obsidione Kahiræ omissâ, in Sahidem fugit. Franci ad Balbaïs castrametati per mensem substiterunt; & postea hostem persecuti sunt. Commissum est inter eos prælium prope locum dictum *Elbanin*, in Sahidis finibus, ancipiti fortuna : nam ex Chiracoüæ exercitu multi ceciderunt, multi capti sunt : ex Francorum & Ægyptiorum parte, amissi etiam non pauci. Inde elapsus & ad Inferiorem Ægyptum festinans, Alexandriam occupavit, ubi à Francis & Ægyptiis diu obsessus, secretò effugiens Kahiram venit. Tandem de concordia actum Almerico satagente, cùm jam satis intelligeret quanto suo periculo cum Christianorum robore inter duos Infidelium exercitus conclusus versaretur : Chawerus quæ ipsi pollicitus fuerat fideliter præstitit, Chiracoüæ data pecunia, ut in Syriam reverteretur. Ita Chawerus in Viziri dignitate confirmatus, eam usque ad annum Hegiræ 564um retinuit. Tanta porro in illo Califatu imaginario Adedi vicissitudo rerum fuit, ut eam accuratè persequi nonnisi longo sermone possemus. Hæc verò fusè tractata sunt ab Abulfeda, Ebn-

Chucnah, autoribus rerum Ægyptiacarum omnibus : neque plura quàm retulimus necessaria sunt ad cognoscendum quantopere afflictus esset rerum status in continuis pro suprema dignitate præcipuorum ducum præliis, licentiaque militari, cùm Muhamedanis omnia tunc adversùs Christianos licerent. In illis etiam tumultibus describendis occupatur Autor hujus vitæ, ita ut de rebus Ecclesiasticis aut Christianis pauca admodum referat.

Inter alia memoratu digna quæ sub Patriarcha Joanne contigerunt, fuit conversio ad fidem Christianam, celebris inter Judæos Magistri, Abulfekhar filii Azhar. Hic cùm libros qui de ea haberi poterant legisset accuratè, adeo ut cum Judæis Hebraicè, cum Christianis Copticè loqueretur facillimè, disputationesque cum illius sectæ hominibus habitas eâ linguâ Christianis communicasset, tandem fidem in Christum magnâ constantiâ professus est, eoque nomine multa tam à Judæis quàm à Muhamedanis sustinuit. Judæi pecuniam sæpè polliciti sunt infidelibus, ut eum è medio tollerent : verùm Deo protegente liberatus est, & quadraginta annis in Ægypto inter ipsos Judæos professionem quam fecerat, constantissimè tenuit. **Judæi celebris ad fidem conversio.**

Cùm adhuc Vizirus esset Hali filius Selar, pervenerunt ad eum literæ Regis Æthiopiæ, quibus rogabat ut juberet ordinari Metropolitam regni illius. Erat tunc apud Æthiopes in ea dignitate Michael antea *Habib* seu Agapius dictus, Atfijâ oriundus, qui à Macario Patriarcha ordinatus, jam senuerat. Eo prætextu petebat Æthiopiæ Rex alium ordinari; causa verò præcipua fuit, quòd cùm is regnum absque ullo jure occupasset, Metropolita non modò injustam usurpationem non probaverat, sed eam illi vehementer objiciebat. Patriarcha ad quem pariter scripserat Rex, negavit secundùm Christianam disciplinam licere ut vivo Metropolita, alius in ejus locum ordinaretur; & quamvis instaret Vizirus, mandatis ejus adquiescere noluit. Ille furore percitus Patriarcham in carcerem Palatii sui conjici jussit, ubi magnas calamitates perpessus est; neque libertati restitutus, nisi post Viziri illius mortem. Frustrà ex recentiori Historia Æthiopiæ, quam magno labore collegit Jobus Ludolfus, quidquam ad hujus historiæ illustrationem quisquam exspectet : nihil enim reperitur certum, ante Lalibela Regem, de quo postea dicetur. Omnino igitur oportet ea quæ de Michaele Patriarcha retulimus, contigisse eo intervallo temporis quo familia quam *Zagæam* appellant, regnum occupavit, **Res Æthiopiæ.**

Hist. Æth. l. 2. c. 4. & 5.

quod juxta Ludolfum contigit circa annum J. C. 960um, aut paulò pòst quando interrupta est successio Delnoadi familiæ. Sanè Baltasar Tellezius qui ex sodalium suorum commentariis longè certiora quàm omnes reliqui de rebus Æthiopicis prodidit; reges ex Zagæa illa stirpe oriundos accusat tanquam injustos & memoriâ indignos, invidiosè nimium, si Ludolfo credendum est, *cùm*, inquit, *illa multos insignes Reges Æthiopiæ dederit, quorum etiam in Liturgia Æthiopica p. 163. col. 3. & apud Poetam meum fælix est memoria, ut Degna Michael & Newaia Christos.* Nec tamen aliud de illis Tellezius scribit, quàm quòd eos in Catalogo suo numerandos non est arbitratus, quia regnum exclusâ Salomonæâ familiâ injustè occupaverant. In tales igitur omnino quadrat, quod Autor noster scribit, quamvis incredibile videatur, ut de jure regni Michael Patriarcha litem Regi, qui tunc erat, moverit, ob antiquam & quæ jam annorum fermè ducentorum possessione firmata fuisset, familiæ Zagææ usurpationem. Verùm, ut credibile est, erat aliud quiddam negotii, quo exclusis legitimis dominis ille regnum sibi vindicaverat, quod ob summam historiæ Æthiopicæ obscuritatem divinando tantùm assequi possumus.

De sensu Confessionis fidei circa Eucharistiam controversia.

Nova sub eo Patriarcha contentio fuit circa Orationem seu Confessionem quæ ante perceptionem Eucharistiæ dicitur. Macarius Episcopus Semnudæ ejus ex fratre nepos, fraterque spiritualis in vita Monastica multos offenderat, quasi nimiùm mundanis rebus addictus, gloriæque cupidus. Ipse invicem offensus quibusdam Monachis, & Salmoni Abbati ad S. Bichoim, eos accusavit per literas apud Patriarcham, quòd Confessioni quæ in fine Liturgiæ dicitur, vocem novam à se ipsis institutam adjungerent, quæ antiquitùs usurpata non fuerat. Ea erat vox Coptica quæ *vivificum* significat; quæ tamen in multis aliis Liturgiæ locis usurpata reperiebatur, atque ita expositio fidei quæ in fine Liturgiæ fiebat, convenienter eam recipiebat in hanc sententiam. *Credo & confiteor usque ad ultimum vitæ spiritum, hoc esse corpus vivificum quod assumsit filius unigenitus, Dominus & Salvator noster Jesus Christus, ex Maria Virgine, & fecit unum cum divinitate sua; absque confusione, aut commistione, aut divisione.* Cùm literas Macarii Episcopi Semnudæi legisset Patriarcha, displicuit ipsi quod factum fuerat à Salmone & fratribus ejus Monachis; & post multos utrimque sermones, convocatis Epi-

ſcopis, res in eorum conſeſſu maturè perpenſa eſt. Tandem judicaverunt vocem de qua ambigebatur, orthodoxam ſententiam efficere, neque cauſam eſſe cur ea rejiceretur; quandoquidem corpus Chriſti eſt verè vivificum, & qui in illud credit, ei prodeſt ad vitam æternam. Scripſit igitur Patriarcha ſecundùm illam definitionem ad omnes provincias; eamque ſuſceperunt paſſim, in regione maritima, Miſræ & Alexandriæ, omneſque Monachi, exceptis Sacerdotibus Eccleſiæ S. Macarii, qui eam vocem adjicere renuerunt, excuſaveruntque ſe, eò quòd additio illa nova eſſet, & apud majores ſuos in uſu non fuiſſet: tum quòd adjungeretur ipſorum cauſa, & novum quemdam ſenſum inſinuare videretur. Hæc Autor noſter, qui de controverſia circa celebrem hanc Confeſſionem fidei, plura non habet: ſed ex Liturgicis codicibus quorum aliqui eam vetuſtatem habent, ut ab Joannis Patriarchæ ætate non longè abſint, intelligitur receptam tandem ubique eam particulam, quæ otioſa aut indifferens omnino cenſenda non erat. Nam, ut ex Cyrilli Anathematiſmis & Neſtorii Quaternionum excerptis manifeſtum eſt, carnem Chriſti vivificam dici, hæreticus ille non patiebatur. Itaque apta omnino vox illa eſt ad explicandam Euchariſtiæ fidem, ſimulque ad jugulandam Hæreſin, quam Jacobitæ tantopere averſabantur, neque aliena à ſenſu Orthodoxo ſententia videri poterat, quæ Cyrillum, Epheſinumque Concilium Autores haberet. Non ergo culpabatur à Salmone ſeu Salomone Abbate & ejus Monachis Confeſſio de Euchariſtia, quando quidem eam adhuc expreſſiorem eſſe volebant: neque quidquam aliis in ea additione diſplicebat, præter novitatem, quæ fere ſemper etiam in melioribus inſtitutis ſuſpecta fuit. At fortaſſis Monachos S. Macarii moleſtè habere potuit tum ſuſpicio aliqua de eorum fide, quaſi ad eam confirmandam novis explicationibus Liturgicas orationes augere neceſſe foret: tum fortaſſis ambitio quædam præpoſtera, quaſi ob Monaſterii ſui prærogativam inſignem, ab inferioribus dignitate doceri nihil deberent. Sanè contra illius Confeſſionis ſententiam nihil quidquam exculpi poſſe, res ipſa clamat; & quæcumque ad eam illuſtrandam adducere hoc loco poſſemus, alibi fusè expoſita ſunt.

Sub Viziro Saleho quaſi non ſatis turbarum in re publica foret, niſi novas in Eccleſia Jacobitæ agitarent, multæ ad eum Epiſcoporum & aliorum contra Patriarcham querelæ delatæ ſunt, quaſi autoritate ſua impotentiùs abuteretur. Ea occaſione conſeſſus habi- Turbæ adversus Patriarcham.

tus est, ubi Viziro præsente, de Religione Christiana disputatum est, cujus veritatem Patriarcha multis rationibus confirmavit: atque inter alias eam adhibuit; quòd *Jesus Christus in Alcorano, Spiritus, & Verbum Dei sit appellatus;* atque ita ipso Muhamede non diffitente, dignitas ejus superaret omnium Prophetarum dignitatem. Hæc disputatio literis consignata paulò pòst fuit, & extat in aliquibus codicibus. Cùm deinde quæstio de injuriis habita fuisset, jussus est exire Patriarcha, ut liberiùs qui de eo querebantur loqui possent: nec tamen continere se potuit, quin Monachum audacem præ cæteris, verberari coram se juberet. Hinc Vizirus eum in carcerem conjici jussit, Christianosque ejus causâ vehementer afflixit: & tamen, si superis placet, Episcopus ille percussor & turpis lucri cupidus, in carcere prophetabat, & miracula faciebat: prædixisse quippe dicunt proximam vinctorum omnium liberationem, quæ cædem Viziri secuta est.

Obiit autem Joannes cùm illam dignitatem Chawerus obtineret 4ª mensis Pachonis, anno Martyrum 883°, qui respondet anno J. C. 1167°, Hegiræ 563°, à 16 Octobris ducto initio: sepultus est post celebratas solennes exequias in Ecclesia S. Mercurii Misræ, in cujus ædibus mortuus est; prope corpus Gabrielis Patriarchæ decessoris sui. Utriusque corpus inde post annos tres, anno nempe Martyrum 886°, translatum est ad Monasterium S. Macarii satagente Marco filio Zaraa Patriarcha.

Cùm verò ordinatus fuerit anno 863° Martyrum, obieritque anno 883°, sedit annis 20 circiter. Makrizius 19. Abulbircat addit menses 8, & annum eumdem 883ᵘᵐ, sed malè Makrizius mortem ejus assignat anno Hegiræ 551°, qui respondet anno Martyrum 872°: neque tunc Vizirus erat Chawerus: movit enim ex Thebaide anno 558°: occisus est anno 564° Hegiræ, ut ex Abulfeda, aliisque Historicis manifestum est.

Res Muhamedanæ. Noraddinus. Nihil præterea quod ad res Ecclesiasticas spectet, de hoc Patriarcha occurrit apud Autores. Quantùm ad res politicas mutata prorsus erat rerum Orientalium facies, cùm, Sultanis reliquis aut spoliatis, aut nihil ferme ex avita dignitate retinentibus, summam potestatem obtineret Noraddinus, Damasci, totiusque fermè Syriæ & Mesopotamiæ dominus, Hamadeddini Zenghi filius. Is est unus fermè ex tot principum millibus qui laudari jure queat, cùm non modò bellicarum rerum gloriâ, maximè inclaruerit, summâque prudentiâ, verùm etiam virtutibus quæ in hominem Muhamedanum

Muhamedanum cadere queunt. Nam fuit justus, temperans, modestus, & religionis suæ observantissimus. Is porro primus fuit à quo Franci in Oriente atteri cœperunt: multas enim urbes ab illis recepit: sæpè eos acie vicit, tandemque maximum eorum hostem Salaheddinum ex aula sua produxit, à quo Hierosolyma capta, Christianique in tales angustias redacti, ut clades ab eo acceptas reparare nunquam potuerint. Quæ verò hoc vicennio inter Muhamedanos gesta sunt, hæc præcipua fuere.

Anno Hegiræ 545°, qui fuit Daferi 1us, J. C. 1150us, Noraddinus Damascum cepit, sed ita ut eam Megireddino relinqueret, in clientelam recepto. Occiditur Emirus Ebn-Mezal: & eodem anno Hali filius Selar, qui Viziratum occupaverat. Franci post longam obsidionem Ascalonem ceperunt.

Anno 546°, Noraddinus rediit Damascum, Megireddino infensus: is Francorum auxilium imploravit, atque ita Noraddinum exclusit.

Anno 547° obiit Hemdanæ Sultan Mashud filius Muhamed, nepos Melikschahi; qui hujus nominis nepotem successorem habuit in illo principatu, sed paulò pòst depositum, fatiscente jam Seljukidarum familia.

Anno 548° sequenti, majorem ea cladem accepit, capto à Turcis Sinjaro, ultimo filiorum Melikschahi, qui Sultanus inter eos erat, hoc est juxta patris sui dispositionem qui inter quatuor filios Imperium diviserat, supremam inter alios dignitatem tenebat. Is ante paucos annos, temerè suscepto adversùs Cachanum Turcarum Regem & Chowarezmiorum Regem bello, tanta cum cæde profligatus fuerat, ut cum quinque aut sex superstitibus fugerit, perierint duodecim millia virorum conspicuorum, inter quos Literatores, Poetæ, Fakii seu Doctores multi, quos in castris habebat. Ipse per annos quatuor, caveæ ferreæ inclusus, calamitates infinitas sustinuit postquam bellum redintegrasset, secundòque victus fuisset, hoc ipso anno.

Anno 549°, Noraddinus proditione civium Damasco potitus est. Obiit Dafer Ægypti Califa eo quo dictum est modo.

Anno 551°, Califa Moctafi, Sultani dignitatem contulit in Soliman Chah filium Muhamedis Seljukidam, ita ut Yracâ excederet, sed ea remaneret in Califæ potestate. Eo anno Sinjar ex carcere evasit.

Anno 552°, Muhamedschah filius Mahmoudi Bagdadum ob-

sedit, Sultani dignitatem ambiens. Ingens terræ motus in Syria: Halepum, Chizara, Apamea, Laodicæa, Sidon, Berythus, Tripolis, Acca, Tyrus penè eversæ. Obiit Sinjarschah; successitque Mahmoud filius Muhamedschah, Seljukida: cui honor primarum in Meschitis precum in plerisque provinciis supererat: autoritas planè mediocris.

Anno 555°, mortuus est Fayez in Ægypto, Moctafi Bagdadi.

Anno 556°, occisus est Vizirus Talahia filius Rezik, cognomine Melik Saleh, cùm annis septem negotia publica administrasset.

Anno 558°, prodiit Chawer novus Vizirus ex Thebaide: occisusque est Rezik Vizirus, qui patri Talahiæ successerat.

Anno 560°, Noraddinus Paneadem cepit.

Atque hæc est series præcipuarum rerum gestarum sub hujus Patriarchæ vita. De Confessionis abrogatione, quam ei attribuit Chronicon Orientale, ejusque adversùs Marcum filium Elkonbari gestis, dicetur in vita Marci filii Zaraa, sub quo magnæ de ea disciplina turbæ fuerunt.

MARCUS Pat. LXXIII.

MARCUS FILIUS ZARAA PATRIARCHA LXXIII.

AUTOR hujus vitæ alius est ab illis qui præcedentes scripserunt: & cùm alii præsertim antiquiores parcè admodum de politicis rebus egerint, hîc eas fusiùs omnino pertractat. In illis tamen recensendis modum quem toto opere huc usque nobis præscripsimus, excedere non visum est operæ pretium, tum quia id longioris laboris foret, tum quòd multa, quamvis à coætaneo Autore profecta, pleniùs tamen apud Muhamedanos Autores scribuntur & accuratiùs. Illorum si quis Commentarios adhibeat, præsertim in historia horum de quibus scribimus temporum, eam nonnisi multis voluminibus explicare poterit, quod ab Ecclesiastico opere foret alienissimum. Ut igitur huc usque præstare conati sumus, res politicas quàm brevissimè licebit ita attingemus, ut satis explicatæ lectorem non morentur, sciatque sub quibus principibus quæ ad Ecclesiam spectant gesta fuerint, reliqua prætermittemus, nisi quando singulari aliqua illustratione indigere videbuntur.

Mortuo Joanne cùm ad Monachos electio pertineret, nempe ut alio loco diximus, apud ipsos comitia ad electionem Patriarchæ habenda essent, reliqui ad suffragia ferenda admitterentur, proposuerunt Misræ cives & Ecclesiastici Marcum filium Zaraa, virum nobilem, qui antea vocabatur Abulfergius filius Abusahad, Syrum origine. Ita enim accepisse se Autor testatur ab illius fratre patrueli; notatque eodem familiæ cognomine fuisse jam alium Patriarcham Alexandrinum, cujus vitam Severus Aschmonin Episcopus scripsit, Ephrem scilicet 62um. Fuit quoque famosus inter Jacobitas Theologus Isa filius Zaraa, qui in Syria ante annos plus minus ducentos floruerat: cujus operâ habemus non pauca pro defensione Religionis Christianæ adversus Infideles, & Jacobiticæ sectæ adversùs Orthodoxos & Nestorianos: unde facilè creditur Marcum Syriacæ originis fuisse. Erat autem ab ineunte ætate præclaris moribus, perpetuâque castimoniâ commendatus, tum etiam doctrinâ rerum Ecclesiasticarum. Itaque communibus omnium votis electus est anno 880° SS. Martyrum, J. C. 1174°, anno Hegiræ, ut ait Autor, 566°; sed parùm accuratè: nam is annus Æræ Christianæ respondet anno Hegiræ 560°. Verùm hoc loco ut in aliis multis perturbatissima est Coptitarum Chronologia. Autor vitæ præcedentis, mortem Joannis refert ad annum Martyrum 883um: idemque asserit anno 886°, triennio post ejus mortem, translatum fuisse corpus ejus ex Ecclesia S. Mercurii Misræ, ad sancti Macarii, sub Marco isto: itaque si hæc vera sunt, præcessit ejus electio mortem Joannis. Verùm annum Hegiræ 560um habuit Codicis Regii quem sequimur prima scriptura, quam temerè aliquis emendavit, sex additis intra lineas. Annus Hegiræ 560us est J. C. 1164us; ex quo numero si detrahantur juxta certam regulam anni 284, supersunt anni 880 Martyrum, quibus notis videtur certum, Joannem maturiùs obiisse, aut minus vixisse quàm referat præcedens historia. Errorem hunc in alios libros irrepsisse ostendit Chronicon Abulbircat, in quo ejus ordinatio assignatur quoque anno Martyrum 883°: eo ipso quo mortuus dicitur Joannes ejus decessor. Postea uno eodemque contextu scribit sedisse illum annos 25, obiisse 6a Tybi, anno Martyrum 905°, qui respondet anno Arabico 585°: qui calculus ostendit initia Patriarchatus incidisse in annum Martyrum 880um, ut mox diximus.

Electio ad Monachos spectabat.

Cùm igitur, ut dictum est superiùs, rebus Ecclesiasticis omis-

Res Muhamedanæ.

sis totus sit Autor hujus historiæ in narranda mutatione Imperii, quæ tunc in Ægypto fuit, eam paucis prosequemur. Cùm Chawerus soluta ingenti pecunia Chiracoüam dimisisset, & in Syriam redire compulisset, Franci qui ex prima in Ægyptum expeditione intellexerant quàm facile foret Regnum continuis Ducum de principatu dimicantium bellis & rapinis exhaustum armis occupare, collecto numeroso exercitu redierunt. Causa fuit non omnino justa, si autoribus nostris credimus, neque enim pactis conditionibus Chawerus deerat : sed prædæ cupido. Non desunt tamen inter Muhamedanos qui eum perfidiæ erga Francos accusent, sed ut videtur immeritò ; satis enim intelligebat majus omnino sibi à Chiracoüa, si in Provinciam veniret armatus, periculum, quàm à Francis imminere. Verùm ubi illi in Ægyptum emenso deserto ingressi sunt, statim Chawerus legatione ad Noraddinum missa, auxilium ejus adversùs communis religionis hostes imploravit. Missus cum valido exercitu primariisque Regni Damasceni Emiris Chiracoüa, magnis itineribus in Ægyptum contendit. Almericus Rex Hierosolymitanus interea Balbaïs, seu Pelusium vi ceperat, omnesque cives aut milites, nullo discrimine occisi, aut in duram servitutem abducti fuerant, neque Christianis parcitum magis quàm Muhamedanis : urbs militi in prædam concessa. Affirmant Autores eum, si statim Kahiram propiùs copias admovisset, urbem imparatam seditionibusque turbatam primo impetu capturum fuisse : sed consumtis in unius diei itinere diebus decem, Chawerus animo suorum confirmato obsidionem fortiter sustinuit, donec Chiracoüam advenire nuntiatum est. Rex dubius animi omissa obsidione, ei occurrere consultiùs existimavit, gnarus quòd si prosperè cum eo pugnasset, Ægyptus futura mox esset in Francorum potestate. Chiracoüa magis sollicitus de occupanda Ægypto, quàm de ea defendenda, desertum emensus, pugnam declinavit, & se exercitui Ægyptiaco conjunxit : quod ubi Almerico relatum est, spe omni amissa, in Palestinam rediit. Ita Willelmus Tyrius, cui consentiunt Orientales historici.

Salaheddini initia.

Chiracoüa Kahiram veniens magnificèque receptus, statim de Chawero tollendo cogitavit, quem, cùm ad tentorium suum veniret, nec satis sibi caveret, Salaheddinus Chiracoüæ ex fratre nepos, cum alio Syriaci exercitus duce, quasi honoris gratiâ in medio collocatum, equo deturbavit, & vinciri jussit : mox ubi

fama Kahiram pervenit, Adedo Califa, & aliis purpuratis postulantibus, caput ipsi abscissum & conto præfixum, per urbem circumlatum est. Tumultuantibus verò adversùs Chiracoüam, qui mox cum pompa eam ingressus est, tum plebe tum militibus, ipse subito consilio inclamavit, Califæ jussu omnem Chaweri gazam illis in prædam dari, unde omnes ad domum ejus diripiendam conversi sunt. Chiracoüa Viziri insignibus à Califa acceptis, summam autoritatem obtinuit, & post sexagesimum diem subita morte oppressus est ex crapula anno Hegiræ 564°, J.C. 1168°.

Erat ille Curdus, ex aspera illa & latrociniis assueta gente, Gordyæorum veterum progenie, quæ vix unquam dominationis alienæ patiens, ob inaccessam regionem suis ferme legibus, per tribus divisa sub propriis principibus vixit, ex qua emi solebant mancipia, quæ ad militiam, cui à natura idonei præ cæteris esse videbantur, in satellitio Sultanorum multorum solebant institui, quibus plerumque exitio fuerunt. Nam per omnes militiæ gradus ad dignitates evecti, in continuis illis turbis quibus Imperium Muhamedanum à trecentis annis agitabatur, ad altiorem gradum contendebant. Chadi Chiracoüæ & Youbi pater, erat ex illorum Curdorum tribu Rowadia: natus in urbecula Dowin, in finibus Aderbijanæ: nulla alia eorum nobilitas fuit, licèt postquam Salaheddinus regnum occupavit, non defuerint, qui ex Ommiadis Califis, aliisque principibus stemma illorum deducerent, sed ipso Salaheddino, palpones illos, Muazzumque fratris Togtekini filium Yemenæ seu fœlicis Arabiæ principem deridente. Chadi servum fuisse Bihrouzi Rumæi, qui Seljukidarum nomine Yracæ Bagdadique præfectus fuerat, testatur Ebn-el-Farsi, antiquus eorum temporum scriptor, quem temerè fortassis alii refellunt, & ab eo Chiracoüa & Youbus evecti ad bellicas dignitates: primus arcis Takrit in Mesopotamia præfectus fuit: sed cùm homicidium perpetrasset, à Bihruzo viro æquissimo pulsus est, eâ nocte qua Salaheddinus lucem aspexit anno Hegiræ 532°. Recepit se Chiracoüa cum fratre ad Hamadeddinum Zenghi Mausilæ Principem, quem Takritâ ex fuga transeuntem, juverat. Is eos non modò fovit, sed præfecturis ornavit. Mortuo Hamadeddino Zenghio manserunt in aula Noraddini ejus filii, qui Chiracoüæ Rahabam, Emesam & alias urbes clientelari jure possidendas dedit, & inter præcipuos Duces habuit. Cùmque Noraddinus ipse de invadenda Ægypto cogitaret, neminem illi præferendum arbi-

Hamad Hispahanensis vit. Salahed. Ebn-Chalican Hist. Ægypt.

tratus est, ad ducendum exercitum : ter autem in Ægyptum venit, tandemque Viziratum obtinuit.

Salaheddinum qui primario nomine Yuceph, seu Joseph, appellabatur, habebat Chiracoüa filii loco, eumque licèt invitum in tribus illis expeditionibus secum duxerat, ubi Alexandriæ à Francis obsessus fortiter se gesserat : atque ea occasio fuit audacissimo juveni, ut non modò Viziratum, sed imperium Ægypti occuparet.

Erant in Syriaco Chiracoüæ exercitu, Emiri insignes multi Salaheddino & ætate & dignitate superiores, qui cùm inter se certarent, quis Vizirus constituendus foret, locum ei fecerunt ut hanc dignitatem capesseret, Adedo statim diploma & insignia concedente. Existimabat quippe illum ut juniorem, & quem alii sibi præferri non paterentur, faciliùs destruendum : unde etiam animum ei addidere, cùm propriis viribus diffideret. Emiros, uno excepto, qui in Syriam reversus est per Phaxium seu Doctorem quemdam Isam sibi conciliavit. Noraddino gratum id fuit, qui ita Ægyptum in potestate se habiturum existimabat, ignarus se familiæ suæ cladem parare : nam illa per Salaheddinum fortunis omnibus eversa est. At majestatem ambitiosiùs retinebat, mandata mittens per patentes literas, quibus Emirus Salaheddinus, & alii hæc atque hæc facere jubebantur. Gesta hæc anno Hegiræ 564°, J. C. 1168° : atque adeo triennio fere ante Adedi Califæ mortem : unde refelluntur Autores nostri, qui eum à Salaheddino statim occisum memorant.

Ita summum in Ægypto imperium, sed Viziri titulo adeptus Salaheddinus, pecunias Chiracoüæ & multas quas à Califa extorsit, Emiris atque militibus distribuens, largitione eos sibi conciliavit. Mores satis incompositos, nam vino & ludo nimiùm indulgebat, emendavit : tum quasi in peccatorum expiationem, bellum adversùs Christianos vovit : gemmas, equos, vestes, & pretiosa quæcumque donavit. *Mutmen-el-Kelafet* Nigrita spado, sed vir magni animi, nam solus imperium ejus detrectabat, arcemque Kahiræ cum Nigrorum præsidio tenebat, fraude circumventum occidit : inde gravis inter Salaheddini milites, & Nigros præsidiarios pugna, quorum plerique cæsi sunt.

Anno Hegiræ 565°, J. C. 1169°, Franci Damietam obsederunt, & post dies quinquaginta recesserunt, cùm accepissent Noraddinum Arcem Karac obsedisse, quam statim omisit. Adedus

decies centena aureorum millia ex privato ærario dedit, ut obsessis & exercitui necessaria subministrarentur. Ingens terræ motus in Syria, bello hujus anni finem imposuit. Salaheddinus fratres suos remitti ad se à Noraddino postulavit, & ægrè obtinuit.

Anno 566°, J. C. 1170°, obiit Mustangid billa Califa Abbassidarum 32us, cui suffectus filius Mostadi. Salaheddinus adversùs Francos movens Ascalonem & Remlam circumsedit, sed mox recessit: Ailam ad mare cepit.

Anno 567°, J. C. 1171°, cùm Noraddinus vehementer instaret, nec ullam Salaheddini excusationem admitteret, coactus est tandem abolere publicam in Meschitis Fatimidarum nomine orationem, oratumque pro Mostadi Abbassida, nullo tumultu. Orationem ex Ambone fecit Persa quidam Sufius sive Religiosus, cùm Khatib seu Præses Meschitæ ordinarius id facere præ metu seditionis detrectasset. Nam Noraddinus erat Sunnita, Abbassidis addictus, atque adeo Fatimidas habebat pro hæreticis. Aded tunc periculosissimè ægrotabat, & decimo postquam id factum fuerat die, obiit. Variant Arabes, nam antiquiores dicunt vocatum ab eo Salaheddinum morienti officia omnia præstitisse: filiosque ei commendasse Califam, quod ab uno ex illis qui post annos fermè sexaginta in carcere adhuc vivebat anno Hegiræ 628°, didicisse testatur Cheabeddin Abu-Achama. Willelmus Tyrius ait Califam à Salaheddino occisum. Autor noster eum quoque ejusdem cædis accusat; ita ut cùm comperisset parari sibi ab Adedo insidias, illum in quadam turri inclusum occiderit. Refert idem ex aliorum testimonio, Adedum compotantem cum Salaheddino, statim ut vidit Touranschah fratrem ejus natu majorem, qui inopinatò intervenit, venenum quod in annuli pala gestabat suxisse, & paulò pòst mortuum. Hanc enim veneni ad subitos casus parati consuetudinem diversis locis Autores nostri Jacobitæ commemorant. Addit eos qui vim veneni statim senserunt, conatos fuisse ab eo extorquere ubi thesauros deposuisset, cùm recusaret, fascia sua capitali strangulatum.

Will. Tyr. l. 20. c. 12.

Hic finis Fatimidarum regiæ in Ægypto familiæ fuit, cujus initia ab Obeidalla Imperatore primo, qui Califæ titulum assumsit Segelmessæ in Africa, referuntur ad annum Hegiræ 299um: duravitque annis 266, in Ægypto 208. Erant omnes *Rafidæi* seu sectæ Persicæ, quæ Halin & Haliadas pro legitimis Pontificibus, & Principibus agnoscebat: à quibus per Fatimam uxorem,

Finis imperii Fatimidarum in Ægypto.

Muhamedis filiam, suas deducebant origines. Hinc Fatimidæ dicti: & *Imamii*, quasi Pontificii, quia inter majores suos numerabant eos Halis posteros, qui *Imami* seu Pontifices appellabantur, & quos Ommiadæ utrâque dignitate, temporali & spirituali, spoliaverant. Ipsi quoque Imamos se appellabant: Abbassidas detestabantur, tanquam invasores supremæ illius dignitatis, qui ad familiam Muhamedis nullatenus pertinebant, tum ut Autores falsarum multarum traditionum. Ita per annos fermè trecentos divisi erant in duas illas sectas Muhamedani, quæ adhuc supersunt. Tertius item erat Califa ex Ommiadarum stirpe in Africa & in Andalusia seu Hispania. Vocabantur etiam *Halowiin*, hoc est *Haliadæ*, seu Halis posteri.

Accusabantur Manichæismi, seu *Zindiket*, quod idem est, Magiæ, & multorum criminum, quæ quidem eodem loco habenda sunt, ac pares illorum & qui eamdem sectam profitebantur, adversùs Abbassidas injuriæ, qui armis non jure Califatum obtinuerunt.

Gaza Fatimidarum ingens.

Gazâ regiâ potitus Salaheddinus, eam, ut erat liberalissimus, omnem distribuit, aut ad Noraddinum misit. Erat autem ingens rerum omnium copia, aulæorum, peristromatum, vestium generis omnis, vasa ex auro argentoque innumera, chrystallina item & murrhina seu porcellanæ non minoris pretii: gemmæ, uniones: smaragdus palmi & dimidii longitudine: rubinorum majorum qui drachmarum Ægyptiacarum septemdecim pondus æquabant, linea: unio insignis ovi columbini magnitudine. Tandem, quod non minoris æstimabatur, Bibliotheca voluminum centum mille, elegantissimè scriptorum & compactorum, quæ Doctoribus literatisque distribuenda curavit. Non mirabitur tantam librorum multitudinem, qui sciet extare apud Muhamedanos infinitam eorum copiam. Primum locum obtinent Theologi qui Alcoranum interpretati sunt, magno numero: tum qui traditiones explicaverunt, plures adhuc: Juris & Legum interpretes, Philologi, Grammatici, Critici, Poetæ, præter Philosophos, Medicos, Historicos, aliosque qui sub certis classibus comprehendi non possunt. Sola Hadgi Calfæ qui ante paucos annos Constantinopoli vivebat Bibliotheca, quadraginta & ampliùs millia titulorum complectitur, quorum librorum plerique non uno volumine comprehenduntur. Tamen antiquos multos non habet, quorum in aliis libris memoria est: de Africanis scriptoribus quorum ingenia feracissima

raciſſima fuerunt, nihil ferme ſcribit : de Chriſtianis planè ſilet : Philoſophorum, Mathematicorum, & Aſtronomorum paucos omnino recenſet. Ita non difficile fuit colligi à Fatimidis Principibus, tot voluminum Bibliothecam : cùm ante annos circiter ducentos, ut legimus, apud Ebn-Calican, Iſmael quidam Abulcacem invitatus à Noah filio Almanſoris Samanide, ut ad ſe veniret, excuſaverit ſe quòd libros ſuos transferre vix poſſet, quibus deferendis quadringenti cameli vix ſufficerent.

Eo ipſo anno venerat ex Syria in Ægyptum Youb, ſive Jobus, Chadi filius, Chiraκoüæ frater, Salaheddini pater, qui illum tanto honore proſecutus eſt ut etiam imperium ei deferret. Manſit verò apud illum in ſumma dignitate, ærario præfectus. Jamque ſuſpectum habere Salaheddinum Noraddinus cœperat, præſertim cùm ille Francorum fines ingreſſus, arcemque Chaubeκ obſidens, ſtatim atque Noraddinum appropinquare audivit, in Ægyptum reverſus eſt. Timebat quippe ne ſi in conſpectum ejus veniret, omnes exercitus Syriaci duces, & milites ad veterem communemque dominum deficerent. Noraddino indignationem animi non obſcurè præ ſe ferente, rumoremque diſſipante, quaſi ſtatim cum omnibus copiis in Ægyptum profecturus eſſet, cùm trepidaret Salaheddinus, fratreſque ejus & amici vim vi repellendam conclamaſſent in conſilio habito cum Emiris præcipuis, Jobus callidus & recoctus ſenex, illud abrupit dicens, omnes ſe ſervos eſſe Noraddini, ſeque ipſum, ſi ita juberet, caput filio præciſurum : non opus eſſe exercitu ut filius in obedientia erga principem, & patronum ſuum contineretur, ſufficere ut ex ſervis aliquem cum mandatis mitteret, qui mantile ſive faſciam collo filii circumligaret, eum in Syriam uſque ſecuturum. Tum ſecretò increpans filium quòd ſuam dubitationem coram tot ducibus fortunæ ſuæ invidentibus patefeciſſet, juſſit bono animo eſſe; nam ne ſacchari quidem arundinem Noraddino, ſi peteret, daturum : at non exacerbandum fuiſſe novis ſuſpicionibus illius animum, ne omiſſis negotiis omnibus ipſoque adversùs Francos bello, imperium nondum ſatis confirmatum aggrederetur, & ad ſe transferret. Paulò pòſt 568 anno mortuus eſt Jobus, cùm equo lapſus fuiſſet. Reliquit filios ſex, quorum ſecundus erat Salaheddinus.

Eo anno 568°, J. C. 1172°, Tripolis Barbariæ à Salaheddini fratre capta. Eo quoque Karacum, ſeu, ut noſtri homines ſcri-

bunt, *Krac*, obſedit Salaheddinus, ſtatimque in Ægyptum rediit, accitus ut videri volebat à patre morituro; ſed re vera ne ea arce capta, & Francis depulſis, liber Noraddino aditus pateret.

Anno 569°, J. C. 1173°, Chemſeddoula Touranſcha frater Salaheddini natu major, Nubiam ingreſſus & populatus eſt. Poſtea cùm Nubia ob paupertatem & ſterilitatem diſpliceret, in Arabiam felicem ſeu Yemenam duxit adversùs Abdelnebi quemdam ex Arabum veterum ſtirpe, quem cepit & occidit. Octoginta urbes aut arces, Zebidam & Adenam inter alias expugnavit. Fratrem virum turbulentum & ſuperbum, duceſque & milites ad ſeditionem paratos, occupabat his bellis Salaheddinus, ne res novas molirentur: nec illa ſuſcipiebat abſque Noraddini licentia. Cùmque illi occaſio vel prætextus ad Salaheddinum ſpoliandum deeſſet, miſit eo anno quemdam Ebn-Elkeïçar cum mandatis, quibus Fatimidarum theſauri, pecuniarumque tam publicarum, quàm privatarum gazæ regiæ, rationes dare jubebatur. Obtemperavit ille, magnamque pecuniæ vim auferri paſſus eſt. Eo enim ipſo tempore conjuravere adversùs eum multi ex viris principibus, ut Fatimidas reſtituerent. Plurimi ſupplicio affecti: major etiam tunc à Noraddino metus, nam copias colligere cœperat ut in Ægyptum veniret, Salaheddinumque in ordinem redigeret, cùm morte præventus eſt. Miſerat ad eum Salaheddinus munera ſummi pretii quæ enumerat Makrizius; tentoria quinque ex ſericeis plagulis auro intextis cum aureis annulis, fibulis & commiſſuris: gemmas ponderis inuſitati, balſami exquiſiti ampullas quinquaginta: rariora autem præ omnibus exiſtimata ſunt, abacus quadraginta vaſa porcellana continens Sinenſis opificii: fruſtum ingens Agallochi ſeu ligni Aloes odoriferi, quo ad ſuffitum utuntur Orientales: Anbari fragmenta magna duo: alterum triginta, alterum viginti librarum pondere. Hæc autem potiſſimum obſervamus, quia multa quæ ad navigationis & commercii hiſtoriam ſpectant, deduci inde poſſunt. Nam quantùm ad Sinenſes res ſpectat, certiſſimum eſt non ex eo ſolùm indicio, ſed ex integro libello Muhamedis Sirafitæ, Indicam, Sinicamque navigationem jam ante trecentos plus minus annos Muhamedanis apertam fuiſſe, & frequentiſſimum Indicarum Sinicarumque mercium emporium fuiſſe in urbe Siraf, quæ erat in ora ſinus Perſici. Anbarum quoque de quo tantâ curâ diſputatur à rerum naturalium hiſtoricis, Autores multi teſtantur reperiri in ora Africæ Orien-

tali, ejicique ad litus pretiosi illius aromatis fragmina molis insuſitatæ. Aloes illud genus non alibi potiſſimum naſcitur quàm in peninſula *Comar*, à qua nomen habuit Promontorium quod Caput Comorinum nautis noſtris appellatur: de quo Avicenna, Ebn-Beitar & multi alii. Nempe hæc in Ægyptum veniebant ex Oceano Indico delata vel per Mare Rubrum, vel à ſinu Perſico in portum *Elkoſir*, quæ urbs tridui itinere per deſertum diſtabat à Cus, Thebaidis urbe celebri, unde ſecundo Nilo in Ægyptum merces vehebantur, ſed hæc alibi tractabimus. Dona autem illa quæ ducentis mille aureis æſtimabantur, cùm de morte Noraddini allatum fuiſſet, in Ægyptum relata ſunt. Erat ſanè Noraddinus omnium qui inter Muhamedanos floruerunt, principum integerrimus: religionis ſuæ obſervantiſſimus, nullo vitio: multis imò virtutibus inſignis. Nam præter ſummam rerum bellicarum peritiam, & fortitudinem, quam magno ſuo malo Chriſtiani ſæpiùs experti ſunt, erat continens, modeſtus, parcus, juſtitiæ tenax, à rapinis & exactionibus alieniſſimus. Doctores Muhamedanos, alioſque ſcientiâ juris inſignes maximi faciebat, & magis quàm inani literatura commendatos, impensè colebat. Unde multa quæ adhuc ſuperſunt Collegia, Damaſci, Moſulæ, Hemeſæ, Halepi, atque in aliis urbibus ditionis ſuæ ædificavit, ampliſſimiſque reditibus fundavit. Meſchitas etiam celebres multas: Xenodochia, Ptokotrophia, tam pauperum quàm infirmorum, non pauca erexit, & ditavit. Unde nihil illi ad ſolidam laudem videtur defuiſſe, quàm veræ religionis cognitio. Salaheddinus ingenti metu liberatus, poſtea Ægyptum cum ſumma autoritate obtinuit.

Hæc quæ ad illius principatus initia ſpectant, prolixiùs proſequi neceſſe fuit, quia res illius cum Chriſtianorum rebus magnam habent connexionem, tum quia illas à viris etiam doctiſſimis parum accuratè explicatas fuiſſe dolendum eſt. Unde monitos lectores velim, ne ſi quæ illis occurrent aliter tradita quàm à nobis factum eſt, de fide & diligentia noſtra dubitent, præſertim ſi quæ in nupera Bibliotheca Orientali Viri clariſſimi amici noſtri Bartholomæi Herbelotii de iſtis rebus leguntur, cum noſtra narratione comparent. Abſit ſanè ut viro doctiſſimo, quem ut Magiſtrum ſemper ſuſpeximus, laudis aliquid detractum velimus. Plura ſanè & meliora longè præſtare in hoc literarum genere potuiſſet, quàm in opere illo poſthumo, in quo licèt multa recon-

ditissimæ eruditionis reperiantur, tamen non pauca sunt quæ emendaturus erat si supervixisset; aut ad Historiæ Orientalis cognitionem penitiorem, adjecisset animum, ut ejus autoritas fraudi nobis esse non debeat, præsertim in rebus, quales mox à nobis expositæ sunt, quas ex ipsis quos laudat autoribus & multis aliis conquisivimus. Nam, exempli gratiâ, Chiracoüam, aut sicut scribit *Schirgoüé*, in diversis locis fratrem Salaheddini fuisse scribit: quamvis alio loco ejus, ut verè fuit, patruum fuisse dicat. Itaque conciliari inter se non possunt quæ de historia illius mutationis leguntur in Bibliotheca sub his diversis titulis *Adhedi*, *Aiubi*, *Salaheddini*, *Schirgoüé*: in quibus multa contra veritatem peccata sunt, nempe quia schedas informes, qui editioni præfuerunt, non satis accuratè expendebant, antequam ederent.

Tit. Saladin.

Leges adversus Christianos renovatæ.

Sed quia huc usque non tam de Marco filio Zaraæ Patriarcha, & rebus Ecclesiasticis, quàm de Salaheddino dictum est, ad illas jam revertendum foret, si quid hæc vita contineret quod ad illas referretur. Verùm nihil omnino refert Autor, nisi quod primis ejus annis inter bellorum tumultus renovatæ fuerint adversùs Christianos leges veteres, de zona & habitu diverso ferendis: ne equis aut mulis veherentur: ne ad Diwanorum publica ministeria admitterentur: ne in Ecclesia preces elatiori voce facerent: ne campanas haberent: ne processiones solennes celebrarent in festo Palmarum. Ecclesiæ quoque luto oblitæ: cruces quæ in earum superliminaribus erant, eversæ; multæ denique calamitates illis supervenerunt: unde multi & quidem nobiles, officiis utilibus ad opes parandas destituti fidem abnegaverunt. Sed quando Salaheddinus rerum potitus est, summa tranquillitas in Ægypto fuit, magna omnium rerum ubertas; tributa levata, multaque penitùs sublata: tandemque Christiani iterum ad Officia publica admissi, ita ut vix ullus esset in aula, etiam ex Salaheddini filiis, fratribus aut affinibus, qui non aliquem Christianum haberet ab actis, rationibus vel epistolis. Quod reliquum est, Autor consumit in hujus Sultani historia contexenda, quam cùm non satis accuratè exposuerit, eam nos ex diversis melioris notæ autoribus compendio trademus.

Anno eodem 569° refert Makrizius Guillelmum Rogerii filium cum ingenti classe Alexandriam appulisse, eamque obsedisse: sed aliquot eruptionibus fatigatos Christianos, amissis incendio, aut depressis aliquot navibus, anno sequenti recessisse: alii ad annum

572um referunt. Willelmus Tyrius ad annum 1173um, qui respondet Hegiræ 569°, sexque circiter tantùm diebus, expeditionem hanc infœlicem ducum negligentiâ, durasse scribit. Erat is Guillelmus secundus Siciliæ Rex.

Anno 570°, rebellavit Kenaz seu Kenazeddoula Asowanæ præfectus, debellatus ab Adelo Sultani fratre. Is Kenaz ad rebellionem Ægyptios, Nigritasque in Thebaide concitaverat, eo nomine quod Fatimidas avito regno restitutos vellet. Item à Makrizio memoratur defectio Habassi filii Chadi, qui urbem Kous cepit, sed in prælio occisus est. Alia etiam, sed quæ à Makrizio refertur ad annum 572um, fuit circa Kest, sive Coptum, antiquam urbem in Thebaide, duce Abdelkoüæ filio, Davidem Adedi ultimi Califæ filium se esse simulante : sed is ab Adelo oppressus : urbs penè diruta, tria rebellium millia suspendio necata. Salaheddinus Damascum proditione Emirorum occupavit, quæ erat caput regni Salehi Sultani, qui filius erat Noraddini, cui honorem publicarum precum, nominis in pecunia impressionem & alias prærogativas abstulit : multas alias urbes pulsis dominis cepit.

Anno 571° exercitum principum Mosulensium Hamadeddini Zenghi & Seifeddini Gazi, qui cum Saleho affine conjunxerant se adversùs Salaheddinum, ipse fudit : Halepi obsidione omissâ quam anno superiori aggressus fuerat, *Menbigiam* seu Hierapolim cepit. Ab Ismaelita sicario appetitus accepto vulnere, eum retinuit dum à custodibus corporis occideretur : duo alii in eum similiter irruerunt, & occisi sunt. Missi erant à Senano eorum principe. Halepum secundo obsedit. Chemseddoula Touranscha frater ejus, cùm Arabiæ pertæsum esset, rediit, Damascique præfecturam obtinuit.

Anno 572°, Salaheddinus ut designatam sui cædem ab Ismaelitis vindicaret, Castrum Mosiab, ubi Senan eorum dux residebat, obsedit : eàm tenebant ab anno 535°, distabatque secundùm Abulfedam ab Hama unius diei itinere : vastatis agris, pacem furiosis illis, hortante Cheabeddino avunculo concessit. Novo muro Misram & Kahiram cinxit, arcemque in monte vicino Moktam ædificavit : 29300 cubitorum circuitus murorum fuit. Collegium etiam in Kahira veteri prope sepulcrum Chafehii, famosi illius doctoris, & sectæ Theologicæ principis erexit. Eodem anno Autores multi magnam rebellium in Thebaide, Nigrorum præsertim, cædem

factam fuisse memorant, adeo ut ex centum millibus octoginta mille perierint. Tributum quod Emitus Meccæ, Gioddæ & Aidab à peregrinis Meccam petentibus exigebat, sustulit, assignatis duobus millibus aureis Emito, magnâque tritici copiâ ex Ægypto.

Anno 573°, J. C. 1177°, cùm Remlam usque cum exercitu venisset, partemque copiarum ad vastandos agros misisset, subitò Franci eum adorti in fugam verterunt: adeo ut magna exercitus parte amissâ, per desertum fugerit. Qui dispersi remanserant, concurrentibus undique Christianis, cæsi aut capti sunt, inter quos famosus Doctor Isa El-Arati, quem post annos duos aureis sexaginta millibus redemit. Gesta hæc sub Balduino 3°. Franci Hamam obsederunt, sed sine successu: mox Hatem, cujus obsidionem omiserunt acceptâ pecuniâ à Saleho Noraddini filio, qui eam obsedit & cepit, occiso priùs per tormenta Kemschtekino Viziro suo, qui eam clientelari jure tenebat.

Anno 574°, fames & pestilentia, tum anni superioris clades impedimento fuerunt, ne ulla expeditio susciperetur, nondum reparato exercitu. Prælium tamen Francis infaustum fuit prope Beït Yacoub, ubi arcem extruxerant, una statione à Damasco distantem.

Anno 575°, J. C. 1179°, Salaheddinus arcem Francorum prope Paneadem cepit.

Anno 576°, J. C. 1180°, obiit Califa Mostadi Abbassida, cui successit filius Nacer. Hic eodem anno Diploma investituræ, vestem, & reliqua principatus insignia Salaheddino misit. Is copias duxit adversùs Livonem seu Leonem Armeniæ Regem, auxilium laturus Kelige Arslano, Romaniæ principi: pacisque conditiones utrique præscripsit. Obiit Chemseddoula Turanscha frater ejus major, Alexandriæ præfectus, bello strenuus, sed insolens, vinosus, libidinosus, rapax, crudelis, liberalitatis profusissimæ.

Anno 577°, J. C. 1181°, obiit Saleh Noraddini filius, Halepi & Syriæ Sultanus, absque liberis: Califa Halepi præfecturam petiit, nec obtinuit. Legatus Imperatoris Constantinopoli Kahiram venit: paxque inter eum & Salaheddinum sancita. Quatuor filios cum quatuor filiabus Adeli fratris matrimonio conjunxit. Inducias cum Tripolitano Comite fecit.

Anno 578°, J. C. 1182°, multas urbes in Mesopotamia cepit, quæ ad Mosulensem Sultanum Atabekidam pertinebant.

Arnaldus Castillionæus Karaki Dominus classe instructâ, Ailâ solvens, Aïdab in Arabia obsedit, & Meccam tendens cùm inde abesset, unius diei itinere redire aquæ penuriâ coactus: Muhamedanos multos peregrinos occidit; adversùs Muhamedem & Meccam, multas contumelias & minas jactavit, quæ ipsi necis causa fuerunt. Variant tamen Autores, sunt enim qui dicant illum à classe Ægyptiaca interceptum; magnam cladem accepisse.

Anno 579°, J. C. 1183°, Halepum Salaheddinus frustrà obsessam recepit ab Hamadeddino Zenghi, cui Sinjaram, Cabour, Nisibin, & Seruge concessit. Karak obsedit; sed coactus obsidionem solvit.

Anno 580°, J. C. 1184°, iterum eamdem urbem obsedit, & repulsus est. Neapolim, Sebasten aliasque urbes & agros vastavit: Adedi filios sub arctiori custodiâ ob metum seditionis, haberi jussit.

Anno 581° Mosulam obsedit, cùmque Azeddinus filiam Noraddini matremque suam aliasque, quod summæ demissionis erat indicium, fœminas, ad eum deprecatum misisset, ut ab obsidione recederet, negavit: unde tanta fuit civium indignatio, ob contemtam Noraddini filiam, ut resumtis animis eum fortiter repulsum abscedere coegerint: tandem pax inter eos sancita. Salaheddinus hoc anno periculosissimè ægrotavit Harranæ: regnumque jam filiis diviserat: sed convaluit. Nacereddinum Muhamedem Chiracoüæ filium, patruelem suum, quod rumore de morte ejus divulgato Damascum occupare designaverat, veneno sustulit, etsi præter consanguinitatem, sororem suam haberet uxorem. Nec hoc ejus scelus dissimulant magni ejus laudatores Ebn-Chalican, Abulfeda, Makrizius. Hemesam quæ ditionis Nacereddini erat, pecuniis, armis, equis spoliatam pupillo tradidit, qui Chiracoüa dictus, avi nomine diutissimè hunc principatum tenuit. Narrat Ebn-Chalican puerum illum, cùm ad Salaheddinum adductus ab eo interrogatus esset, an aliquem in lectione Alcorani progressum fecisset, respondisse: *Eò loci perveni, Domine, ubi scriptum est eos qui orphanorum opes injustè comedunt, ignem perniciosum comedere, quo consumendi erunt, donec in infernum detrudantur.*

Anno 582°, J. C. 1186°, domesticis dissensionibus agitatus Salaheddinus, Adelum fratrem Halepo revocatum, Præfectum

Ægypti constituit : mutationes varias præfecturarum & principatuum fecit. Ad eum annum referunt Autores præcipui expeditionem Arnaldi Castillionæi Principis Karac in Arabiam, prope Meccam ubi agmen ingens seu Caravanam Peregrinorum intercepit, multos occidit, plures in captivitatem abduxit : & dimittere rogatus ex induciarum pacto, negavit. Hinc triste illud Salaheddini votum de eo, si in manus ejus incideret, occidendo.

Annus 583us, J. C. 1187us, luctuosus admodum Christianis fuit. Comes Tripolitanus, cum Salaheddino fœdus habebat, ob inimicitias cum Guidone novo Rege, Sibyllæ marito : tandem cum aliis adversùs Salaheddinum, qui prope Tiberiadem castra posuerat, in aciem prodire coactus est. Interclusâ Christianis aquâ, igneque in fœna injecto, cùm calore, fumo & siti vexarentur, cum eis conflixit prope Tiberiadem, eosque magna strage devicit. Captus Rex Guido cum Arnaldo & multis aliis. Templarii & Hospitalarii equites plusquàm ducenti, ante tentorium ejus occisi; neque enim quoscumque bello ceperat, dimittebat, Assassinos eos vacans : & quinquaginta aureos pro cujuscumque capite, militibus donare solitus. Inducti in tentorium ejus Guido Rex & Arnaldus : cùm siti penè enecti essent, jussit afferri potum quem *Sorba* vocant, nos vulgò ***Sorbetum***, nive refrigeratum; & Regi porrexit : Arnaldoque ex Regis manu poculum accipienti, negavit illum se permittente aut conscio bibere : erat enim vetus hæc hospitalitatis Arabum lex, ut quicumque apud hostem ederat aut biberat, occidi non posset. Arnaldum statim postquam multis verbis increpasset, ut perfidum fœderumque violatorem accusavit vehementiùs quòd Meccam adoriri ausus, quòd Muhamedem convitiis violasset; quòd tantum Muhamedanorum sanguinem fudisset : significavit igitur moriendum esse, nisi Christum abnegare vellet. Id cùm Arnaldus constantissimè rejecisset, inermem acinace educto Salaheddinus obtruncavit : Regem humanissimè convivio excepit. Tiberias mox capta, ut etiam Jafa, Nazareth, Cæsarea, Neapolis & plures aliæ partim vi expugnatæ, partim deditæ. Infœlicem hanc ad Tiberiadem, ut vocamus, pugnam, Muhamedani *prelium Hettin* appellant, ab eo loco ubi Christiani aciem disposuerant. Acca etiam, Berythus, Ascalon tandem receptæ; sed ea conditione, ut Rex Guido liber dimitteretur. Castellanus Beth Gabriel cum quingentis, liber dimissus in Europam rediit, & Venetorum, Genuensium & Pisanorum auxiliis adjutus, post

post sex menses cum centum navium classe Tyrum reversus est. Eo etiam anno *Marchisus*, ita vocant Marchionem Montisferrati, classe Acconem advectus, cùm eam ab Infidelibus teneri didicisset, deluso Adelo, Tyrum contendit, & urbis defensionem suscepit. Mox Salaheddinus Hierosolyma obsedit; nec cepisset absque civium discordia, & Christianorum Melchitarum proditione. Nam per quemdam Josephum Elbatith ex eadem secta, qui negotiorum causa multoties in urbem receptus erat, eos ad excutiendum Francorum jugum, quos numero superabant, incitavit. Tandem his conditionibus urbs deditionem fecit, ut Franci liberè exirent; ita ut vir decem aureos, mulier quinque, infantes unum penderent. Patriarcha laminas aureas & argenteas, sacramque Ecclesiæ sancti Sepulcri supellectilem abstulit: ea cùm Muhamedani negarent ex pactis auferri debere, Sultanus dimitti jussit. Quatuordecim captivorum millia in urbe remanserunt. Crux insignis aurata super Hospitalariorum Ecclesiam, magno infidelium plausu dejecta est. Victoria hæc toto illorum imperio festis, triumphisque celebrata. Mox Tyrus obsessa: adductæque decem majores ex Ægypto naves, ad eam mari claudendam: quarum quinque à Tyriorum classe captæ, reliquæ depressæ sunt: omnes Muhamedani gladio aut naufragio periere, paucis qui enataverant servatis. Hinc coactus Salaheddinus obsidionem solvere, exercitum in hyberna dimisit, & Acconem venit. Hoc primùm anno ex quo Franci in Syriam venerant, Caravanæ Meccanæ liberum per oram Syriæ iter habuerunt: verùm cùm occurrissent prope Arafat, ea quæ ex Ægypto, & altera quæ ex Yraca veniebat, atque Emirus istius honoris prærogativam peteret ob Califæ insignia, Ægyptiacæque Emirus, Salaheddini nomine tympanum pulsari vexillumque attolli jussisset, cruentum fuit inter eas prælium, in quo Emirus Ægyptius occisus est: neque Salaheddinus excusationes Califæ admisit.

Anno 584°, J. C. 1188°, Antarsum, Laodicæam, Sionem, & alias urbes aut castra cepit. Induciæ octo mensium cum Boemundo Principe Antiocheno factæ: Karac sub finem anni dedita. Præsidia Francorum ex captis urbibus Tyrum migravere, quæ salus urbis fuit. Eo anno noctu quidam ignoti, Kahiræ populum ad arma vocaverunt ad restituendos Fatimidas, sed nemo se commovit.

Anno 585°, J. C. 1189°, Salaheddinus obsedit rupem Ar-

non, cujus Dominus Arnaldus nomine, post longam defensionem, de deditione cum eo egit: sed cùm moras necteret, ab eo in vincula conjectus est. Franci acceptis ex Europa auxiliis Acconem obsederunt terra marique, cum triginta peditum, equitum duobus millibus, quamvis præsidium decem millium armatorum foret. Salaheddinus castris in conspectu eorum positis, magno prælio victus est, amissis plusquam decem suorum millibus; exercitus omnino dissipatus fuit. Classis Ægyptia in ipso portu cum Christiana pugnavit, & obsessis subvenit. Turres à Francis erectæ ad summam altitudinem, naphtâ paratâ à quodam Bagdadensi nomine Ebn-Nejas, consumtæ sunt, cum multis militibus, idque semel & iterum.

Anno 586°, J. C. 1190°, Salaheddinus convocatis ex toto Imperio copiis, auxilium Acconis tentare cœpit: sæpè levibus præliis victi Muhamedani, obsidio continuata, aucto exercitu millenis aliquot viris residuis ex Germanico, quem Fridericus Imperator eo anno mersus in Cydno ducebat.

Anno 587°, J. C. 1191°, Rex *Fransis*, ita vocant Regem nostrum Philippum Augustum, cum centum navibus advenit: renovataque acriùs obsidio: quotidie cum Muhamedanis fœliciter pugnatum: urbs dedita iis conditionibus, ut arma, machinæ, naves Christianis relinquerentur: solverent Muhamedani ducenta aureorum millia: sacræ Crucis lignum restitueretur: ut etiam captivi quingenti, inter quos centum nobiles. Hæc pacta non observata scribunt Abulfeda, & alii, multosque captivos occisos, præter eos qui in castra deducti in conspectu hostilis exercitus cæsi sunt. Eodem anno prope Arsouf, Muhamedani magna clade victi sunt. Jafa ab illis deserta, à Christianis occupata est. Ascalon jussu Salaheddini eversa, cùm de ea servanda desperaret. Colloquium de pace inter Adelum Sultani fratrem, & Francos habitum, proposito ejus matrimonio cum sorore Richardi Regis Angliæ, cui Hierosolyma in dotem daretur: sed abrupta à Sacerdotibus negotiatio, negantibus id licere, nisi Adel Christianus fieret.

Anno 588°, J. C. 1192°, Marchio Tyri ab Assassinis occisus. Iterum de pace actum; quæ tandem conclusa, secundùm quam Jafa, Cæsarea, Arsouf, Hifa, Acco & aliæ urbes cum suis ditionibus Christianis restitutæ sunt; ea conditione, ut Ascalon à nullo ædificaretur: liberè Christiani ad loca sancta peregrinarentur, absque vectigali, modò sine armis. Obiit Senan Ismaelitarum seu

Hassassinorum princeps cùm triginta annos multas in Syria arces obtinuisset. Salaheddinus Damascum rediit, ubi post aliquot menses obiit, relictis tantùm, ut refert Ebn-Chedad testis occulatus, drachmis quadraginta septem & aureo uno. Natus erat anno 532°, ut suprà dictum est ; atque ita 56um agebat annum, non septuagesimum, ut Autor historiæ Patriarchalis scribit. Fuit sanè Salaheddinus vir magnus : nec modò bello, sed pace etiam : nemo enim inter tot suæ religionis principes, tam alienus fuit à rapacitate illa & avaritia quæ Arabibus insita à natura videtur. Nullus minora tributa exegit, nam ea multis in locis planè sustulit, ubique levavit : nullus eo regnante ob divitias periculum adiit : urbes magno labore subactas, imò & provincias suis in beneficium dabat, solo directi, ut loquimur, dominii jure servato. Pecuniarum contemtor, quidquid habebat, donabat. Dum Acco obsideretur à Francis, equorum Arabicorum duodecim millia militibus aut ducibus suis distribuit. Nemo magis ad opera publica liberalis ; nam in præcipuis urbibus Collegia, Xenodochia, aut Ptochotrophia, & Meschitas ædificavit : urbium muros multis in locis suâ pecuniâ restituit, præsertim earum quæ vel bello, vel terræ motibus deformatæ fuerant. Ad privatas voluptates nunquam adjecit animum, ita ut viginti duobus annis integris, quibus regnum obtinuit, non villam, non domum, non hortum sibi fecerit. In cultu simplicissimus, serica veste vix unquam, laneâ semper utebatur ; in victu sobrius & parcus. Religionis suæ ad superstitionem usque observantissimus ; preces quotidianas aut in Meschita si occurreret, aut in castris persolvebat. In ea magis superstitiosus quàm doctus : nam Doctoribus Chafehitis præsertim, quorum tota scientia est traditiones & fabulas memoriter recitare, plurimùm tribuebat. Qui de religione liberiùs disputabant, eos odio habebat ; atque unum inter alios de hæresi suspectum, capitali supplicio affecit. Philosophos, præsertim Dialecticos, magnopere aversabatur, neque literatis, Poetis, aut aliis ejusmodi qui vulgò reliquis Principibus erant in deliciis, multùm favebat. Verùm fuit ambitiosus supra modum, ingratus in Noraddinum Dominum suum, Chiracoüæque patrui, cui omnia debebat, filium : nimiùm erga fratres facilis : nam majori Chemseddoulæ, viro improbo, omnia sub ipso licuerunt ; Adelo quoque & aliis. Hæc sunt quæ de Salaheddino præcipua leguntur apud Autores æquales Ebn-Chedad, & Hamad secretarium ejus, qui historiam illius florido & luxurianti

L. ǁ Tarikh.

ſtylo deſcripſit: Abulfedam in Annalibus: Ebn-Chalican, Ebn-El-Atir: Tagri Berdi Hiſtoriæ Ægyptiacæ Autorem, Ebn-Chucnah, Muhabeddinum, Hiſtoriam Hieroſolymitanam, & multos alios, quibus adjungi poteſt Abulfaragius: & Bibliotheca Orientalis, ubi multa de eo accuratè dicuntur, ſi quædam excipias, quæ noſtræ narrationi contraria ſunt, ut quod Chiracoüam inter ejus fratres numerat. Partum verò tanto ſanguine Imperium in filios natu majores diviſum, intra paucos annos tranſlatum eſt ad Adelum ejus fratrem, qui nepotes ſpoliavit, juſto, ut Ebn-El-Atir & poſt eum Makrizius obſervant, Dei judicio adversùs heroas illos, qui ut Imperium ſtabiliant, omnia cædibus fœdaverant; & quorum vix ullus inter Muhamedanos principes, hæreditatem filiis ſuis tranſmiſiſſe obſervatur.

De ſtatu rerum Chriſtianorum ſub Francorum regno Hieroſolymitano.

Longâ igitur & quæ tamen neceſſaria erat digreſſione perfuncti, quòd Salaheddini res cum Chriſtianorum rebus tantam affinitatem habeant, ad Eccleſiaſticas revertemur. Et primùm de Hieroſolymorum urbe ſancta monendum illud eſt, per annos circiter nonaginta qui intercurrunt ab ea per Francos capta, ad ejuſdem expugnationem per Salaheddinum, cùm ſumma tunc eſſet ignorantia, maximè verò circa veterem diſciplinam, adeo ut quæ laudanda in Orientalibus Chriſtianis eſſent, quæ toleranda, quæ emendanda vix ullus intelligeret, nihil omnino perfectum quantùm ad unionem Eccleſiarum promovendam ſpectabat; ſed exacerbata potius fuiſſe mutua inter partes odia, ex variis criminationibus, quæ ut plurimum, non alio fundamento, quàm accuſatorum ignorantiâ, nitebantur. Sola Maronitarum ſocietas Eccleſiæ Catholicæ reconciliata eſt abjectis Monothelitarum erroribus; malumus enim omnibus Autoribus Orientalibus, Eutychio, Elmacino, Ebnaſſalo, Abulbircat, & reliquis aliis, tum Chriſtianis cujuſcumque ſectæ, tum Muhamedanis, quàm ignotis quibuſdam credere, quos, præter Abrahamum Echellenſem ejuſque ſucceſſorem & propinquum Fauſtum Naironum, nemo vidit.

Unio Maronitarum.

Nempe vel unico Tyrenſis Archiepiſcopi teſtimonio ſatis refelluntur, qui rem ſub oculis quodammodo ſuis geſtam ita narrat, ut de ejus certitudine dubitare non liceat, præſertim accedente Ebnaſſali teſtimonio, qui Maronitas ait *nuper ad Francorum Religionem tranſiviſſe*. Ea autem unio quàm prudenter facta ſit, (etſi præcipuas tantùm circumſtantias ſcimus, nempe quòd Monothelitarum hæreſin abjurantes recepti ſint,) vel illud ſatis oſtendit

quòd ritus Ecclesiasticos suos immutabiliter retinuerint : neque Latinos ullos acceperint, nisi fortè Azymorum usum, de quo tamen nihil omnino certi constituere possumus. Verùm quod reliquas societates Christianas attinet, nemo, ut videtur, ad earum concordiam procurandam adjecit animum : imò quod ex autoribus illorum temporum satis agnoscitur, qui multos in Melchitis, Jacobitis, & Nestorianis errores carpunt, sæpè contra veritatem, manserunt toto Francorum Imperii Hierosolymitani tempore absque ulla cum Latinis sacrorum communione. Neque hæreses quibus Jacobitæ & Nestoriani laborabant, hujus odii sola causa erant : sed quod mirum erat, displicebant non minùs ritus secundùm veterem disciplinam proprii, sed à nostris diversi, quique nullam unquam separandæ communionis occasionem dederant ; atque magis omnino exardescebat circa illos ritus innoxios zelus Occidentalium, quàm adversus alia peccata, quæ salva fide tolerari non possunt. Inde Dionysius Barsalibi, qui ante captam urbem sanctam Amidensi Jacobitarum præerat Ecclesiæ, Commentarium in Liturgiam Syriacam Jacobi suum scripsit, ut Episcopo sectæ suæ Hierosolymitano, defensiones adversùs eorum argumenta subministraret. Nempe non potuissent doctis Theologis displicere orationes & cæremoniæ, quas à multis sæculis usurpatas fuisse in Ecclesia Græca certum erat, quasque in Catechesibus suis Cyrillus Hierosolymitanus exposuerat. At qui nullam aliam disciplinam, præter communem suam Latinam noverant, in suspicionem adversùs Orientales ritus adducebantur, eò faciliùs quò major illorum erat ignorantia. Ita factum ut Christiani Orientales, etiam ipsi qui ut Melchitæ, communem cum Latinis fidem habebant, in ritibus tantùm innoxiis differebant, nunquam odium adversùs Francos deposuerint, imò quòd ex historia Patriarchali observavimus, de urbe prodenda cum Salaheddino convenerint. Hæc si scivissent aut animo perpendissent Calvinistæ illi nostrates, qui cùm infinitis argumentis pressi agnoscere coacti fuerint Orientales Christianos eam habere de Eucharistia fidem & disciplinam, quæ veræ realisque transmutationis doctrinam supponunt necessariò, ad illud diverticulum non confugissent, ut si quid tale reperiatur, non nativis Orientalibus tribuendum sit, sed corruptis per unius ferme sæculi cum Latinis hominibus societatem. At quàm inanis hæc cavillatio sit, ostendit tota historiæ istius series, ex qua constat certissimè nullam præterquam cum Maronitis, eo temporis

ſpatio fuiſſe noſtris cum Orientalibus concordiam. Probant id etiam accuſationes Latinis impactæ, ſed frivolæ: quos de Euchariſtia religiosè ſentire ſatis ſciebant, neque tamen unquam inter eorum hæreſes numerant, quòd Euchariſtiam crederent verum eſſe corpus & ſanguinem Jeſu Chriſti. Qua enim ratione eam in ipſis fidem damnaſſent, quam quotidie celebri illa inter Liturgiarum ſolennia Confeſſione de qua ſuperiùs diximus, teſtatam faciebant; ſed hæc alibi tractata ſunt accuratiùs.

De Marco filio Elkonbari. Aliud magnique momenti, diſquiſitionis argumentum ſuppeditat hiſtoria de Marco filio Elkonbari, cujus meminit Chronicon Orientale: Makrizius etiam, & qui fusè illam deſcripſit Abuſelah Armenus, utpote quæ magnam partem tranſacta fuerit ſub Marco filio Zaraæ Patriarcha, etſi jam ſub Joanne deceſſore ejus inceperit. Locum integrum referemus in Diſſertatione de Pœnitentia, atque adeo ſenſum ejus in pauca verba contrahemus. Marcus ille erat ex Auſtrali Ægypto oriundus, vocabaturque filius Elkonbari; Monachus erat, & quamvis famâ dubiâ, tamen ab Epiſcopo Damiatenſi, Monaſtico habitu indutus, poſteaque Sacerdos ordinatus fuerat. Eum verò Joannes Patriarcha 72us excommunicavit, quia, ut aiunt, cùm uxorem haberet, eam ignoto cuidam viro, quaſi liberam collocaverat, poſteaque ab Epiſcopo, tanquam cælebs, habitum Monaſticum & Sacerdotium per fraudem obtinuerat. Ita narrant Coptitæ Marco infenſi, adduntque illum excommunicatione contemta, cœpiſſe ſacras literas ex Libris Copticis publicè interpretari, magnamque hominum multitudinem eloquentiæ & doctrinæ famâ, ad ſe trahere. Inter alia verò doctrinæ capita, magnam curam adhibuit, ut auditoribus ſuis ſuaderet, non poſſe haberi alicujus peccati remiſſionem, niſi facta apud Sacerdotem ejus confeſſione, & completo Canone pœnitentiali. Unde dubitare non poſſumus quin circa hæc tempora ortum habuerit corruptio illa diſciplinæ, cujus Autor non ſine fundamento dicitur fuiſſe Joannes ille Patriarcha 72us in Chronico Orientali, ubi ſcribitur illum Confeſſionem abrogaſſe. Teſtes quoque accedunt, etſi eum nominatim non deſignent Echmimenſis, & Ebnaſſalus in Canonum Collectionibus, & Michael Antiochenus Jacobitarum Patriarcha, in Tractatu de præparatione ad Euchariſtiam, qui dicunt quoſdam Coptitarum Patriarchas Confeſſionem abrogaſſe. De Joanne, Marco filio Zaraæ, & Joanne altero ejus ſucceſſore, loquuntur haud dubiè: nam

ante illorum tempora, ne leve quidem occurrit, tam absurdæ novitatis vestigium. Tunc verò Confessionis loco institutum fuerat, ut super fumante thuribulo dum incensum Sacerdos aut Diaconus adolerent, quisque peccata sua secretò confiteretur; eorum enim veniam obtinere se isto modo stultissimè existimabant. De hoc ritu qui manavit quoque apud Æthiopes, ut testatur Abuselah, procul dubio sub iisdem Patriarchis, dicetur in Dissertatione eadem de Pœnitentia. Igitur filius-Elkonbari acerrimè adversùs hanc superstitionem invectus, contra Joannis Patriarchæ Constitutionem de omittenda Confessione, tantùm effecit, ut ingens hominum multitudo apud ipsum peccata confiteretur. Disputavit etiam acriter adversùs Circumcisionem, quam idem Patriarcha tolerabat, modò fieret ante baptismum: atque hæc causa præcipua excommunicationis illius fuit. Sub Marco filio Zaraæ Episcopi Australis regionis, cùm receptam, & impœnitentibus gratissimam superstitionem tam vehementer impugnari viderent, scripserunt ad eum de filio Elkonbari: quem Patriarcha ad se Kahiram venire jussit. Factum id anno Martyrum 890°, qui est J. C. 1174^{ui}, Hegiræ 570us, anno circiter 10° Patriarchatûs Marci. Aiunt venisse statim filium Elkonbari, prostratumque ad ejus pedes veniam præteritorum postulasse, & obtinuisse, ea conditione, ut nihil contra Canones Ecclesiæ, hoc est receptam tunc disciplinam, doceret; atque in officio debitaque superioribus obedientia se contineret. Jussit etiam ut ad Monasterium S. Antonii prope Atfige profectus, ibi super sancti corpus juraret, se omnia quæ pollicitus fuerat præstiturum.

Attamen statim cùm ad regionem El-Rif pervenisset, iterum verba ad populum facere pro Confessione cœpit: concursusque ad eum major quàm antea factus est, singulique pecunias & munera ad eum deferebant, quæ pauperibus erogabat; imò decimas, & primitias colligebat. Marcus inde magis perculsus literas adversùs eum circulares misit ad omnes Episcopos, qui rescripserunt Marcum contumacia & perjurio suo meruisse, ut deponeretur sacerdotio, & excommunicaretur. Ipse ex altera parte libellum supplicem Judici Fadelo porrexit, causam suam canonicè, & secundùm leges Christianorum judicari postulans, paratum se esse dicens ostendere Patriarcham falsò illum accusasse de novitate doctrinæ, cùm nihil nisi apud Christianos receptum, eorumque disciplina confirmatum prædicasset. Judex edicto ad Pa-

triarcham misso, jussit ut habito consessu Episcoporum se purgaret, neque Christianis impotentiùs insultaret : alioqui si eorum leges insuper haberet, oportere Muhamedanum fieri. Quid verò post Edictum illud factum fuerit, Abuselah reticet ; quia ut verisimile est, coram eo disputare non ausus est Patriarcha, & judicium effugit. Postea idem, & alii Autores asserunt filium Elkonbari ad Melchitas transivisse, duasque naturas, & voluntates duas confessum ; magnamque sectatorum ejus multitudinem ejus exemplo à Jacobitica fide descivisse. Ea occasione illum calumniis lacerant : aiuntque venisse postea ad Patriarcham veniam petitum, sed rejectum ab eo fuisse. Idem Abuselah alio loco loquens de Ecclesiis S. Gregorii & S. Sabæ, quæ erant prope Montem Elmoctam, qui Kahiræ contiguus est, in latere Orientali ; ait Marcum filium Elkonbari cœpisse illic colligere magnam hominum multitudinem, fuisseque in Monasterio quod habitabat, aut in vicinis, sex circiter Monachorum millia, qui ejus doctrinam sequerentur ; & licèt ad pauciorem numerum redacti, eam tamen suo tempore adhuc tuebantur. Ibi illum obiisse anno Martyrum 924° ; qua ratione annis decem & novem Marco filio Zaraæ supervixit. In excerptis autem suis Abuselah refert fragmenta quædam ex Michaele Damiatensi Metropolita, qui præ cæteris, adversùs Confessionem disputavit. Habemus brevem illius Tractatum de hoc argumento in Codicibus Canonum Collectionis amplissimæ : quem etiam refert Abulbircat, & quidam alii : atque & ea disputatione vix quidquam insulsius potest excogitari. Eam autem tacito ejus nomine refellit Ebnassalus, parte ultima Collectionis principiorum fidei : & frater ejus in Canonum Epitome, imò & ipse Michael Patriarcha Antiochenus, à quo Damiatensis asserit excommunicatum quoque fuisse filium Elkonbari. Quod si verum est, sanè ob desertam Jacobiticæ Ecclesiæ doctrinam, non quòd necessitatem Confessionis sacramentalis propugnaret, quam toto opere suo Michael ità confirmat, ridiculasque Damiatensis rationes ita evertit, ut plura dicere filius Elkonbari non potuisset. De Synodo sexaginta Episcoporum adversùs eum habita, in qua pariter damnatus est, testem habemus eumdem Damiatensem, cujus verba refert Abuselah : nihil verò simile legitur in Historia Patriarchali. Quòd verò Michael ille, qui novo dignitatis titulo, nunquam antea apud Scriptores Alexandrinos usurpato, Metropolita appellatur, sub Marco filio Zaraæ vixerit, testis est Codex insignis Evangeliorum

Evangeliorum quatuor, ab eodem Michaele in charta vitulina scriptus linguâ Copticâ literis uncialibus, cum picturis quales eo sæculo manus Ægyptiaca delineare poterat. Initio voluminis duæ majores occurrunt imagines, una D. Marci Evangelistæ, altera Marci filii Zaraæ habitu Patriarchali. Quidquid igitur Marco filio Elkonbari factum fuerit, dubitari non potest, quin veram doctrinam & disciplinam circa Confessionem peccatorum sustinuerit, & multos discipulos habuerit; nam præter eos quorum testimonia retulimus in Dissertatione de Pœnitentia, occurrunt alii, quorum sententiæ eodem loco recitantur, Ægyptii & quidem genuini, qui paria cum filio Elkonbari de Confessione ad hanc usque diem docuerint. Makrizius brevissimè ait magna negotia Patriarchæ fuisse cum filio Elkonbari, qui ad Melchitas transierit, mox redierit: cùmque iterum ad Melchitas transivisset, postea receptus non fuit.

Docet etiam nos Abuselah Armenus sub eodem Patriarcha Monasterium quoddam Kahiræ vicinum, Nestorianorum, quod unicum erat in Ægypto, cùm pauci illic ex ea secta essent unusque Sacerdos Joseph nomine ibi commoraretur, Patriarchale factum esse; Ecclesiamque consecratam à Petro Episcopo Fiumensi: Marcum ibi Liturgiam & ordinationem celebravisse anno Martyrum 899°, J. C. 1183°. Hegiræ is fuit 579us, non 576us, ut Autor existimavit. Dedicata Ecclesia est sub nomine Philothei Antiocheni: cùm antea Georgio Martyri dicata fuisset, ab Abulfedaïl Medico Nestoriano, qui illud Monasterium ædificaverat. Archiatèr hic fuit Principis aut Viziri alicujus, à quo obtinuit suæ sectæ hominibus qui nulli fermè in Ægypto unquam fuerunt, Monasterium & Ecclesiam suæ sectæ habere; nam ne titulares quidem Episcopos in ea provincia unquam habuit hæc hæresis. Monasterium Nestorianorum.

Anno Martyrum 903°, J. C. 1187°, advenit in Ægyptum Episcopus Armenus cum Salaheddini & Seifeddini Gazi Mosulæ principis Diplomatibus. Ex Sultani autem illo præcepto restitutæ sunt Armenis Ecclesiæ duæ, *Zahara* & *Bostan*, quas Coptitæ antea occupaverant, & quas nonnisi coacti, Armenis restituerunt. Ita Abuselah, qui alio loco docet Ecclesiam S. Georgii nomine, prope Doram ad mare, Armenis attributam sub Viziro Bederelgemalo qui Armenus erat, & suæ genti favebat, ædificiis auctam adjunctis hortis, & Jacobitis restitutam sub Marco filio Zaraæ. Ea igitur fortassis ratio fuit, ut cùm occupata à Marco fuisset, ejus Res Armenorum.

restitutionem Armeni impetraverint, nam eadem videtur esse.

Hæc sunt quæ de Marco filio Zaraæ, apud Autores nostros occurrunt, quibus nihil addendum nobis superest, quàm quod accusatur ab Autore Orientalis Chronici, quasi parum religiosè vixerit, frequentiaque apud eum convivia fuerint, non modò luxu nimio: sed etiam in quibus contra communem disciplinam, carnes apponebantur. Erat enim ea lex apud Coptitas, & apud alios ferme Orientales omnes Christianos perpetua, ut Episcopi & Patriarchæ, quamvis ex Clero sæculari eligerentur, tamen vitam secundùm Monasticam regulam componerent, præsertim quia antequam Episcopalem ordinationem susciperent, Archimandritæ ordinabantur, ut ex multis hujus historiæ locis observari potest. An verò Marcus, quia Monasticam vitam à juventute professus non esset, ea se abstinentiæ à carnibus lege non teneri existimaverit, affirmare non possumus. Sanè in Patriarchio ea observari solebat, quod idcirco Cella appellabatur, quia ut in Cellis & Monasteriis abstinentia observabatur.

Præter ea quæ superiùs dicta sunt de Michaele Metropolita Damiatensi, docet nos Abulbircat ab eo compositum fuisse opus Theologicum in multa capita divisum, in quo potissimum explicabat Incarnationis mysterium secundùm doctrinam Jacobitarum: probabatque Verbum verè incarnatum; & post incarnationem esse in Christo, naturam unam, voluntatemque unam. At qui ejus testimonio uteretur, aut ejus cum laude meminisset, huc usque vidimus neminem: & si omnia ejusmodi sunt ac Tractatus ejus de omittenda Confessione, sanè mediocris omnino erat Theologus. Dicitur quoque Canonum Collectionem scripsisse per locos communes dispositam, & synaxarium, quæ ad manus nostras non pervenerunt.

Joannes Pat. LXXIV. JOANES FILIUS ABUGALEB, PATRIARCHA LXXIV.

Joannis electio, laudes.

CUM Marcus filius Zaraæ diem suum obiisset anno Martyrum 905°, qui respondet anno Hegiræ 585, J. C. 1189°, 6ª mensis Tybi, eodem anno, statimque postquam sedes vacavit, convenientes Misram ejus urbis Christiani præcipui, cum Episcopis & reliquis qui aderant, unanimi consensu elegerunt hunc

Joannem, qui ante ordinationem suam vocabatur Abulmeged, filius Abugaleb, quem etsi renitentem, compulerunt ut dignitatem capesseret, 11ª Mechiri ejusdem anni : atque adeo vacavit sedes uno tantùm mense & diebus quinque, ut Autor noster observat : rectiùs quàm Makrizius, qui 27 dies tantùm numerat, ejusque ordinationem refert ad annum 584um. Abulbircat eam assignat eidem anno Martyrum 905°, sed 4ª Mechiri. Ordinationis officio Misræ peracto, Alexandriam ductus, ibi proclamatus est. Erat ille sæcularis, sacerdos ut videtur; sed cui Ecclesiæ addictus fuerit, non legimus; tantam verò asserunt famam ejus apud omnes fuisse, ut statim atque de Patriarcha eligendo consilium haberi cœpit, omissa Monachorum ex quorum numero plerumque candidati quæri solebant mentione, statim omnes eum expetiverint. Commendabant eum mores integerrimi, & castimonia virginalis observata à prima pueritia, neque enim uxoratum sacerdotem aut viduum eligere fas fuisset, atque ea potissimum causa erat, estque etiamnum, ut præ cæteris Monachi ad Patriarchatum promoveantur. Scripturas callebat, doctrinâque, facundiâ, & oris dignitate, tum etiam morum suavitate inter alios eminebat. Amplissimas facultates ex paterna avitaque hæreditate possidebat; pater enim & avus mercaturam fecerant : ipse quoque eam exercebat, Misræque amplam domum habebat mercimonii sui causâ : tum sacchari torcularia, molendina, multasque possessiones, unde magnas divitias collegerat, quas liberalissimè in pauperes effundebat. Ordinatus est quatuor ante Salaheddini mortem annis, adjutus favore Kadiorum seu Judicum, Murtadi & Redi fratrum, quorum apud principem præcipua erat autoritas. Cùm autem Autor testetur se omnem Principis istius historiam sub Marci filii Zaraæ vita comprehendisse, nec eam repetere necesse judicaverit, quantùm ad quatuor postremos annos spectabat, statim de successoribus ejus ea scribere aggreditur, quæ non modò ex ejus historia, quæ non multùm accurata est, sed ex aliis compendio trademus; non tamen tam accuratè, quàm res Salaheddini, quia ad institutum opus minus pertinent; illudque augerent majorem in modum.

Salaheddinus quindecim ex diversis uxoribus filios reliquerat, aut juxta alios, septemdecim; quorum maximus natu Melik Afdal. Secundum atque ex alia uxore, Melik Azizum; & ex eadem matre Daherum. Azizum Ægypti Hierosolymorum, & Sy- Res Muhamedanæ.

riæ literalis à se expugnatæ, Sultanum constituit: Afdalo Damascum, magnamque Syriæ partem: Dahero Halepum: reliquis urbes aliquas, minoresque principatus. Cùm verò Ægypti regnum & aliæ ditiones Azizo concessæ, sortem Afdali superarent, statim inter fratres dissidia nata sunt, & ad arma brevi tempore ventum est. Nam Damascum Azizus, & Halebum ambiebat: Afdalus Ægyptum: ambo ignavi erant & vecordes, libidinique, ludo, & comessationibus vacabant: exigua tandem erat utriusque apud Emiros autoritas, imò & apud milites. Veterani enim qui *Acedii* appellabantur, eò quòd sub Açadeddino Chiracoüa olim militaverant, Salaheddini familiæ non multùm favebant, utpote hominis novi, qui principatum fraude occupaverat. *Salehii* dicebantur qui sub Salaheddino prima stipendia fecerant, sed pauci inter servos emtitios, ex quibus cohortes prætorianæ constabant ut plurimùm, dominis præsertim mortuis gratum animum fidelemque servabant. Omnibus contemtui erant principes, nulla propria virtute commendati: multos etiam beneficiis sibi devinxerat Adelus Salaheddini frater, vir astutus, & rebus suis attentus. Habuerat à fratre amplissimas ditiones beneficiario jure possidendas, urbesque & arces tam in Mesopotamia, quàm in Syria illis in locis sitas, unde arbiter quodammodo belli & pacis inter fratris filios erat. Hic dum modò ad pacem hortatur, modò imbecilliori auxilia subministrat, illos aliquot annis ita attrivit, ut in ejus potestate essent; quamvis si multis Autoribus credendum est, faceret id concordiæ inter eos stabiliendæ studio, potius quàm ambitione, cui si libuisset, statim Ægyptum occupare licuisset. Verùm cùm in Ægyptum venisset invitatus ab Acediis & Salehiis, omnem autoritatem obtinuit, honorem qualis Sultanis tribui solebat Azizo deferens, ita ut umbellam equitanti præferret; sed revera omnia ejus arbitrio negotia gerebantur. Azizus Damasco semel ejus favore occupata, fratreque Afdalo pulso, ita ut sola Serkod urbecula ei superesset, astuti senis consilio eam amisit, cùm uni ex propriis filiis Moadhamo Isæ jussisset, ut eam sibi dari in beneficium peteret, quod negare ausus non est. Ita in Ægyptum reversus est, ubi 6° regni anno, Hegiræ 594°, J. C. 1197°, mortuus est, cùm in venatione lapsus equo, graviter vulneratus fuisset. Laudatur tamen is princeps ab aliquot historicis, ob justitiæ amorem, divitiarum & pecuniæ contemtum; adeo ut cùm in summa angustia esset, decem aureorum

millia quæ à Præfecto quodam fibi allata fuerant, reftitui ftatim jufferit, fimul atque intellexit collecta effe ex mulcta Arabibus indicta, cùm ducem quemdam fuum occidiffent in tumultu. Laudatur quoque à continentia, quòd mancipium Turcicum forma præcellenti domo expulerit, quamvis emtum aureis mille. Cùm enim femel fibi adftaret in conclavi, & ejus pulchritudine captus, nudari illum juffiffet, ftatim pœnitentiâ ductus, à fcelere abftinuit; fed ita tamen (nam mira fanè propudiofæ illius fectæ continentia eft) ut ftatim in gynæcæum currens, cum una quæ occurrit concubina libidinem expleret.

Anno ejus 1°, Hegiræ 589°, Califa Abbaffida Naffer Scholam Nezamiam dictam ædificavit, fimul adjuncta bibliotheca decem millium voluminum, quorum multa originalia, ut vulgò dicitur, fuerunt. Obiit Sultanus Mashoud filius Maudoud, Noraddini magni ex fratre nepos, Mofulæ princeps, qui ter obfidionem à Salaheddino fuftinuerat, & cum Adelo bellum habuerat. Bodomar Kelati Dominus ex mancipio Ortokidarum, ab Ifmaelitis Affaffinis occifus, quorum princeps Senan eodem anno obiit.

Anno 590° obiit Togrilfchah filius Arflanfchah, filii Togrilfchah, filii Muhamedis, filii Melikfchah; in quo defiit Seljukidarum potentiffima illa familia, cùm centum fexaginta annos regnaffet; neque fuperfuit ex ea nifi ramus Sultanorum Iconienfium, qui non à Sultanis fed eorum agnatis ducebant originem. Occifus eft autem in prælio à Rege Cowarezmiæ Tekefcho.

Anno 591°, qui fuit J. C. 1194us, fed cùm Muharram five initium anni Arabici inciderit in 15^{am} Decembris, refpondet majori ex parte anno 1195°, referunt Arabes infignem de Chriftianis Hifpanis victoriam, fub Aba Yacoub filio Juceph, filii Abdelmoumen, Mogrebitarum feu Africanorum Muhamedanorum Rege. Chriftianorum dux erat Alfonfus, IX. fcilicet Caftellæ Rex, cujus exercitum tanta internecione cæfum aiunt, ut in acie ceciderint centum quadraginta fex millia, capti fuerint triginta mille: qui captivi unâ drachmâ vænierint. Rex cum paucis comitibus Toletum fugiffe dicitur, & ex dolore nimio voviffe quòd neque in lecto dormiret, nec equum confcenderet, nec ad mulierem accederet, donec ultionem de hoftibus cepiffet. Ea fuit pugna ad Alarcos, de qua Hifpanici fcriptores; infœliciffima quidem fed non ejufmodi, ut folus Caftellæ Rex, qui aliorum auxilia non expectavit, poffet tunc in aciem educere centum octoginta millia & ampliùs

armatorum. Verùm ex illo voto quod Alfonso tribuitur, quem etiam cæsariem, barbamque rasisse, & crucem invertisse in luctus indicium scribunt, satis intelligitur, nænias Iberas vulgares illas, quæ à vernaculo quo extant sermone *Romances* appellantur, & quarum multæ ex Maurorúm ingenio prodierunt, fundamentum fuisse tam absurdæ narrationis. Apud Arabes pugna hæc Zulacæ nomen habet.

Anno 592°, J. C. 1195°, memorant quoque alteram adversùs Alfonsum Castellæ regem pugnam, Toletique obsidionem. Alfonsus *Fonsch* vocatur ab Arabibus, qui articulum latere existimaverunt in prima syllaba. Damascus ab Azizo & Adelo patruo per proditionem capta: principatus insignia, oratio, pecunia signata Azizi nomine, omnis in Adelo autoritas. Afdal fugit, & in arce Serkod se inclusit, unde frustrà per literas de patruo apud Califam questus est.

Anno 593° obiit Zebidæ in Arabia Seifel-Islam Togtekin Jobi filius, Salaheddini frater, amplissimas divitias oppressione subditorum partas relinquens filio suo Chemselmelouc Ismael, qui in Arabia fœlici regnavit, & Califæ titulum usurpavit; & paulò pòst interemtus est à conjuratis, qui injuriam religioni suæ factam vindicaverunt: hujus minor frater ab Emiris salutatus est: Nacerque appellatus; fuitque aliquamdiu sub tutela matris. Illa Solimano filio Chahinschah, filii Takieddin, filii Chahinschah filii Yub, qui à prima ætate inter Fakiros seu religiosos mendicos vixerat, Meccæque talem vivebat vitam, nupsit; & paulò pòst cùm pessimè provinciam administraret, uxorem repudiavit: tandemque sublata est Yubidarum in Arabia dominatio.

Anno 594° obiit Azizus Ægypti Sultanus: relicto filio Almansore, sub cujus nomine per duos annos Adelus regnum administravit. Ante verò quàm Kahiram occupasset, nam erat in Syria cùm Azizus obiit, Emiri Acedii & Salehii cùm Almansori fidem præstiterunt, ob illius pueritiam, 9um enim ætatis annum non excesserat, tutorem, seu ut nos diceremus Regentem, tam principis, quàm negotiorum, elegerunt Afdalum, ejus patruum, qui statim in Ægyptum accurrit. Ejus regni viribus auctus communicatis cum Dahero Halepi principe consiliis, Damascum obsederunt: eò festinavit Adelus qui Maredinam obsidebat: diu obsessus acriter, vix effugisset, nisi ex insana libidine fratrum duorum, occasionem sumsisset dissolvendæ illorum adversùs se socie-

tatis. Habebat Daherus in deliciis servum Turcam, qui cùm non compareret, illeque omissis negotiis illum conquireret, misit Adelus ad eum, qui suo nomine nuntiarent fratrem ejus Afdalum, eum rapuisse; locumque indicavit ubi mancipium lateret. Ea occasione conjecto in vincula Emiro, qui puerum receperat, post magna cum fratre jurgia, copias deduxit, cùm Adeli res eo in statu essent, ut deditionem facere jam cogeretur. Ita metu & obsidione liber in Ægyptum venit: regnumque primò sub Almansoris nomine, mox eo deposito solus obtinuit, filiisque transmisit. Nec defuit, homini qui æquitatem ut nomine, ita moribus præferebat, veteratoria ars sua, ne hujus usurpationis causâ, tumultus fieret, exacerbatis aliquorum animis ob insignem erga fratris posteros ingratitudinem. Itaque cùm jura, quæ solâ regnandi causâ violaverat, pietatis quam in cæteris rebus colebat specie, observare videri vellet, convocatis doctoribus Muhamedanis, hanc primùm ipsis quæstionem proposuit, num majori minor imperare deberet: negaverunt perditi nebulones, id licere. Tum secundò quæsivit, an major minoris nomine imperium administrare posset: negaverunt pariter, quòd non posset in alium transferri plus juris à minore, quàm ipse haberet. Ita Imperium à Salaheddino, tot fraudibus, dominique proditione, & ut vulgò existimatum est, cæde partum, post annos sex aut septem eversum est. Regnavit autem Adelus usque ad annum Hegiræ 615um, J. C. 1218um. Quo verò anno Salaheddini filii Ægypti regnum amiserunt, eversa quoque funditùs est insignis illa, & tam latè imperans olim Seljukidarum in Oriente Dynastia. Cowarzemschah, seu quod idem est, Cowarezmiorum rege Tekesch, omnia in potestatem suam redigente, quæ olim ultrà Tigrin & Euphraten in Oriente alteri possederant. Cowarezmiorum verò imperium, quod postea eversum est à Tartaris, tunc à Sinarum finibus in India, Transoxiana, Chorasana, tandemque ad Bagdadum ferme pertingebat. Atque hæc sunt quæ ad historiam illorum temporum spectant præcipua. Anni quoque primi Adeli nota apud historicos est, quòd eo tempore tanta fames in Ægypto fuit, ut homines cadavera comederent: passimque pueros qui ad Meschitarum ostia exponebantur raperent mactandos & comedendos: ingens quoque pestis infinitam hominum multitudinem absumsit.

Emir. Cond. Cond. Emir. Leb Toüarich.

Regnante jam Adelo venerunt legati ex Æthiopia ad Patriar-

Rex Æthiopicæ. Legatos mittit ad petendam Ordinationem Metropolitæ.

cham, rogantes regis nomine, ut novum Metropolitam in defuncti locum ordinaret. Tribus mensibus integris Joannes eos apud se detinuit, quia cùm ad Monasteria misisset, ut quæreret idoneum ad hanc dignitatem virum, neminem reperit. Cùm Legati moram illam impatienter ferrent, literas ad Sultanum scriptas, cum muneribus à Rege Æthiopiæ missis obtulerunt, petentes simul ut autoritatem suam interponeret, quo Patriarcha citiùs Metropolitam ipsis ordinaret. Igitur nemine inter Monachos reperto, qui idoneus judicaretur, elegit Kilum Episcopum Fua, quem Metropolitam Æthiopiæ ordinavit. Quamvis autem hæc propriè dicendo ordinatio non esset, verùm translatio ad sedem majorem, & novæ autoritatis collatio, tamen quia orationes varias habent Orientales, præsertim Syri ad constituendum Metropolitam eum qui jam Episcopus erat, idcirco utitur Autor eadem voce quæ ad significandam ordinationem propriè dictam usurpari solet. Illa verò cæremonia, & quæ eam comitantur orationes, occurrunt in Pontificalibus Syris, tam Jacobitarum quàm Nestorianorum, atque etiam Melchitarum seu Orthodoxorum. Frequentissimæ enim fuerunt apud eos translationes Episcopales, maximè apud Nestorianos; atque adeo facile fuit, ut qui contra Canones tam facilè peccabant, contra Ritualem disciplinam, peccarent pariter, dum preces fermè similes, & impositionem manuum adhiberent ad consecrationem Sacerdotis in Episcopum, & Episcopi ad Metropolin translationem. At saltem in ea parte observatio disciplinæ veteris, major apud Coptitas quàm apud reliquos Orientales Christianos fuit; nam rarissimæ, aut prope nullæ in eorum historia occurrunt Episcoporum translationes. Ex tot Patriarchis nullus alterius antea loci Episcopus fuerat. Potuit igitur Joannes ex disciplinæ ignorantia, ut in rebus inusitatis fieri proclive est, existimare novam consecrationem Æthiopiæ Metropolitano esse necessariam.

Kilus Metropolita in Æthiopiam profectus.

Profectus in Æthiopiam Kilus, ut Autor ait se accepisse ab illis qui in ejus comitatu fuerant, à Rege qui obviam prodiit, dierum trium itinere cum Episcopis, Sacerdotibus, & exercitu magnâ pompâ susceptus est; atque ita in urbem deductus, prælatâ umbellâ ex panno aureo super caput ejus. Cùm primò Liturgiam celebravit, Rex, Magnatesque aurum obtulerunt, agallochumque & anbarum in thuribulis ad suffitum incenderunt. Cùm eum in domum Metropolitanorum deduxissent, decem Sacerdotes qui

ipsi

ipſi miniſtrarent, deſignaverunt; alios qui rerum ejus domeſticarum curam gererent, tum qui libros, & ſuppellectilem Eccleſiæ ſub ejus nutu cuſtodirent: præterea dederunt ipſi Rex & viri principes, camelos, multoſque quibus veheretur: ſervos, ancillas, omniaque adusum domeſticum neceſſaria. Rex ipſe frequenter domum ejus ventitabat, eòque magis ab omnibus honor novo illi Metropolitæ deferebatur, quòd cùm Æthiopia magnam ſiccitatem diu experta fuiſſet, ſtatim atque Liturgia ab eo celebrata eſt, imber copioſus decidit, quòd Dei beneficium precibus illius attribuerunt. Ita fœliciter, cum maxima Æthiopum approbatione apud eos vixit annis quatuor. Quinto demum anno, Joannes magno ſuo dolore accepit eum ex urbe regia Æthiopiæ exiviſſe, & in Ægyptum venire. Paulò pòſt pervenit Kahiram & illic cum eſſet, interrogavit eum Patriarcha, cur commiſſam ſibi Eccleſiam deſeruiſſet. Reſpondit ſe Reginæ importunis ſollicitationibus fatigatum, conſenſiſſe ad ejus preces ordinationi fratris ejus nomine *Hetren* vel *Gedron*, quem Epiſcopum urbis primariæ conſecraviſſet: hunc ſtatim atque ordinatus fuit, umbellam, quæ ſoli Metropolitæ præferebatur, ſibi attribuiſſe: Sacerdotes ab eo alienaſſe, omnia negotia ad ſe traxiſſe, adeo ut nemini Metropolitam adire liceret: ſe in contemtum omnium veniſſe, cùm ſupremam autoritatem omnem Epiſcopus ille uſurpaſſet.

Adjiciebat Kilus Epiſcopum illum, tandem eò furoris proceſſiſſe, ut ſervos immitteret, qui noctu in domum ejus irrumperent, eumque occiderent. Itaque coactum ſe ſalutem fugâ quærere, urbeque exceſſiſſe, comitantibus circiter hominibus quingentis, qui erant in ejus domeſtico miniſterio, aut ſervis quos pecuniâ ſuâ emerat; ſeque recepiſſe eum in locum ubi erat Cella Metropolitanorum, ſeu eorum habitatio, ad quam pertinebant pagi quadraginta. Inde quoque profectum, dimiſiſſe maximam partem illorum qui ſecuti eum fuerant, ſecumque centum circiter remanſiſſe, cum quibus ſe in viam dederit in Ægyptum tendens; omneſque in itinere fame & ſiti periiſſe. Poſtquam enim ex provinciis Æthiopiæ Regi ſubjectis egreſſi fuerunt, tranſeundum fuiſſe per regiones Infidelium, qui tranſitum negaverunt, niſi exactâ pecuniâ. In illis locis magnas ſe calamitates cum ſuis perpeſſum, vixque omnibus ſpoliatum in Ægyptum perveniſſe, cum ſervis duobus & ancilla; Patriarcha juſſit eum Miſræ ſubſiſtere, donec in Æthiopiam literas mitteret, per Sacerdotem quem-

dam Moysen qui annum eundo redeundoque consumsit, retulitque Regis literas. Earum autem sententia hæc erat, quòd Kilus, Sacerdotem qui Thesauri Ecclesiæ Metropoliticæ curam habebat, occidisset, jubens eum tamdiu à servis suis coram se verberari donec efflaret animam, ex suspicione quòd virgam auream quæ erat inter vasa Ecclesiæ, surripuisset. Eos qui domum Metropolitæ invaserant, fuisse populares Sacerdotis istius, qui erat dignitate conspicuus, decemque alios Sacerdotes infra se habebat. Negabat etiam Rex, quòd ab Episcopo quem ordinaverat in urbe regia, comparatæ adversùs illum insidiæ fuissent, quibus fugere coactus esset : eumque duobus postquam profectus erat mensibus obiisse : præterea imbrem nullum cecidisse ; quæ ratio Æthiopes compulit, ut statim legatos ad Patriarcham mitterent, qui cum Moyse Sacerdote venerunt. Attulerunt simul pretiosa munera Patriarchæ destinata, inter quæ erat corona aurea magni pretii. Erant etiam sua Sultano dona, & rara aliquot animalia, elephas, leo, camelopardalis, seu *Girafa*, & asinus sylvestris. Currebat tunc annus Martyrum 926us, quem Autor comparat anno Arabum 606°. Est autem ex vero calculo annus J. C. 1210us, quo 24a Junii incepit annus Hegiræ 607us : atque adeo superior annus mediam anni 606i partem complectebatur : majorem adhuc, annus Ægyptiorum incipiens à Septembri. Aberat Adelus Sultanus, Sinjaram obsidens ; Kamelus ejus successor tunc Ægyptum administrabat, ad quem Legatus cum muneribus introductus est. Cùm coronæ non minus pretium quàm elegantiam Sultanus miraretur, Legatus dixit notam fuisse Regi suo Patriarchæ modestiam, atque adeo judicasse eum nunquam coronam hanc capiti impositurum suo : si id facturum scivisset, tot eam gemmis ornaturum fuisse, ut pretium, totius Ægypti annuum reditum exæquaret. Tum de Regni Æthiopiæ statu, de bellis exercitibusque interrogatus, retulit qua ratione Rex cum finitimis multa, arduaque bella gessisset : quæ si Autor noster in literas misisset, fructuosior omnino fuisset ejus diligentia, cùm summa sit rerum Æthiopicarum illius temporis obscuritas, Ægyptiacæ verò, in quibus tantopere laboravit, à tam multis accuratè descriptæ sint, ut ejus curis non indigeremus. Nihil porro de Regis illius rebus singulare designavit, nisi quòd eo die quo profectus est cum ejus literis, eum in castris reliquerat ; cùm lustraret exercitum, qui sub unius ex belli ducibus imperio erat, atque in eo fuisse equitum

millia ſexaginta præter calones & lixas, minoriſque ordinis milites. Hæc Kamelus cùm audiiſſet, riſit, non dubitans Æthiopem de rebus patriis mentiri ſplendidè. Poſtea munera Patriarcham accipere juſſit; quando à Rege Æthiopiæ ad ipſum miſſa fuerant; ſed adjuratus per vitam Adeli patris, ea tandem accepit. Mox juſſit ut omiſsâ dilatione alium Metropolitam Æthiopiæ ordinaret, quando id præcipuè Legatus in mandatis habebat, ne Kilus remitteretur. Ea occaſione tantus non Chriſtianorum modò, ſed Muhamedanorum, ad Eccleſiam Muhallacam Miſræ concurſus factus eſt ad hoc ſpectaculum, ut aſinus eo die tribus drachmis locaretur.

Metropolita Æthiopiæ depoſitus.

Adductus in Eccleſiam Kilus filius Molebaſi, Metropolitica dignitate ſpoliatus eſt: ordinatuſque ejus loco Iſaac Monachus ex Laura S. Antonii, qui cum fratre ſuo majori Joſepho inter Monachos magna cum laude vixerat; hunc verò Sacerdotem ordinavit eodem die 11ª Phamenoth, anno Martyrum 926°; quique erat 9ᵘˢ Ramadan anni 606ⁱ, J. C. 1209ᵘˢ. Kilus dignitate Epiſcopali pariter privatus eſt. Iſaac cum Legatis profectus eſt in Æthiopiam, ubi à Rege, magno cum honore ſuſceptus eſt, fœliciterque pervenit ad urbem Regiam *quæ*, inquit Autor, *Adafa vocabatur.* Nomen regis qui tunc regnabat, fuit *Lalibela*; nam ita legendum eſt, ex Alvarezio, & aliis autoribus, qui ejus regis meminerunt. Erat autem filius Chenudæ, ſeu Sanutii, quam vocem cùm Coptitæ per ξ ſæpè efferunt, ut Ξινόθιος ſcribant; inde Æthiopes fecerunt *Suſneos*, quod nomen in eorum hiſtoria vulgatum eſt, & quo appellatus fuit Rex qui hoc noſtro ſæculo floruit. Significatio hujus nominis *Lalibela* ſecundùm Autorem noſtrum eſt *Leo.* Uxorem habuit nomine *Maskal-Kebri*: ſed ſecundùm analogiam Æthiopicam pronuntiandum *Maskal-Gabrit*, id eſt *Crucis ancilla*; non, ut Ægyptius noſter ex Arabiſmo interpretatus eſt, *Crux magna.* Nam *Gabra* Æthiopicè ſervus, & *Gabrit* in fœminino ancilla. Rex originem ducebat ex familia cujus nomen variis modis legi poteſt: duoſque filios habebat, quorum nomina in ſcriptura Arabica punctis diacriticis deſtitutâ legi non poſſunt, vixque divinari; ſedem regni habebat urbem Adafa. Hæc Hiſtoricus noſter Ægyptius, quæ ſi explicaſſet uberiùs, multa nos de Æthiopia docuiſſet, quæ omnino obſcura ſunt. Quæ ſit urbs illa *Adefa*, dicere non poſſumus; neque enim ejus meminerunt Arabes Geographi, apud quos vulgò

Regia urbs Æthiopiæ *Jermi* vel *Jerma* appellatur, de qua Golius in notis ad Alfraganum : alii *Axoum* vocant, quæ est procul dubio, *Axuma* veterum, de qua videri potest Ludolfus. Neque certum id quod plerique tam confidenter asserunt, nullas in Æthiopia fuisse urbes ; id enim constans Arabum traditio refellit, verùm raræ fuerunt apud gentem, quæ aut in tentoriis, aut vicatim habitare semper consuevit. Rex de quo Autor noster scribit, Æthiopibus celebris est, & de eo fabulam carminibus expositam circumferunt, quòd nascenti examen apum circumfusum sit, ad futuræ magnitudinis indicium. Fuit autem ex familia illa Zagæa, quæ pulsâ Salomonæâ, per annos multos principatum obtinuit : atque ea ratio facit ut vocem Arabicam quæ nomen illius familiæ significat legendam existimemus *Taniet* : nam litera Z ab Amharæis pronuntiatur ut J. Gallicum. Cùm autem illum dicunt Sanutii fuisse filium, fortasse ille Rex fuit, quem catalogi ignorant ; neque Ludolfus nomen patris ejus prodidit, filiorum aut successorum multò minùs. Is porro est Lalibela qui ut ex Carmine Æthiopico docuit nos Ludolfus, *ædificator fuit templorum artificiosorum ex rupibus siccis sine luto humido.* Nempe excisis excavatisque rupibus ingentibus in Ecclesiarum formam, quas adhuc extantes suo tempore vidit, earumque ichnographiam dedit Franciscus Alvarezius, quem exscripserunt Autores alii. Regnasse dicitur Lalibela annis quadraginta. Reliqua ad hanc historiam spectantia magis opportuno loco referentur, ubi agemus de Ecclesia Æthiopica.

Hist. Æth. l. 2. c. 11. Tell. l. 1.

Alvarez c.49. &c. Tellez l. 1. c. 27.

Anno Hegiræ 606°, qui erat J. C. 1209[15], Franci Damiatam cum magno exercitu appulerunt, totamque regionem usque ad Gizam, in conspectu Kahiræ populati sunt ; ignem domibus subjicientes, omnesque quos repererunt, occidentes aut in captivitatem abducentes. Cùm Adelus bello in Mesopotamia occupatus esset, Kamelusque exiguas in Ægypto copias haberet, contentus Kahiram munire, Damiatâ verò obsidionem sustinente, Franci prædâ in naves suas congestâ, in Palestinam reversi sunt. Inter alia damna à Francis illata, referunt direptionem Monasterii Melchitarum non longè ab urbe. Ejus expeditionis Autores nostri non meminerunt.

Monachi apostatæ.

Narratur deinde fuisse in Ægypto Monachum ex S. Macarii Monasterio, qui Muhamedanus factus, officium scripturæ quoddam obtinuerat : mox pœnitentiâ ductus, Kamelo Sultani filise

obtulit, petens ut liceret sibi ad religionem pristinam suam reverti, aut ut eum supplicio addiceret. Princeps Christianis non incommodus, permisit, deditque literas, quibus à Muhamedanorum inquisitione liber esset : ita Monachus ad Lauram suam reversus pœnitentiæ incubuit, & per annos aliquot in ea se exercuit. Accidit ut quidam ex Sahiditis Christianis qui pariter fidem negaverat, pœnitens, & hujus benignitatis exemplo fretus, ad Adelum Sultanum accesserit, paremque licentiam petierit, abnegandi Muhamedismi, quam Monacho filius concesserat. Iratus Adelus, misit ad S. Macarium, militem cum mandatis, ut si Monachus in Christiana fide persisteret, occideretur ; concessa vita, modò iterum Muslemanus fieret. Ille fidem abnegavit, & ex Apostata factus fratrum calumniator eos accusavit, quòd magnam auri & argenti vim defossam haberent, in quodam puteo quem designabat. Eo in loco Cœnobiarcha deposuerat vasa sacra : atque hic erat calumniæ color, quæ tamen apud principem ita valuit, ut missis cum Joanne illo detestando Apostata satellitibus, jusserit rei veritatem perquiri. Cùm advenissent, simulque magistratus illi quos *Chaboud* appellant, Archimandrita dixit nihil illos argenti aut auri repositi habere, præter vasa & suppellectilem quibus ad Liturgiam uti solerent : calicem & discum ex argento, velumque sericeum, quo sanctuarium tegeretur. Omnia esse oblata à Christianis, quorum etiam nominibus inscripta erant. Ubi ea coram Musulmanis producta fuere, ad Sultanum delata sunt : & tribus aureorum millibus æstimata. Kamelus jussit adduci Christianum nomine Petrum qui olim Diaconus fuerat, in Ecclesia S. Mariæ, Misræ, qui coram eo legit Copticam scripturam in singulis donariis, quæ quid à quibuscumque oblatum esset significabat. Post hæc exegit à tribus antiquioribus Monachis juramentum, quo affirmarent nihil pecuniarum in puteo esse depositum : adductus etiam cæmentarius Muhamedanus, qui illum fecerat : cùmque Abuchaker Sultano dixisset, eadem vasa post similem calumniam ad Salaheddinum quondam allata fuisse, ipsumque illa reddi jussisse, ejus exemplo ea restitui Christianis præcepit. Patriarcha illa cùm recepisset, in arcis composita, camelis Misram revexit accensis circum cereis, comitantibus magna cum reverentia & lætitia Christianorum præcipuis. Nempe honor quem Eucharistiæ Orientales deferunt, non modò in sacrorum mysteriorum adoratione consistit, quàm eos observare certis argumentis, & ad Liturgiam,

& in Dissertatione singulari probavimus; verùm etiam talis est, ut etiam vasa ipsa, quæ, ut ipsorum verbis loquamur, destinata sunt ad continenda membra & sanguinem corporis Christi cereorum lumine & processionibus honorare soleant.

Monachum alium calumniatorem, qui de collectis pecuniis Patriarcham accusabat, proponebatque ut aliquot naves suâ pecuniâ instruere cogeretur, sicut olim decessores ejus fecerant, Kamelus non auditum remitti ad Monasterium suum jussit, tanta erat in isto Principe æquitas & benignitas.

Obiit Joannes anno Martyrum 932°, qui erat J. C. 1216us; atque adeo Hegiræ 613us, incipiente 19ª Aprilis; atque adeo 16ª Ramadani, quam morti ejus assignat, quamque cum 12ª. Tybi componit Autor noster. Annus Hegiræ 612us, ut numerat, pertinebat ad annum sequentem. Annus 613us fuit 17us regni Adeli, ex quo post fratris filium Almansorem puerum exautoratum Sultanus salutatus est; obiitque anno 615°, atque ita totum Patriarchatus Joannis spatium sub quatuor regnis fuit, Salaheddini annis postremis, Azizi & Almansoris; reliquum sub Adelo. Corpus Joannis, sicut præceperat, sepultum est Misræ in Cœmeterio dicto Habessinorum prope Zachariam Patriarcham. Ibi olim fuisse Monasterium Nestorianorum cum adjuncta Ecclesia, docet nos Abuselah; eaque à Jacobitis occupata fuisse. Ibi sepulcra Episcoporum Misræ, & commune Jacobitarum Kahirensium cœmeterium; ejusque familiæ privatum, ut habet Autor qui sequitur.

Ab anno Martyrum 905°, quo ordinatus est Joannes ad 932um quo mortuus est, sunt anni 27: atque tot illi attribuit Abulbircat, quem sequuntur Autores alii, ipse quoque anno 905° ordinationem factam scribit: obitum refert ad 932um, Makrizius ad annum Hegiræ 612um.

Is Autor compendio tradit ea quæ pluribus noster historicus, illudque adjicit quòd mercaturam faciens cùm semel in Mari salso seu Oceano, naufragium fecisset, magnamque bonorum partem amisisset, filiis Eljebab, judicibus illis duobus de quo initio dictum est, qui pecuniam ei crediderant, amissamque credebant, eam restituerit, dicens, se eam in quadam parte navis, quæ salva fuerat reposuisse. Ea ratione illi memores beneficii eum excitaverunt ad Patriarchatum obtinendum, cùm operam pollicitus fuisset sacerdoti cuidam Abumasero, qui gravissimè id tulit. Habuit, cùm

ad hanc dignitatem evectus est, in numerato aureorum, decem & septem millia quæ in pauperes impendit : tributum Dinariale seu aurei capitatim ab Ecclesiasticis exigendi sustulit : simoniam prohibuit, nec exercuit : adeo continens à muneribus, ut nunquam alicujus suorum Jacobitarum panem comederit.

De eo legitur in Chronico Orientali quòd *Confessionem abrogaverit, & circumcisionem commendaverit* : sed cùm de ea re nihil apud alios Autores occurrat, existimamus, aut ipsum aut ejus Interpretem qui liberè omnino in vertendo se habuit, quæ alteri Joanni, Marci prædecessori conveniebant, ad hunc transtulisse ; & ea conjectura certissima videtur.

VACATIO PATRIARCHATUS PER ANNOS VIGINTI.

CUM Joannes Patriarcha diem suum obiisset eo quem superiùs diximus anno Martyrum 932°, sepultus est, sicut ipse jusserat, in Ecclesia Habessinorum dicta, prope sepulcrum Zachariæ Patriarchæ, in gentilitio familiæ suæ sepulcro, cùm vetuisset ne corpus suum inde transferretur ad S. Macarii Monasterium. Factæ sunt ea nocte quæ officium exequiarum antecessit, Vigiliæ in Ecclesia S. Mariæ Muhallaca in Kahira veteri : neque ullus Episcoporum adfuit, præter Episcopum Melchitarum, quod satis mirum est : neque enim inter homines sectæ diversæ, qui se invicem ut hæreticos aversabantur, solita erunt ejusmodi officia, cùm tota precibus ritibusque Ecclesiasticis constarent, ad quas nemo ab Ecclesia alienus, secundùm Canones recipi debebat. Joannis exequiæ & sepultura.

Cùm verò convenissent Jacobitarum primarii cum Episcopis ad eligendum ejus successorem, nihil per multos dies actum fuit, ob diversa partium studia. Multis placebat eligi Paulum cognomine El-Bouchi, Sacerdotem : alii Davidem Joannis filium, Fiumensem : alii denique Archidiaconum Ecclesiæ Muhallacæ nomine Abulkerimum, proponebánt. Favebant multi qui apud principes autoritate valebant, Davidi ; jamque ipso exequiarum Joannis die, consilia inter se agitaverant, ut à multis subscriptiones de ejus electione erigerent, totamque noctem huic negotiationi impenderant : atque ita constituerant ut in domum ministerialis cujusdam nomine *Chemselriasset* eo fine convenirent. Verùm ille adquief-

cere noluit, negavitque se electioni Davidis consensurum, quamdiu in vivis essent Abuchaker Medicus Sultanorum, & Abulfetwah : ita re infectâ discesserunt : Vizirus alterum eligi volebat nomine Senieddoulet, qui erat ipsi ab actis & epistolis. Aberat interea Sultanus Adel, qui erat Hierosolymis : Kamelus quoque ejus filius absens, ut audivit vacare sedem, quæsivit à Medico suo Abdelkerimo, qua ratione eligi apud eos soleret Patriarcha. Respondit tria virorum de quorum dignitate apud omnes constaret nomina, totidem schedulis inscribi solere : quartam item inscriptam nomine Jesu Christi, cum aliis super altare collocari, celebratisque per dies tres precibus, adduci infantulum impuberem, & cujus nomen educeretur, eum designari Patriarcham : quòd si educta fuerit ea in qua scriptum esset nomen Christi Domini, argumentum esse quod nullus trium illi acceptus sit; atque adeo, tres alios eodem modo schedulis inscribi, donec alicujus nomen prodierit. Cùm igitur contentio inter Jacobitas majorem in modum exardesceret, à multis consulebatur ut electio per sortem illam, majorum exemplis confirmata fieret; sed qui Davidi favebant, obstiterunt, sperantes, per vim & autoritatem id quod optabant se consecuturos. Verùm cùm multi strenuè se illi opponerent, venerunt etiam adversùs eum literæ, accusatusque est quòd temerè supremam dignitatem ambiret, ad quam eligi non poterat, quia abstentus fuerat à Petro Episcopo Fiumensi, qui eum Sacerdotem ordinaverat, ob Confessionem, & alias controversias quæ Ecclesiam Fiumensem turbaverant, quarum etiam occasione schisma in plebe fecerat : neque illum à propria Ecclesia egressum esse, ob aliam causam, quàm quòd ejectus ab Episcopo fuisset. Ea propter ipsum Patriarcham, cùm pravitatem fidei ejus, morumque perspexisset, eum quoque communione privasse. Hæc de eo testati sunt subscriptionibus suis Sacerdotes Misræ & Kahiræ viginti-duo ; quæ in acta retulerunt Misræ Cives habita congregatione. Adjiciebant alii quòd cùm esset Fiumensis, ea regio ad Sahid pertinebat, ex qua non posset eligi Patriarcha ; quasi inde constet neminem ad Patriarchalem sedem assumi debere, qui non oriundus esset ex Inferiori Ægypto ; quam regulam annotare visum est, quia in tota hac historia nihil de ea huc usque nobis occurrit. Objectum etiam ipsi est, quòd, dùm Patriarcha Joannes decumberet, nunquam de ejus salute sciscitatus foret, quòd exequiis ejus non interfuisset : quòd Metropolita Æthiopiæ

Electio per sortem.

piæ fieri ambiens ab eodem cum indignatione repulsus fuisset; multa tandem alia ipsi objecta fuerunt. Ita mensis elapsus, nihilque perfectum & cùm quinque Episcopi convenissent ut tricenarium exequiarum officium ad sepulcrum Joannis celebrarent Liturgiâ & precibus ad Ecclesiam SS. Sergii & Bacchi, ubi hospitium habebant, reversi, mandatum acceperunt ab Emineddino urbis præfecto ut postridie eâ excederent & ad sedes suas reverterentur. Erant illi Mohna Episcopus Busiridos, Senior Episcoporum sui temporis: frater ejus Episcopus Lekanæ, Michael Talhæ, Gabriel Atfijæ, & Marcus Melichæ. Factum id suspicati sunt operâ scribæ, qui Davidi favebat, veriti ne opponerent, se ut fecerant eò usque ejus electioni. Verùm antequam proficiscerentur, congregati coram altari in Ecclesia S. Sergii, excepto uno Episcopo Atfijæ, sententiam excommunicationis adversùs eumdem Sacerdotem protulerunt, seque jurejurando obstrinxerunt, ne unquam ipsi manus imponerent, utpote tantarum turbarum architecto. Inde postquam orassent ad Joannis tumulum, in viam se dederunt.

Non desiit tamen Neschelkhelafet scriba cum amicis, apud plerosque agere, ut quoniam in consessu Jacobitarum publico res non successerat, per subscriptiones transigeretur. Itaque Psephisma præparaverunt, ejus generis quod suprà explicavimus, quod *Taklid* sive *Tazkiet* vocant, quo scilicet testarentur se Davidem elegisse ad Patriarchalem dignitatem. Ipse Autor historiæ Mauhoub filius Mansour, fatetur se ejusmodi literarum paria quatuor exarasse, quia erat secretarius; exemplum unum erat pro Episcopis; secundùm pro Sacerdotibus: tertium pro Laicorum primariis: quartum pro Monachis: quibus quintum accessit ad Alexandrinos: excusat autem se quòd ita fecerit, quod in mente habuerit, nihil hoc sua interesse: & si quidem alii consensum sua subscriptione testarentur, accessurum se ad eorum sententiam, sin minus, se nihil agere, atque ita culpâ vacare. Tanto autem studio subscriptiones exegit Neschelkhelafet, ut tredecim Episcopi subscripserint, etiam duo ex eorum numero qui anathema in eum protulerant, monachi quadraginta, Sacerdotes multi, tam ex Misra quàm ex tractu maritimo, exceptis illis qui sententiam adversùs eum tulerant in concilio eadem in urbe habito. Nutabant Laicorum primarii, resque eò devenerat, ut nulla oppositionis aliorum habita ratione, electio jam jam perficienda videretur. Verùm cùm apud Sultanum Adelum questus fuisset Medicus Abuchaker,

Subscriptiones secretò petitæ.

contemni Christianorum leges, & eum quem designabant aliqui, cœteris acceptum non esse, uno indignum existimari, præsertim quòd pravas de religione opiniones haberet; jussit Princeps convenire coram se Jacobitas, qui illum se nolle Patriarcham habere testati sunt, multa ipsi crimina impingentes. Interrogati quem vellent, multos nominaverunt, præsertim ex Monachorum ordine. Cùmque inclinaret Adelus, ut electio sorti permitteretur, opposuit se Neschelkelafet, dicens hanc quidem esse Francorum consuetudinem, sed quæ institutis eorum non conveniret, duplici mendacio: illam enim sortem quam explicavimus locis aliquot, usurpatam fuisse in dubiis nonnullorum Patriarcharum electionibus certissimum erat, ut multa hujus historiæ exempla demonstrant, & ea erat Latinis prorsus ignota. Interea adductus est Monachus quidam, quem multi postulabant, Camelo permittente; sed cùm advenisset, Adelus vetuit, ne ad ejus ordinationem procederent, & ita in cellam suam reversus est, omissumque electionis negotium.

Anno sequenti qui fuit æræ Martyrum 932us, J. C. 1216us, mortuo Abuchaker Medico, qui præcipuum Davidis electioni impedimentum afferebat, egit iterum apud Sultanum Neschelkelafet, ut negotium finem acciperet. Mandavit is Kahiræ præfecto, ut Christianos convenire juberet ad deliberandum 21a mensis Tybi; ipsi verò noctem antecedentem, & duas alias in vigiliis & orationibus transegerunt: monitique sunt omnium Ecclesiarum Presbyteri, ut id parochianis suis significarent. Ea ipsa die quæ designata fuerat, ex Misra & Kahira ad aulam exteriorem Sultani convenerunt, plusquàm centum, ex utriusque urbis veteris & novæ primoribus Christianis, qui coram Præfectis in strato considentibus interrogati, quem Patriarcham habere vellent, Davidem nominaverunt, cujus electionis instrumento subscripserant. In ea quippe sententia perstabant Kahirani plerique: verùm surgens Diaconus quidam ex Ecclesia Muhallaca Abu-Aziz, cum alio Abulkeza, obstiterunt, negantes consentire se: alterum Neschelkelafet in conclave seducens, sententiam mutare persuasit. Cùm alter in oppositione sua persisteret, magno tumultu multis ad eum se conjungentibus, facta est relatio à Præfectis ad principem, qui selectos ex utraque parte ad se vocari præcepit: accersiti quoque sunt Archipapæ, seu Archipresbyteri duo, Misræ Bircat: Kahiræ Joseph: qui cùm venissent, utraque pars suum Archi-

presbyterum eligi postulavit, neque ipsis Sultani adhortationibus reduci ad concordiam potuerunt. Iterum proposita est sors : sed à plerisque rejecta. Totoque illo anno altercationibus consumto, nihil actum est, etsi semel atque iterum parata omnia fuissent ad Davidis ordinationem, jamque Diploma Sultani signatum esset : at ille cùm intellexisset eos qui ex illa factione non erant illum aversari, diploma revocavit. Dum perpetuò ad aulæ atrium tempus tererent, omissâ etiam divinorum officiorum curâ, factum est ut eo anno Dominicâ Palmarum, Liturgia multis in Ecclesiis celebrata non fuerit. Omnia verò quæ ad has contentiones spectant, Autor noster qui interfuit, cùm accuratè describat, tæderet ea prosequi, cùm nihil omnino nos doceant. Observabimus tamen horum tumultuum occasione vexatos à Principe, cæteroqui Christianis non incommodo, Jacobitas : nam ex ipsorum mutuis delationibus cùm accepisset satis amplam hæreditatem à defuncto Patriarcha sorori relictam, quod secundùm leges Christianas licebat, cùm hæredem alium non haberet, ex Jure Muhamedano secundùm quod mulieres mediam tantùm partem bonorum capere solebant, reliquam veluti fisco debitam, vindicavit : ut etiam collectitiam pecuniam quæ ab Episcopis, Monachis, & Sacerdotibus exigi ad Patriarchæ usus solebat. Eâ occasione Archipresbyteri illi duo, cùm Adelus ab ipsis quæreret, quis annuus esset Patriarchæ reditus, eum quadringentos circiter aureos percipere retulerunt. Sultanus pecuniam illam quæ *Dinariet* vulgò vocabatur, ab aureo capitatim pendendo, exigi præcepit.

Anno sequenti vir quidam accusatus quòd verba quædam ad Muhamedismi professionem spectare judicata protulisset, mori maluit quàm fidem abnegare : corpus ejus ab igne in quem conjectum fuerat, illæsum, in Melchitarum Ecclesia sepultum est. An ipse ex ea Orthodoxa communione foret non prodit historicus. Martyrium cujusdam Christiani.

David Sacerdos interea amicorum numero magno stipatus, in Ecclesia SS. Sergii & Bacchi sacra faciebat; cùmque semel ad altare esset, jamque lectio Epistolæ Pauli facta fuisset, Sacerdos factionis alterius cum multis aliis in Ecclesiam irrupit, magnumque tumultum excitavit dum conaretur eum impedire ne officium prosequeretur, quamvis jam facta esset oblatio. Ille tamen Liturgiam S. Cyrilli quæ eo die usurpabatur, & omne ministerium absolvit, magno Christianorum omnium scandalo, cùm Præfectus Tumultus adversus Davidem.

Misræ ejus causâ in Ecclesiam venisset; sellâque posita, usque ad finem Liturgiæ ibi permansisset. Eum in modum turbatis Christianorum Jacobitarum consiliis, nemo eorum qui ab una vel altera parte expetebatur, eligi potuit. Eodem tempore Franci magnis copiis Damiatam oppugnaverunt, tantusque omnes Ægyptios terror invasit, præsertim Misræ & Kahiræ cives, ut plerique de urbe reliquenda cogitarent, postquam ab hostili exercitu, maritima loca omnia vastata sunt. Cœpit urbs obsideri mense Rabie primo anno Hegiræ 615°, qui respondet anno J. C. 1218°: quod tantum dolorem Adelo, qui toto ferme vitæ decursu prosperè adversùs Christianos pugnaverat, attulit, ut tertio post mense, morbo quem ex tædio conceperat, succubuerit. Suscepit Ægypti regnum & præcipuam inter fratres plures Sultani dignitatem, Kamelus ejus filius qui dudum provinciam tanquam gubernator administrabat. Dum subsidia undique parantur, tam ad Damiatam liberandam, quàm ad Kahiræ defensionem, vexati multis modis Christiani, tum operas subministrare jussi ad urbem novis mœnibus cingendam; quod tamen opus tumultuariè susceptum, interruptum est: tum omnes qui arma ferre possent, ad bellum prodire coacti: plerique datâ pecuniâ se redemerunt. Præfectus Kahiræ veteris, Sacerdotes Ecclesiarum convocavit, tam Melchitas quàm Jacobitas, & eos ad castra proficisci imperavit; utque eos magis terreret, dixit eos non perventuros ad portam urbis, cùm statim Muhamedani eos trucidaturi essent, neque id prohiberi ulla ratione posse. Hæc autem ejus verba Melchitas propriè spectabant, quos Muhamedani magis oderant, ob suspicionem amoris eorum erga Francos, ob rituum morumque similitudinem, circumcisionisque neglectum, & alia similia. Melchitæ territi denarios aureos mille polliciti sunt, quos ut conficerent, vas argenteum ex Eccesiæ ministerio pignori dederunt Muslemano cuidam doctori, pro ducentis aureis. A Jacobitis, qui hoc loco ut alibi semper Coptitæ ad Melchitarum differentiam appellantur, imperata decem millia aureorum: tandem ad tria millia summa redacta est. Ea ut repræsentaretur, cùm exhausti essent plerique, nec haberent, unde constitutam unicuique à Sacerdotibus pecuniam invenirent, omnibus Ecclesiis pro facultatum suarum modo, imò & monasteriis remotioribus, quid solverent constitutum.

Damiatæ obsidio.

Magna inde per totam regionem calamitas, quæ Judæi quo-

Calamitas Ægypti.

que communis fuit : major adhuc cum collectitia hominum circiter decem millium turba potius quàm exercitus, proficisci cœpit. Nam odio adversùs Christianos qui Damiatam premebant, omnes Ecclesias quæ in via occurrebant spoliaverunt, & multas diruerunt; quod sacrilegium citò vindicatum est, nam plerique dum Francorum castra oppugnabant, occisi sunt.

Paulò pòst eversa est Eccesia S. Marci *Kamscha*; Sultani jussu, qui verebatur ne cùm esset in Alexandriæ suburbio, ædificiumque sublime, eam Franci occuparent, eâque ad urbem oppugnandam, tanquam turre uterentur. Magnus ex ea destructione Christianis dolor, qui major adhuc fuit, cùm Muhamedani feriâ 6ª sequente post publicas preces suas, eo loci congregati, quidquid supererat solo æquarunt. Ecclesia D. Marci eversa.

Anno sequenti qui erat Martyrum 936us, Præfecti Kahiræ novæ & veteris, quantam potuere à Christianis pecuniam extorserunt, coactique sunt eadem & plura etiam in ærarium inferre, quæ Patriarchis pro sua suorumque sustentatione conferre solebant, etiam Misræ & Alexandriæ, ubi ea jura locum antiquitùs non habuerant. Aucta quoque majorem in modum tributa ob necessarias ad bellum expensas; tantaque fuit publica calamitas etiam per annonæ caritatem, ut multi solum verterint, non pauci præ desperatione mortem sibi consciverint, multi quoque fidem abnegaverint. Omnes enim mercatorum domus expositæ erant licentiæ militari, qui omnia cibaria, & annonam prædabantur. Neque finis tot malorum fuit ante decennales inducias, quæ inter Francos Muhamedanosque factæ sunt, post captam Damiatam : quæ urbs ipsis ex pactorum conditione restituta est, cùm ex dissensionibus inter Duces præcipuos, fructum insignis illius victoriæ amiserint, quam totius Ægypti acquisitio consecuta fuisset, si ea occasione Christiani usi fuissent.

Eo tempore injecta est mentio electionis Patriarchæ, multis Anachoretam illum ex Monasterio *Abiar*, qui inter candidatos nominatus fuerat, postulantibus : sed cùm Præfectus Kahiræ quingentos aureos præscripsisset, ut ejus ordinandi facultatem obtinerent : nec solvendo essent, nihil effectum est.

Anno 942° Martyrum, J. C. 1226°, habitum est coram Sultano consilium, præsentibus Judicibus : advocato etiam Melchitarum Patriarchâ : aliis verò Davidem filium Laklaki Sacerdotem, aliis Paulum Elbouchi petentibus, re adhuc infecta discessum est. Eodem anno Emirus quidam Ebn-Siroüin missus est ad Monaste- Consilium coram Sultano de electione Patriarchæ.

ria Vallis Habib, inquisiturus de accusatione adversùs Monachos instituta per nebulonem, qui ex eorum numero à fide defecerat. Præcipua capita erant, quòd multos nomine tenus Monachos haberent, qui eo pretextu immunes à tributis erant, quodque multis aliis in rebus fiscum fraudarent. Emirus absque ulla judicii forma Monachos verberari & torqueri tamdiu jussit, donec ab illis sexcentos aureos exigeret, quorum quadringentos repræsentaverunt, pro reliquis fidejusserunt. At cum Emirus rediisset, pecuniamque Sultano obtulisset, Monachique de injuria apud eum questi fuissent, eam restitui illis imperavit, rarissimo justitiæ exemplo: Monachi ut gratum animum testarentur, pecuniam disco impositam per totam urbem cum cereis circumtulerunt.

Sultani summa æquitas.

Nec minor Principis æquitas fuit, cùm aureorum duo millia accipere recusavit quæ offerebantur ab amicis Davidis illius Sacerdotis, ut eum, Patriarcham ordinari juberet: vetuit enim ne id fieret, cùm accepisset, alios qui ejus electioni se opponebant, in sententia sua persistere: parem verò summam pecuniæ ab illis oblatam rejecit, hortatus eos ad concordiam, quæ tamen iniri tunc nulla ratione potuit. Quamvis enim isti consentirent ut nomen Davidis inscriberetur schedulæ, & inter candidatos referretur, electioque secundùm sortem Ecclesiasticam, de qua sæpè diximus, fieret; altera pars neque alterius electionem approbare, neque sorti candidatum suum exponere voluit. Interea qui Davidi adhærebant, tum alii quotidie Patriarchatum licitabantur, offerebantque ad minimum tria aureorum millia, quinque atque etiam decem millia; quæ tamen Sultanus acceptare recusavit.

Liberalitas Sultani erga Monachos.

Anno Martyrum 944° Sultanus cùm Alexandriâ rediret, transivit per Vallem Habib, & à Monachis hospitio exceptus est, cum omni satellitio. Ipse ne liberalitate ab illis superaretur, dedit eis artabas tritici quingentas, farinæ trecentas, aut hordei: fabarum centum, pisorum totidem. Removit etiam ministerialem fiscalem qui ex consuetudine in Monasterio erat: tum diploma ipsis concessit, quo omnes qui Monasticam vitam profitebantur à tributo immunes essent; cum eo etiam privilegio, ut Monachorum bona, si quæ relinquerent, ad Monasteria pertinerent, nullaque illorum hæreditatis prætextu quasi ad Sultanum pertineret, adversùs Monachos actio à Divani fiscalibus posset intentari. Ea occasione questi apud eum sunt, quòd Patriarcham non haberent, & quòd octoginta & ampliùs Sacerdotum loco, qui in Monasterio

S. Macarii esse solebant, quatuor tantùm superessent : quia ordinare nemo poterat alios, qui defunctorum vice succederent. Respondit Sultanus benignè, ut quem vellent eligerent, daturumque se operam, ut is constitueretur Patriarcha. Excusaverunt Monachi se ratione paupertatis suæ, quia pecuniæ præscriptæ erant priùs solvendæ, quàm licentia Patriarchæ ordinandi concederetur. Ille præcepit ut ipsi communi consensu aliquem designarent, reliqua sibi curæ fore pollicitus, nec quidquam ab ipsis exactum iri : verùm illa gratia frustra fuit, divisis ut antea per factiones sententiis.

Anno sequenti, qui fuit Martyrum 945us, cum Sultanus abesset Ægypto, nihil perfectum est : tunc enim in Syria occupatus fuit recipiendis Legatis Imperatoris Frederici II, qui tunc in Syriam transfretaverat, tum in suis ad eum mittendis, quorum interventu pax inter Christianos Muhamedanosque sancita, est, redditis Hierosolymis, sed præter templum, & pauca quædam ædificia dirutis : nam eam urbem ante annos aliquot, nempe Hegiræ 616°, J. C. 1219°, dirui jusserât Sultanus Damasci & Syriæ Moadham Isa Kameli frater, quem Sanutus & alii ex aliquo cognomine male *Corradinum* vocant. Reddita quoque est Christianis omnis Hierosolymitana ditio, Bethlehem, Lydda, Remla, usque ad Ptolemaidem & Jaffam. Pax inter Christianos & Muhamedanos.

Anno Martyrum 449°, plurimi Jacobitæ consenserunt cum Monachis sancti Macarii circa electionem Joannis filii Mutmen, Diaconi in Ecclesia Muhallaca : cùmque subscriptione voluntatem de eo suam confirmassent, annuit Sultanus, modò omnium consensus accederet : sed eâdem discordiâ eos dividente nihil egerunt. Mirum sanè quod sub principe admodum facili, qui Christianos religionis causâ vexari non permittebat, tanta fuerit illorum obstinatio. Nam etsi Patriarcha nullus esset, liberam habebant officia quotidiana & solennia celebrandi facultatem : Ecclesias instaurabant, novasque ædificabant, prohibente nemine : Monachis concessa privilegia servabantur, neque ob hæreditates fratrum apud se defunctorum, turbabantur. Christiani equis & mulis uti poterant : eadem quoque erat Judæis libertas ; omnes à suæ religionis magistratibus jus accipiebant. Electio alterius irrita.

Anno tamen 451° graviter vexati sunt Monachi à vestigalium exactoribus, nec immeritò : multi enim juvenes habitum Monasticum induti in urbibus aut pagis extra Monasteria versabantur,

nihil aliud quærentes, quàm ut à tributo immunes essent. Cùmque eorum numerus magnopere excrevisset, querelæque ad fiscales, deinde ad Sultanum delatæ fuissent, jussit illos omnes tributo subjici. Verùm ministeriales, atque inter alios quidam Ebn-Farmesini, qui Alexandriæ officium aliquod gerebat, omnes etiam veros Monachos, vehementer afflixit, & ab illis plusquam mille aureos exegit. Statutum est ut nemo Monachorum privilegio gauderet, qui non verè habitum accepisset in Monasterio, aut qui in illo non commoraretur, tum ut priùs eorum nomina in album Divani referrentur.

Cyrillus ordinationis suæ præceptum obtinet.

Tandem eo ipso anno satagentibus amicis, obtinuit David Sacerdos filius Laklaki præceptum pro ordinatione sua; Kahiramque veniens, inde Alexandriam profectus est, ubi Sultanus commorabatur ob aëris salubritatem; dataque aureorum mille syngraphâ, fœnori accepit illam pecuniam, tum duo quoque alia millia pollicitus est, præstanda intra menses duos. Itaque 22ª mensis Bayni ordinatus *Komos* seu Archipresbyter, sicut qui è Monachis assumebantur, ordinabantur Hegumeni. Dominica sequente in Ecclesia Salvatoris ordinatus est. Tum Sultano obsequium præstitit, à quo veste, torque & aliis insignibus ornatus, benignèque exceptus est. Maluit, ut videtur, princeps quacumque ratione imponi finem huic negotio quod à tantis annis Christianos exercebat, quam continuari inter ipsos discordiam: multi enim adhuc se istius hominis electioni opponebant, quæ ut oculatus testis narrat Autor noster; sed ea sunt ejusmodi, ut recitari prolixiùs necesse non sit, cùm nihil nos doceant.

Cyrillus Patr. LXXV.

CYRILLUS FILIUS LAKLAKI, PATRIARCHA LXXV.

Cyrillus ordinatur.

IS est David Sacerdos ambitiosus ille, qui tantas per vicennium in Jacobitica Ecclesia turbas excitavit, ut Patriarchatum adipisceretur, quem demum, pactionibus illicitis, pecuniâ, ambitu, malisque artibus consecutus est. Ut autem à plerisque in Monasticæ vitæ professione fieri solebat, ab aliquibus etiam in ordinatione observabatur, ut nova nomina assumerent, ita ille Cyrilli nomen accepit. Ordinatus est, ut diximus, anno Martyrum 951°, J. C. 1235°, qui respondet anno Hegiræ 633°, qui 18us Sultani

Sultani Kameli in Ægypto regnantis fuit : die Dominica 23ª, 22am designat Abulbircat, quod fieri non potuit, quandoquidem Sabbatum erat, quo die ordinationes Episcopales, multo minùs Patriarchales, celebrari non solebant. Cùm ad Sultanum salutandum admissus fuisset, vesteque & muneribus ornatus, postero die processit ad domum filiorum Sokari, in qua caput D. Marci ante complures annos repertum fuisse ferebatur, ut superiùs dictum est. Sed ipse Autor noster testis est dubitatum jam fuisse de ista traditione, inter suos. *Dicitur enim*, inquit, *fuisse caput Petri Hieromartyris, quia caput Marci Evangelistæ erat cum ejus corpore, quando Rumæi sive Græci illud Venetias asportaverunt.* Insigne sane est Autoris non suspecti testimonium, quo Venetorum communis opinio, à majoribus accepta confirmatur; cùm hujus translationis historia obscurissima sit. Eamdem traditionem reperimus apud Abulbircat, qui de D. Marco loquens ait *corpus ejus sepultum in Ecclesia Orientali ad maris litus, ibidem per annos multos quievisse, donec Franci quidam Veneti per fraudem illud abstulerunt Venetias, ubi huc usque servatur. Caput ab illis relictum, depositumque fuisse in domo filiorum Sokari, ubi adhuc erat.*

Traditio de S. Marci reliquiis.

Delatum est in publica supplicatione caput, & arca juxta consuetudinem novo operimento tecta. Novus Patriarcha statim profectus est ad Monasterium S. Macarii ibi proclamandus : atque multos Sacerdotes & Diaconos ordinavit : alia Monasteria visitavit : & multas Ecclesias in regione maritima : tum Misram reversus est, substititque in Ecclesia S. Michaelis, quæ erat ad caput Incilis, seu Aquæductus, quo aquæ Nili effunduntur in Nilometrium. Inde stipatus infinita hominum multitudine, qui ad spectaculum undique convenerant, Judæorum etiam & Muhamedanorum, urbem ingressus est, & ad Ecclesiam Muhallacam processit. Præferebantur cruces, & Evangelia : Sacerdotes & Diaconi procedebant juxta ordinem suum : optimates Jacobitarum equis vecti, tympana, buccinæ, tibiæ, centumque funales cerei. Postea cùm in Ecclesiam advenisset, in throno collocatus est; celebrataque Liturgia, in qua lectum est Evangelium Pastoris boni, in Patriarcharum inauguratione legi solitum : quod se explicasse, hoc est concionem de eo habuisse, Autor hujus historiæ scribit. Offensi hac ambitiosâ pompâ Muslemanorum doctores, querelas ad principem detulerunt, quòd cruces publicè coram Meschitis prælatæ essent : sed hæc eum non commoverunt : ve-

rùm excitatis ad tumultum, injuriamque Christianis inferendam pueris, & turbâ promiscuâ, abstinuit à publico Cyrillus; neque ad festum S. Mercurii, quod in ejus Ecclesia celebrabatur, venit; quamvis præfectus urbis, stipatores misisset: solennitatem secundo die celebravit.

Simoniam exercet.

Cùm multos Sacerdotes & Diaconos ordinasset, expectareturque ut Simoniam exerceret occasione pecuniæ quam fisco debebat, nihil tamen exegit: imò in capitalis illius pensionis, quæ Patriarchis debebatur, distributione neminem gravavit, sed singulis imposuit, quod secundùm facultates suas solvere poterant. At cùm omnes fermè sedes Episcopales vacarent, ubi novos Episcopos ordinare cœpit, nullum nisi pactâ pecuniâ ordinavit, præter Damiatæ Metropolitam, qui olim ex Syria venerat, ejusque contubernalis fuerat in Monasterio S. Philothei; tuncque Monasticam vitam professus erat. A reliquis ducentos aut centenos aureos exegit: à pauperioribus quinquagenos, atque ita Sacerdotes & Diaconos pretio pacto instituit: imò & quosdam natos ex secundis & tertiis nuptiis, quod apud Orientales nefas habetur. Hæc impudenter & absque ulla hominum reverentia, cùm perpetrasset, piorum omnium à se animos alienavit, adeo ut Petrus Monachus & Neschelkelafet Senior aliique ab ejus consortio se subtraxerint.

Ordinationum multitudo.

Ordinavit in hunc modum Episcopos ante Quadragesimam, plusquam quadraginta; Sacerdotes & Diaconos innumeros: atque ita tria aureorum quæ fisco debebat millia brevi tempore collegit: paulò pòst tamen moderatior fuit, vota tantùm, oblationes, fructusque suscipiens. In Ecclesiam S. Sergii Misræ non ingrediebatur, propter Seniorem Neschelkelafet, qui cum eo nullum commercium habebat: & cum autoritatem in eâ Ecclesia haberet, patiebatur quidem nomen Patriarchæ commemorari in Liturgia & precibus, verùm dicebat facere se id Sultani reverentiâ; neque enim habere se pro Patriarcha eum qui Patriarchalem dignitatem emisset.

Cyrillus increpatur à suis Jacobitis.

Anno Martyrum 953°, J. C. 1237°, congregati primores Jacobitarum Cyrillum adierunt in Ecclesia Muhallaca, gravissimèque illi exprobraverunt quòd Ecclesiam everteret, eamque omnium ludibrio exponeret, per flagitiosam pecuniarum pro ordinationibus exactionem. Excusavit ille se quòd aliunde sibi non suppeteret quidquam, unde pecuniam Sultano promissam præ-

ſtare poſſet. Illi verò acriùs in eum invecti, rogaverunt quo titulo eam pactus fuiſſet : ſe nullam in ejus electione partem habuiſſe : illum verò ambitione & malis artibus eam dignitatem quæſiviſſe, & poſt annos viginti emiſſe. Poſt multa, jusjurandum ab eo exegerunt, quo ſe obligaret, ut ſtatim atque Sultano reliquam pecuniam debitam perſolviſſet (erant autem reſidui aurei trecenti), ſimoniam tolleret : ſcriberet ad Epiſcopos, ne ipſi pro ordinationibus quidquam acciperent : utque ordinationes eorum qui ex ſecundis & tertiis matrimoniis nati erant, prohiberet. Hæc omnia facturum ſe interpoſito juramento pollicitus eſt, ſed nihil præſtitit.

Eo circiter tempore ruptis aggeribus, Nilus magnam partem hortorum Eccleſiæ quæ erat in Inſula Miſræ, inter urbem novam & veterem, inundaverat ; atque ut damnum majus prævertere-tur, juſſerat Sultanus, ut iis in locis aggeres repararentur : qua occaſione Cyrillus Eccleſiam quæ collapſa erat, ex integro ædificavit. Deinde ſolenniter in ea Liturgiam celebravit ; atque in Throno conſtitutus, *Prologum* ſeu Orationem Prooemii, quæ prima eſt, pronuntiavit : ſed ſimul, ut expenſas aureorum ampliùs mille in ædificando factas compenſaret, Epiſcopo Gizet hanc Eccleſiam, quæ in ejus Diœceſi ſita erat, eripuit ; eamque Patriarchalem, hoc eſt à juriſdictione Epiſcopali immunem, conſtituit. Ita quoque juriſdictionem ſuper omnia Ægypti Monaſteria ad ſe tranſtulit, eaque Patriarchalia fecit, Epiſcopis tantummodo relinquens autoritatem in Eccleſias urbanas, aut quæ Monachos non haberent. Eccleſias & Monaſteria Cyrillus ſibi reſervat.

Deinde Metropolitam Hieroſolymorum ordinavit, multis reclamantibus ; neque enim licere dicebant, ut in territorio alieno, quod ad ſedem Antiochenam ſpectabat, Alexandrinæ conjunctiſſimam, Epiſcopum ordinaret : eſſeque id non minùs contra veterem conſuetudinem, quàm contra Canones, qui Diœceſeon limites definiverant. Verùm ille rationes illas inſuper habens, novum illum Metropolitam miſit Hieroſolymam, attributâ illi in omnem provinciam autoritate. Cùmque inſtaret Paſchalis ſolennitas, advenerunt in eam urbem Ignatius Patriarcha Syrianorum, hoc eſt Jacobitarum, Antiochenus, & Patriarcha Armenorum. Ut adventum Syrianorum Patriarchæ Cyrillus audiit, munera ex Ægypto ad eum miſit per Epiſcopum Khandekæ, & unum ex Miſræ Sacerdotibus. Illi ad Metropolitam à Cyrillo ordinatum diver- Ordinat Metropolitam Hieroſolymis.

terunt : & postea Patriarcham Syrianorum salutatum iverunt ; muneraque obtulerunt, quæ lætus accepit, monens, tamen Alexandrino Patriarchæ nihil juris esse suis in Diœcesibus : tum illos ut apud se hospitarentur invitavit. Cùm renueret Episcopus negaretque posse se id facere absque Metropolitæ licentia, Syrianorum Patriarcha, munera Cyrilli ad illum remisit : Metropolitamque excommunicavit, nec Episcopum postea in conspectum suum admisit. Metropolita auxilium à Francis petiit, quorum autoritate confirmatus dignitatem retinuit, & in Coptitas eorumque Ecclesias plenam jurisdictionem obtinuit. Vulgò ferebatur eum subscriptione sua testatum ipsis fuisse, quòd eamdem fidem, eamdemque doctrinam quam illi, profiteretur. *Ea enim*, inquit Autor, *ipsorum consuetudo est, ut neminem prorsus sibi adjungant, nisi postquam id fecerit.* De hoc novo Metropolita superiùs dictum est : videturque quantùm colligere ex variis Itinerariis antiquis & recentioribus possumus, hinc originem habuisse nova illa & olim inaudita apud Jacobitas Ægyptios Hierosolymorum Metropolis. Nam ab illius institutione quæ tentata olim, tunc verò consummata existimanda est, originem habuere Antistites, qui Coptitis ad hanc usque diem in urbe sancta præfuerunt.

Cyrillus in carcerem conjectus.

Anno Martyrum 954°, accusatus apud Divani Judices Cyrillus, quòd fisco satisfaciendi prætextu, usque ad novem aureorum millia ab Episcopis, Sacerdotibus & aliis quos ordinaverat, aut à Monasteriis & Ecclesiis corrasisset ; mille aureos pendere coactus est, tum alios quingentos, accusante primùm Monacho familiari quondam suo, qui ad eum Patriarcham constituendum plurimùm contulerat. Mortuo Sultano Kamelo anno Hegiræ 635°, J. C. 1237°, successit filius Adel ejusdem cum avo nominis, apud quem iterum accusatus est Patriarcha, agente præ cæteris Monacho Hamado Echmimensi, qui de pecunia pro Patriarchatu cum Kamelo pactus fuerat ; tandem literæ ad Præfectum Alexandriæ missæ sunt cum mandato principis, ut Cyrillum Hamado traderet : adducti sunt quoque Episcopi Demnhuræ, & Fuæ, & alii quorum testimoniis ita pressum iri illum adversarii ejus judicabant, ut sententia depositionis pronuntiari adversùs eum posset. Ita Cyrillus dum Ecclesiâ exiret post nocturnas preces, comprehensus & cum sociis in carcerem conjectus est : & quia Alexandrini in eum propensiores erant, patique noluerunt ut in ea urbe conventus Jacobia-

rum ageretur, Kahiram cum discipulis duobus & Secretario ductus est, & in arcis carcerem missus: unde tamen eductus est amicorum intercessione, & in Ecclesia *Haret Züület* habitare permissus. Ibi accusatores ejus pacem ipsi obtulerunt, pollicentes nihil se facturos ampliùs ad eum dejiciendum, modò pactis subscriberet, quæ ipsi proposuerunt.

Conditiones illi propositæ.

Præcipuæ conditiones fuerunt, ut nullam quocumque prætextu ordinationem faceret pro pecunia: ut nihil innovaret adversùs jura Antiocheni Patriarchæ; sed Metropolita nuper Hierosolymis institutus, ultra Gazam quæ erat limes dominii Ægyptiaci, nullam autoritatem usurparet; ut ordinatos qui nati essent ex secundis vel tertiis nuptiis, deponeret, non minus quàm eos qui servilis conditionis erant: ut communem Coptitarum habitum usurparet, neque Melchitarum imitaretur: ut reditus Ecclesiarum juxtà destinationem suam impenderet in earum ædificationem, instaurationem & ornatum; reliqua in pauperum curam: sicque de pecuniis quæ quocumque titulo, nomine Patriarchæ colligebantur, reservatis tantummodò quæ ipsi ad vitam erant necessariæ, nempe quindenis per mensem aureis: ut quando ad opera publica, ut eo tempore sæpiùs factum est, Christiani cogerentur, pauperiores quantùm fieri, poterat sublevaret: Sacerdotes eximeret ab eo labore, qui servis proprius erat: (nempe quia paulò antè, cùm ad Nili aggeres reficiendos, omnes cujuscumque religionis operas dare cogerentur, coacti erant Ecclesiarum Sacerdotes, magno suo incommodo, in hoc opere servili laborare;) ut quotannis ex pecunia Ecclesiæ centum artabas farinæ emeret ad sustentationem Monialium, quarum Monasterium erat prope Ecclesiam Muhallacam Misræ: denique ut ab actis haberet Episcopum aliquem seniorem, probatum. Hæ conditiones perscriptæ ad eum missæ sunt, cùmque ei prælectæ fuissent, nihil respondit. Unde Hamad Monachus vehementiùs instare apud principem cœpit, ut permitteret haberi Synodum, in qua Patriarchæ causa judicaretur: sed nihil effecit. Imò amicorum Cyrilli opera in carcerem ductus, & verberatus, fuit aliquamdiu in magna calamitate, & prope periit. Tandemque die festo S. Mercurii, libertati restitutus Patriarcha, festum in ejus Ecclesia cum magna pompa celebravit. Inde ad Sultani conspectum admissus, cum muneribus quæ benignè accepta sunt; in autoritate magis quàm antea confirmatus, plenam securitatem nactus est. Hamad Monachus ejus accusator, cùm syngrapham aureo-

Synodus à Jacobitis postulatur ad judicandum Patriarcham.

rum quatuor millium & octingentorum à se subscriptam dedisset; tanti enim repetundas à Patriarchæ ministris pecunias æstimaverat, amicorum ope præsertim Cheic-el-Seni Monachi ad S. Sergium, liberatus est, & nexu solutus.

Episcoporum conventus.

Anno Martyrum 955°, J. C. 1239°, cùm querelæ adversùs Patriarcham non conquiescerent, convenerunt ex regione maritima Episcopi quatuordecim, qui congregati Misræ in Ecclesia *Haret Zouilet*, multis cum eo sermonibus habitis, tandem testati sunt, se cum eo ad concordiamredituros, modò certis capitulis subscriberet, quibus reformationis capita necessaria continebantur. Consensit tandem Cyrillus; postquam illa ex communi consensu descripta fuerunt, apposito in summa exemplaris margine signo suo, tum subscriptione eorum facta, hæc verba adjecit: *Subscribant fratres Episcopi, quibus Deus benedicat ut & sedibus & populis eorum, ad testandum consensum suum super hoc scripto, omnibusque in eo confirmatis, circa fidem, bonos mores, & consuetudines Ecclesiasticas: qui ea prætergressus fuerit, sit anathematisatus & rejectus sententiâ Trinitatis sanctæ, Patris, Filii & Spiritus sancti, &* CCCXVIII. *Patrum Nicænorum, sive sit Patriarcha, sive Episcopus, sive ego, sive Episcopi mei, non sit ei pars cum fidelibus; quod Deus avertat.*

Capitula constituta ad reformationem Ecclesiæ Alexandriæ.

Quia porro hoc instrumentum alicujus in Historia Ecclesiastica momenti est, idcirco illud paulò fusiùs à nobis referetur. In his igitur Capitulis, quæ deinde relata sunt in Codicem Juris Canonici Coptitarum Collectionis, quæ extat in Bibliotheca Seguieriana, & aliis exemplaribus, præmissa fuit fidei Confessio, nempe ea quam stabilitam habemus in Concilio Nicæno, tum in Constantinopolitano & Ephesino; nam alia Jacobitæ non recipiunt: tum etiam quæ tanquam fidei fundamenta tenentur in Ecclesia Jacobitica, tanquam per traditionem accepta à S. Cyrillo, tum à Severo & Dioscoro, quorum doctrinam ut fidei Orthodoxæ regulam sequi se profitentur. Eam sic paucis exprimunt: *Quòd Christus Deus homo factus, sit una natura, una persona, una voluntas: quòdque sit Deus Verbum: simulque homo natus ex Maria Virgine, atque ita verè ipsi conveniant attributa omnia & proprietates, tam divinæ quàm humanæ naturæ.*

Sequebatur alia professio de observatione eorum, quæ tam sacris literis quàm Canonibus Apostolorum continentur, & Conciliorum receptorum in Ecclesia Jacobitica, ut etiam earum con-

suetudinum quæ usu apud Coptitas confirmatæ forent. Quæ verò singularibus statutis noviter editis comprehensa fuerunt, hæc sequuntur.

Ut nemo deinceps ordinaretur Episcopus, nisi doctus, ut nec absque plebis consensu, de quo confici deberet Psephisma, sive Instrumentum publicum, quo constaret electionem ejus factam & probatam Episcoporum, Cleri, Monachorum, & primariorum Laicorum suffragiis. Ut nihil acciperetur pro ordinatione, non modò Episcopi, sed neque Presbyteri, aut alterius cujuscumque Ecclesiastici. Ne qui judiciis Ecclesiasticis præsidebant, munera quocumque prætextu acciperent; qui contra fecisset, excommunicaretur.

Ut Patriarcha ex doctiorum aliquot Episcoporum consilio, fieri curaret compendium Canonum de rebus licitis & illicitis: præsertim circa causas matrimoniales, & hæreditates: tum ad Sacramentorum rectè administrandorum ordinem: exemplar verò primarium Patriarcha subscriptione sua confirmaret, simul cum Episcopis; diversaque exemplaria in Ecclesiis ad futuram memoriam conservarentur: si quæ judicata fuissent contra præscriptas in illo compendio regulas, sententia irrita foret.

Ut Episcopi quotannis semel convenirent apud Patriarcham hebdomadâ 3ª post Pentecosten. Ne mutarentur consuetudines receptæ in Ecclesia Coptica: ut circumcisio ante baptismum fieret, nisi cùm necessarium impedimentum occurreret. Ne ordinarentur nati extra legitimum matrimonium, aut servilis conditionis homines, exceptis tamen captivis ex Æthiopia & Nubia, si præclaris moribus commendarentur, Sacerdotioque digni judicarentur: qui verò præterquam in captivitatem abductus, servitutem serviisset, aut natus ex meretrice, tandemque muliere *non coronata*, hoc est quæ benedictionem conjugalem non suscepisset, ab omni Ecclesiastico gradu in posterum excluderetur, non minus quàm natus ex muliere multinuba, & quæ virgo ducta non fuisset. Prohibitum etiam fuit ne Coronatio, sive nuptialis benedictio, extra Ecclesiam secretò, atque in privatis domibus celebraretur, absque Eucharistia, hoc est Liturgiæ celebratione. Ne mulieres menstruatæ in Ecclesiam introirent. Ut Secretarius Patriarchæ assumeretur aliquis Episcopus, aut quispiam alius rerum peritiâ & experientiâ commendatus. Statutum pariter, ut peteretur subscriptio Metropolitæ Gazæ de ejus consensu circa fidem Ecclesiæ

Jacobiticæ, tum circa susceptionem Conciliorum quæ in illa suscipiuntur, aliorumque rejectionem : quod si recusaret, deponeretur. Ut Metropolita Damiatensis eum quem tunc habebat dignitatis gradum retineret, juxta consuetudinem decessorum suorum. Ne Patriarcha, vel Episcopi quemquam ordinarent extra Diœceses suas : neque ullus ordinaretur Episcopus nisi ex consensu populi suæ Diœcesis, aut saltem majoris partis, & Episcopi qui eum ordinasset : neque Episcopus Sacerdotem aut alium Ecclesiasticum reciperet, nisi consentiente proprio ejus Episcopo, etiam si apud alterum maneret. Qui verò à propria Ecclesia, aut urbe in aliam absque necessaria causa transiret, ab utraque excluderetur.

Ut Patriarcha neminem ex Diœcesi alicujus Episcopi excommunicaret, nisi ex causa legitima & canonica, postquam apud eum constitisset, officio suo Episcopum defuisse : tuncque Patriarcha eum moneret, ut talem excommunicaret ; ipse verò id faceret, si absque causa eum excommunicare Episcopus renueret.

Ne liceret etiam Patriarchæ absolvere eum qui à proprio Episcopo excommunicatus foret, nisi postquam constitisset illum injustè excommunicatum. Tunc scriberet Episcopo semel atque iterum : non obedientem accerseret, & inter utrumque ex legum Ecclesiasticarum præscripto, jus diceret

Ut qui in aliqua sede constitutus fuisset Episcopus, autoritate in integram Diœcesin suam gauderet, neque aliqua urbs aut territorium ipsi subtraheretur, & illis etiam limitibus se contineret, quos habebat Diœcesis, quo die ipse ordinatus fuisset.

Ut pensio annua quam ex Monasteriis ad Patriarchæ jus pertinentibus Episcopi exigebant, non per vim & ultra facultates exigeretur, sed tanquam benedictio seu eleemosyna acciperetur.

Ne Patriarcha cogeret Episcopum ad illius ordinationem qui populo aut majori ejus parti indignus judicaretur, aut quem ipse Episcopus nollet. Daret etiam operam ut ipse cum Episcopis consentiret, circa res permittendas aut prohibendas.

Ne Patriarcha sibi vindicaret ea quæ in Ecclesiis offeruntur diebus festis, & certis temporibus pro locorum consuetudine ; verùm ea forent sub dispositione Episcopi, nisi consensisset ante ordinationem suam, ut ejusmodi fructus cederent Patriarchæ loco

loco pensionis ordinariæ, à sua sede, vel à Monasteriis ei subjectis persolvendæ.

Ne monachorum accusationes adversùs alios monachos temerè recipiantur, antequam causa testimonio plurium fide dignorum accuratè discussa fuerit. In ejusmodi autem causis dijudicandis, non adhibeantur Laïci, sed præcipui præpositi Monasteriorum; adjunctis, si necesse est, Laïcis, scientiâ & peritiâ commendatis. Ne Monachi absque necessitate Monasteriis suis egrediantur.

Ne Episcopus pro causis levibus excommunicetur, sententiâ emissâ ex Patriarchio: quòd si quidquam acciderit, unde eam pœnam mereatur, Patriarcha unas & alteras ad eum literas scribat, quibus eum de officio suo commonefaciat: postea ad se venire jubeat, & defensionem ejus audiat, antequam illum, si ita fieri oportet, excommunicationi subjiciat.

Hegumenus ejusdem ordinis est, atque Archipapas Sacerdotum, seu Archipresbyter; atque adeò jus habet pronuntiandi Orationem absolutionis, super Sacerdotem celebrantem, ut etiam adolendi incensum post eum, & communionem accipiendi post eum, ante omnes alios. Quando simul adest Episcopus, accipit ab eo thuribulum. Hæc omnia pertinent ad ritus Liturgiæ, ubi pleraque explicata reperiuntur.

Vetitum tandem, ne quis fidelium excommunicaretur, ea ratione quod ad aliam Ecclesiam alicujus festi causâ extra Diœcesin proficisceretur. Hæc inquit Autor pauca ex multis se collegisse, cùm ipsum instrumentum prolixissimum foret; signatum autem fuit 6ª mensis Toth, anno Martyrum 955°, qui respondet anno J. C. 1239°. Extat integrum in multis codicibus. Facta etiam est compendiaria Canonum Collectio de rebus spectantibus ad causas matrimoniales, contractus, hæreditates, cujus varia exempla facta sunt, manu Patriarchæ & Episcoporum subscripta. Extat quoque illa in Codice Seguieriano & aliis, ejusque titulos refert Abulbircat, à quo etiam docemur in ea Collectione componenda præcipuam navasse operam Safi-el-Fedaïl Ebnassalum dictum, alterius Theologi fratrem quorum testimoniis sæpius in hoc opere nostro usi fuimus. Cum vero hujus loci non sit pluribus has Constitutiones explicare, id enim majoris operæ foret, observabimus tantum modo nihil in illis, aut earum Epitomis contineri adversus Confessionis sacramentalis usum & necessitatem quam tantopere

Eeee

Joannes Patriarcha 72us & Marcus filius Zaraæ 73us labefactaverant. Imo cum duo fratres Ebnaſſali, primus in Opere Theologico *Collectionis fundamentorum fidei*, alter in Canonum Epitome per locos communes, eam validiſſime ſtabiliant, inde ſequi videtur id quod alibi probatum eſt, antiquam diſciplinam, omiſſa nugaci illa ſuper thuribulum confeſſione, vires reſumſiſſe, cum deinde tam multa occurrant luculentiſſima pro Confeſſionis neceſſitate teſtimonia, quæ Michaelis Damiatenſis & aliorum qui eam impugnabant argumenta prorſus evertunt.

Ebnaſſali duo.

Hoc etiam ex loco diſcimus vixiſſe illa ætate duos illos inſignes Theologos, quorum præter nomina & opera, dignitatem aut hiſtoriam planè ignoramus. Primus autem, Autor eſt docti ſanè voluminis ſub titulo *Collectionis fundamentorum*, ſive *Principiorum fidei :* in quo non modo veritatem religionis Chriſtianæ propugnat, adverſus Ethnicos & Judæos, ſed etiam ex Philoſophicis rationibus everrit præcipua Ethnicæ ſuperſtitionis capita : tum probat Trinitatis Myſterium, veritatem Incarnationis Dominicæ, & omnia fidei Myſteria de quibus inter omnes Chriſtianas ſocietates conſenſio eſt. Ubi vero ad unionis duarum in Chriſto naturarum explicationem devenit, Jacobiticam unius naturæ opinionem confirmare conatur, rationibus & autoritatibus. Neſtorianorum & Melchitarum ſententias propriis Autorum utriuſque communionis verbis refert, quas deinde refellere aggreditur. Hac in Theologiæ parte tractanda magnam operis ſui partem impendit. Deinde de aliis fidei aut diſciplinæ capitibus fuſe diſſerit : atque id habet commodi, quod autorum qui vel interciderunt, vel quorum libri ad manus noſtras non pervenerunt, teſtimonia referat, ex quibus perſpicuè eorum ſententiam intelligere licet.

Alter edidit Canonum Collectionem, in qua ſub diverſis titulis refert, non modo Canones Conciliorum veterum, ſed eos qui vel Apoſtolis, vel Nicænis Patribus attribuuntur : tum etiam reſponſa SS. Patrum, quo titulo multa extant apud Orientales, nec contemnenda canonicæ diſciplinæ ſyntagmata, quæ æqualem autoritatem habent : tandemque Conſtitutiones diverſorum Patriarcharum Alexandrinorum. Extat id opus in variis Bibliothecis.

Res Muhamedanæ.

Ut tandem ad res Chriſtianorum revertamur, turbato regno tum per bella civilia inter principes, tum etiam ex aliquot Emirorum Arabumque rebellione, magna in Chriſtianos plebis inſo-

lentia fuit. Nam diu in Ecclesia Muhallaca celebrari officia divina non potuerunt, eo quod vicinam Meschitam Musulmani tanquam arcem adversus Ecclesiam habentes, inde suprà tectum ascendebant, eorumque præcones, clamores edebant quibus plebem ad tumultum concitarent: tandemque adductis mensoribus judicatum est muri partem quam Meschitæ vindicare conabantur, ad Ecclesiam pertinere.

Tumultus adversus Christianos.

Successerunt Zelotæ quidam duce viro ignobili, qui absque ullo principis mandato quoscumque Christianos absque zona inveniebat contumeliosè tractabat eos verberans, aut capitis fascia eos cingens, jumentis quibus vehebantur dejiciebat. Cumque plebs eum imitaretur, tanta fuit adversus Christianos insolentia ut quidam eam impatienter ferentes fidem abnegaverint. Ea autem causa fuit præcipiendi Christianis, ut sæpe antea factum fuerat, ne in publicum absque zona prodirent, neque haberent dedecori Christianæ professionis notam, quam idcircò complures Theologi multis ex scriptura locis magnopere commendant.

Severus de exercit. Christ. Ms. Ar.

Accusationes adversus Patriarcham.

Nec multum temporis elapsum est quando novus adversus Cyrillum tumultus excitatus est per Hamadum cognomine El-Murschar Diaconum, qui in illo ad Patriarchalem dignitatem promovendo, calcatâ Ecclesiasticâ disciplinâ, præcipuas partes habuerat. Is enim à Sultano continuis precibus postulavit, ut causam apud congregatos Christianos & qui reperiri possent Episcopos dicere cogeretur, adstantibus selectis Muhamedanorum magistratibus. Magna simul invidia laboravit apud suos Patriarcha, occasione quadam ridicula, quæ tamen seria in mala desiit. Cum in Ecclesiam Muhallacam Misræ venisset, ad quam diu non venerat ob illas cum vicinæ Meschitæ æditiuis contentiones, & illic Monialem benedictione & precibus Deo consecraturus esset, jamque intra Ecclesiam procederet, prælatis cereis, & Sacerdotibus laudes ejus, ut per summam vanitatem patiebatur celebrantibus, vir quidam emotæ mentis qui latebat in tabulato superiori, vocibus multitudinis excitatus, è fenestra prospiciens inclamavit, ut illum ejicerent, multaque adversus eum contumeliosa verba protulit. Ille vero hominem arripi & tam crudeliter verberari jussit, ut miser ille sanguine respersus, magnis clamoribus ad Præfectum de vi conquestum iverit: atque urgente Hamado Diacono statim in ipsa Ecclesia captus Cyrillus ad Emirum Saremum ductus fuerit, & in ipsius domo custodiæ traditus: moxque diebus aliquot exactis transf-

latus in domum scribæ Christiani qui erat ex illius Emiri ministerio. Paulò pòst convenire jussi sunt primores Christianorum præsentibus Kadiis sive judicibus, apud Emirum Saremum adductusque Patriarcha & accusator ejus Hamad : aderantque cum Patriarcha Jusab sive Josephus Episcopus Fuæ, & Joannes Episcopus Fiumensis, qui cum eo capti fuerant. Interrogati sunt autem de simoniacis pecuniarum exactionibus pro ordinatione, negaveruntque se scire quidquam, quippe illos gratis ordinaverat. Ita res quamvis notissima, probatu impossibilis evasit, cum tamen ad ducentos aureos à plerisque exegisset, ad minimum quinquaginta à tenuioribus, præter munera quæ ejus ex fratre nepoti dare coacti fuerant. Post multa, cum alii ipsum testimonio suo absolverent, alii accusationem Hamadi confirmarent : quosdam testes quasi suspectos sibi rejiceret, & alios etiam, quia non ea erant dignitate ut contra Patriarcham suum audiri deberent, judices interrogaverunt an si duo Episcopi testarentur eum pecunias pro ordinationibus exegisse, vellet jurejurando se purgare ab objecto sibi crimine. Respondit se depositioni subjacere, si hæc à duobus Episcopis accusatio adversus eum institueretur : verùm quidquid tandem de se futurum esset, non commissurum, ut rem illicitam perpetraret jurando, quod Patriarchæ non licebat : tandemque post multas altercationes constitutum, ut si duo Episcopi testarentur, pro alicujus ordinatione exactam fuisse pecuniam, deponeretur. Quærentibus dein judicibus, num aliqua adversus eum haberent accusationis capita, accusavit eum Hamad, quod Metropolitam Hierosolymis & in regione quam Franci obtinebant ordinasset, qui Coptitas à fide sua abduceret, qui prohiberet circumcisionem, & conjugia quædam inter propinquos licita ex eorum communi consuetudine. Adjiciebant, fuisse inter illum & Francos literarum frequens commercium, imo & ad eos ivisse Ptolemaidem. Respondit se ordinasse Metropolitam Gazæ, quæ tunc erat in Ægyptiaca ditione, nihil amplius ei præcepisse; more majorum eum ordinasse : si quid ultra fecisset, se alterius crimine nequaquam teneri; cumque instarent alii, præcedentes Patriarchas nihil tale fecisse : respondit eorum tempore fuisse Hierosolymis Sacerdotes Coptitas : at inquiebant ejus adversarii tunc urbs erat in Muhamedanorum potestate : aliudque erat Sacerdotes, aliud Metropolitam ordinare. Tum questi sunt quod is quem Cyrillus constituerat, cum Francis frequens haberet commercium, quod-

que fidem eorum profiteretur. Objecta quoque sunt alia & testibus probata, nihil tamen actum est, cum magna in illo consessu foret sententiarum diversitas. Multi consultius existimabant ut congregarentur Episcopi cum Laïcorum primoribus, atque inter eos disquireretur, quænam essent necessaria reformationis capita: postea moneretur Patriarcha, ut leges Ecclesiasticas non violaret: id si fecisset, consecuturos facilius id quod frustra huc usque interposita principis autoritate tentatum fuerat: si eorum monita contemneret, oportere ut nulla deinceps in Liturgiis fieret ejus nominis memoria. Ita dum quæ aliis placebant alteris displicerent, re infectâ discessum est, Patriarchaque libertati restitutus, ita tamen ut trecentis aureis multatus fuerit: aucta etiam est vehementer, inter illum Jacobitasque discordia.

Concordia inita certis conditionibus.

Paulò pòst cum ad solennitatem Dominicæ Palmarum celebrandam venisset ad Ecclesiam S. Georgii, Sacerdos eidem præpositus Senihet frater Cheïc-el-Seni, quique officium in Divani ad ærarium spectantis ministerio habebat, persuasit ut ad pacem conciliandam, quædam ipse per se non coactus præstaret, quæ piis viris satisfacerent, cosque sibi adjungeret. Scripsit igitur dispositionem fructuum Ecclesiarum de quorum mala administratione incusabatur, qua statuebatur, ut ea Sacerdoti alicui probo, & perito quem publico consensu eligerent, committeretur, qui illos quatuor in partes distribueret: prima in ædificiorum reparationem impenderetur: secunda in sumtus necessarios quotidianos, pro luminaribus, oblationibusque: reliquæ duæ in pauperum sustentationem, Ecclesiæ vero præposito ne drachma quidem ad proprios usus concederetur. Pollicitus quoque est se ordinaturum Episcopos Misræ seu Kahiræ & Khandekæ, quas sedes proprii compendii causa vacuas relinquebat: aliis quoque vacantibus daturum eos Episcopos quos Diœcesani approbarent, & quorum fama publico testimonio confirmaretur: constituturum Magistros seu Doctores duos, unum Misræ, alterum Kahiræ, à quo Laïci officia sua doceri possent: quique literas sacras interpretarentur. Consensit etiam ut quæ Monasteria sibi gubernanda reservaverat, ea manerent sub Episcoporum autoritate, modo præcipuis Monachis ita videretur: eâ tamen conditione ut annuam pensionem quæ Patriarchis præstabatur, Episcopi repræsentarent, tum ut duos Episcopos assumeret, ex quorum consilio judicia, omnesque alias res Ecclesiasticas administraret. His capitulis cum subscripsisset

Patriarcha, ea Senihet ad fratrem suum detulit, qui cum aliis quibus curæ erat reformatio Ecclesiarum, multa deesse judicavit. Itaque inimicitiæ sopitæ non fuerunt, & statim pòst solennitatem Paschalem magis exarserunt.

Nova adversus Cyrillum accusatio.

Eo quippe ipso anno qui erat Martyrum 956us, J. C. 1240us Sacerdos Alexandrinus Elmakinus cognomine Ebn-Elbiha, quem Patriarcha collectorem suum in tractu maritimo instituerat, & quem inter familiarissimos habuerat, offensus illius avaritiâ & pertinaciâ, querelam ad Emirum primarium detulit, tum quod Patriarcha diceret Emirum postquam magnam ab eo pecuniam extorsisset, eum tamen omni auxilio destitutum relinquere: quod adversarios suos non compesceret: tum quasi amice monuit, periculum esse ne si Sultanus resciret, solutum re infecta consessum quem haberi jusserat, ut causa Patriarchæ cognosceretur, displiceret ipsi quod mandata sua neglecta fuissent; adjunxit Patriarcham absque aliorum consilio statim atque primum illud judicium illæsus evasit, missis literis Episcopos, qui jam Kolioubam advenerant, ad sedes suas reverti coegisse. Jussit igitur Emirus Patriarcham dari in custodiam, convocarique Episcopos ad quos etiam literas misit: adfueruntque paulò pòst undecim: inter quos novem fuerunt qui electionem subscriptione sua comprobaverant, nempe Joannes Semnudæus, Marcus Talkhæ, Joannes alter Panopoleos; tertius Lekanæ: Michael Barmonæ, Gabriel Senhuræ: Michael alter Sinschahæ: Ephræm Nesterawæ, Marcus Sinjaræ: duo qui non subscripserant, Episcopi Fuæ, & Aschmoumæ. Omnes tandem subscripserunt, veram esse accusationem institutam contra Patriarcham, nempe quod pecuniam pro ordinationibus exegisset: quidam etiam adjecerunt videri sibi illum in excommunicationis pœnam incidisse, quia contra suam subscriptionem hæc fecerat, nempe cum scripto dato nihil tale postea commissurum se pollicitus fuisset. Duo tamen ex superius nominatis, & aliis qui advenerant, subscribere renuerunt, Metropolita Damiatensis & Episcopus Aschmoumæ, de iis non liquere sibi significantes. Accusatus est iterum quod Episcopum Khandekæ excommunicasset, quia aureos sex exegerat pro sepulcro in Monasterio ejusdem loci, quam pecuniam ipse acceperat: quod mulierem quæ monasticam vitam relicto marito amplexa fuerat, ad restituendam dotem & duplum condemnasset: & in eodem genere contrariam sententiam pronunciasset: quod libertinos Sacer-

dotes ordinasset, multaque alia ipsi objecta sunt, & testimoniis probata, adeo ut scriba Patriarchalis indicem dederit pecuniarum simoniace extortarum, cum nominibus eorum qui eas solverant, ex quo constabat aureos septemdecim mille, vel ut alii dicebant quindecim mille, ipsum ita collegisse. Ut autem aliquo modo si fieri posset concordia & reformatio disciplinæ procurarentur, simulque de accusationibus circa fidem Patriarcha se purgaret, oblatum est ipsi exemplum instrumenti subscripti olim à Joanne filio Abugaleb ejus decessore: quo fidei professio continebatur, juxta Jacobitarum doctrinam, præsertim declaratio adversus Concilium Calchedonense, & illius condemnatio: tum constitutio ut quicumque pecunias aut munera pro ordinationibus accipiebant excommunicarentur, & deponerentur, non minus quam qui dedissent; tandem diversa alia Ecclesiasticæ disciplinæ capita, quibus adjecta nonnulla fuerunt; ne ordinarentur nati ex secundis nuptiis; & ne mulieres in Ecclesiam admitterentur, nisi quinque diebus postquam à menstruis purgatæ fuissent. His omnibus Cyrillus subscripsit, eaque se observaturum pollicitus est.

Eodem anno Ecclesia Muhallaca Misræ à Muhamedanis spoliata est, hortante nebulone quodam illius præcone, cum per portam quam olim ex vicina Meschita aperuerant obrepsissent: sub uno ex altaribus repertum vas sacrum antiqui operis illic defossum, cujus notitiam nemo habebat.

Novæ adversus eum turbæ.

Anno Martyrum 957° cum nova inter Patriarcham, & ejus accusatores dissidia concordiam dissolvissent, iterum postulatus est quod aureos tres mille circiter qui ad Sultani jura spectabant intercepisset: petieruntque ut convocatis Episcopis judicaretur, & deponeretur. Cum Emirus qui judicio præerat quæsivisset, an liceret secundùm Christianorum disciplinam illum deponere, fassi sunt id non licere; nempe quia ex antiquæ disciplinæ regulis, nulla ferme supererat, cum certum sit, ut etiam ipsi in libris suis habent, non modo Episcopos, sed ipsos Patriarchas deponi posse, præsertim ob simoniam. Verum cum ex suis ipsorum Canonum Collectionibus, historiisque intelligerent, id non posse fieri nisi ex Concilii sententia; paucos autem Episcopos qui ex inferiori Ægypto convenerant Concilii legitimi rationem habere non posse, idcircò fassi sunt se ad Patriarcham dignitate privandum carere autoritate. Cum igitur Emirus eos increpasset, quod rem sua ipsorum confessione illicitam à se peterent, consessus solutus est, Patriarchæ, & ejus

nepotibus, mulcta aureorum mille quingentorum significata est.

Pax cum Francis.

Eodem anno pax cum Francis sancita est, post leves aliquot excursiones, ea conditione ut in eorum potestate essent Hierosolyma, Betlehem, Ascalon, & earum urbium territoria, Bet Gabriel, Gaza sed absque territorio, Tiberias, Megedeliaba, Hamla, Safad, Kaukab, Tyrus, Tabnin, omniaque alia castra aut urbes regionis maritimæ. Captivi utrimque liberati: Francis vero qui in arce Kahiræ erant, data in hospitium Ecclesia vicina S. Mercurii, magno Jacobitarum dolore, quia Muhallacam ingredi non poterant aut officia divina in ea celebrare, ob quotidianos Muhamedanorum insultus: aliæ urbanæ, aut dirutæ erant, aut in eas Patriarcha non eamdem quam in reliquas jurisdictionem habebat.

Episcopi apostasia.

Inter magnas etiam illius temporis calamitates numeratur apostasia à fide Episcopi Sendafæ: is cum in fornicationis crimen incidisset, excommunicatus fuerat à Patriarcha, satagente in primis Diacono quodam Ecclesiæ suæ quem ipse communione, & administratione bonorum Ecclesiasticorum privaverat. Urgebant ex altera parte viri quidam pii, ne ad extremam illam pœnam deveniretur, timentes hominis desperationem. Diaconus quoque qui eum observabat, cum vidisset meretricem quæ Muhamedana erat domum ejus ingredi, statim eum denunciavit; unde cum pœna mortis proposita Episcopo fuisset nisi fidem negaret, Muhamedanus factus est.

Anno 959° magnas à Judice calamitates Jacobitæ sustinuerunt ob Ecclesiam SS. Sergii & Bacchi, quam Musulmani ædificatam esse dicebant in solo quod olim Meschitam habuisset, eaque ratione à Christianis occupari non debuisse. Longa & multis conductorum testium perjuriis implicata lis ista fuit, in qua Cheïc-el-Seni Monachus, Sacerdósque, ad quem illius Ecclesiæ cura spectabat, multa perpessi sunt, sæpeque post diuturnum carcerem in vitæ periculum adducti. Autor noster in ea historia exponenda ad fastidium usque diligens fuit, sed hæc minutiora sunt, neque ex illis fusius excerptis quidquam utilitatis percipi potest.

Obitus Cyrilli.

Patriarcha quod superfuit vitæ transegit in Monasterio *Elchemah* quod ipsi solum supererat, obscurus & in summo suorum contemtu, cum nemo inter eos qui aliqua pietatis aut doctrinæ opinione commendabatur, ullum cum ipso haberet commercium, neque ex tot monitionibus, depositionisque periculo melior evasisset. Obiit tandem 14ª Famenoth eodem anno 959° Martyrum, qui

qui respondet anno J. C. 1243°. Hegiræ 640° secundùm Autorem nostrum aut 541°, quia is Arabum annus incæpit à 20ª Junii : atque mensis Ægyptiacus qui Martio ex parte respondet, pertinebat ad annum superiorem. Statim vero ac Cyrillus diem suum obiit qui viventem tam acriter insectati fuerant, mortuo non pepercerunt, significaveruntque Sultano magnam auri & argenti vim ab eo relictam : pretiosamque supellectilem quæ omnia ad fiscum spectare videbantur. Statim missi qui domum obsignarent, neque solum supellex Patriarchæ, sed vasa, libri, altarium tegumenta, & alia multa ad Ecclesias spectantia fisco addicta sunt. Nepos ejus ex fratre & alter ex sorore in carcerem conjecti, & torti ut defossas pecunias indicarent : inventa aureorum capsa, in qua mille circiter; tum in drachmis, alia millena : vasa, stragula vestis multa, & linea, tapetes magni pretii publicè vendita, adeo ut vix superesset quantum funeri procurando erat necessarium. Atque hic finis Cyrilli filii Laklaki fuit, qui postquam annis ferme viginti laborasset, nihilque corruptelæ omisisset ut Patriarchalem dignitatem adipisceretur, in illa per annos septem & menses aliquot, summo cum dedecore, ea à melioribus Jacobitis passus est, quæ nemo antea à perditis nebulonibus, aut ipsis Christiani nominis hostibus sustinuerat, cum sæpè simoniæ convictus, & sub anathematis pœna pollicitus emendationem, semper in ejusdem avaritiæ sacrilegæ baratrum delapsus, nullam aliam quam corradendarum pecuniarum curam habuerit.

Quæ vero verbosissimè scripsit Autor quem sequimur, ea paucis Makrizius complexus est, exagitatque ejus avaritiam, & simoniam ; laudat tamen quod in rebus Theologicis peritus esset, fortasse quia ejus nomine inscripta Canonum syntagmata quæ extant, ut monuimus, in variis codicibus, fefellerunt hominem Muhamedanum, adeò ut Autor illorum creditus ipsi fuerit, atque inde opinionem doctrinæ conceperit, quæ in Cyrillo nulla erat.

Eodem ferme tempore obiit Episcopus seu Patriarcha Melchitarum, cujus nomen ignoratur, in tanta paupertate, ut funeri efferendo necessaria non suppeterent. Mortuus quoque est Judæorum Æchmalotarcha, cumque duo ex illa gente primarii de hac dignitate contenderent, unusque illorum Sabbato pulpitum conscendisset mille aureis multatus est, quasi eam absque Sultani licentia occupasset. *Mors Patr. Melchitarum & Æchmalotarchæ Judæorum.*

De illis Judæorum Æchmalotarchis multa dici possent ex Ju- *De Judæorum Æchmalotarchis.*

dæorum libris, quæ cum non sint hujus loci prætermittimus, ad Judaicam enim potius, quam ad Ecclesiasticam, aut Ægyptiacam historiam pertinent. De eorum autoritate, de inaugurationis ritu, & deductione ad Aulam Principis stante Abbassidarum Califarum imperio, plura scribit R. Abraham Salmanticensis in libro Jucassin, ex quo desumta sunt quæ notis in Benjamini Itinerarium suis inseruit illius Interpres Constantinus l'Empereur. Vulgo princeps exilii sive *Rosch Galout*, vocatus est à Judæis suis ille Æchmalotarcha, ex quo nomine parum detorto fecerunt Arabes suum *Raseljalout* quod idem significat: & ea vox non modo ab Ægyptiacis autoribus usurpatur, sed etiam à Nestorianis in Historia sua. *Daïen* sive Judex aliquando appellatur, imaginarius iste princeps, de quo Judæus ille tamen tam putide gloriatur, quasi in magistratu illo precario, sceptrum Juda & dux de femore ejus subsisterent. An ex Davidis prosapia (quod videtur Bagdadi observatum, si Judæis credendum est) semper fuerit Æchmalotarcha, maxime dubium est: nam alius erat in Chorasana, alius in Perside. Itaque suum Judæi Ægyptii Æchmalotarcham habebant; qui eodem prope jure eos regebat, quo Patriarchæ Christianos: & ut isti à Clero & primoribus Laicorum, ita ille à Judæorum optimatibus & plebe eligebatur, confirmabaturque electio à Principe Muhamedano: ut olim ab Anglorum Regibus *Presbyter Judæorum totius Angliæ*. Is autem honor, & magistratus obtineri ubique prope solebat per electionem, quæ ut apud Christianos ab Episcopis, accedente Cleri & Laicorum consensu confirmabatur, ita apud Judæos à Synagogarum præsidibus & Synedriis. In ea principatus imagine, non tam sceptrum à Juda non auferendum intellexisse eos manifestum est, quam id quod in Jacobi Prophetia sequitur, *& dux de femore ejus*, ubi vox Hebræa, *legum latorem* aut *interpretem* significat. Quamvis porro familiam Davidicam adhuc superesse Judæi pertendant, ex qua Abrabaneles & alii ortos se esse gloriantur, sceptrum tamen, hoc est verum principatum apud Israelitas periisse dudum agnoscunt. Verum postquam ex Æthiopia relatum est regnare illic hominem circumcisum, qui ad Salomonem Davidis filium stemma duceret, & observari illic Judaicas multas leges: tum demum gloriari cœpere non mediocriter, tanquam rege illo reperto, qui sceptrum à familia Judæ nondum ablatum fuisse probaret. Unde Epistolas à Davide Rege ad Clementem VII. per Franciscum Alvarezium missas Judæi His-

Pag. 192. & seq.

Seld. hist. of the Tithes, l. 1. c. 2.

panicè & Hebraicè ediderunt, sed valdè interpolatas. Tandem ante annos aliquot Montesinus quidam, tale regnum in America repertum publicata relatione futilissima, mentitus est. Nunquam porro ante proxime elapsa duo sæcula, simile quidquam Judæo ulli in mentem venerat, agnoscentibus Magistris celeberrimis David Kimhi & aliis qui Hoseæ cap. 3. ℣. 4. exposuerunt, completam esse erga illos prophetiam illius, cum filii Israel dudum essent absque Rege principe & sacerdotio. Sane vix ulla regio Judæos non habuit. In Africa, in India, in Montana Regione, Chorasana & aliis, magnum fuisse illorum numerum testatur Abulfeda: Modainæ etiam ante Bagdadum conditam, tum in ea urbe potentissimos illos fuisse scribit Nueirius. In Perside maxime floruisse probat versio integra sacræ Scripturæ in linguam Persicam: tum aliæ in Græcam & Hispanicam recentiores ad eorum usum qui Constantinopoli & in aliis Imperii Turcici præcipuis urbibus sedes fixerunt, præsertim postquam ex Lusitania & Hispania pulsi fuerunt. Etsi vero amplissimas plerumque opes haberent, neminem in historiis legimus de principatu cogitasse: sed illa jactatio nupera admodum, & aliquot impostorum propria fuit: non communis Judæorum opinio.

Abulfeda n. 112. 454. 456.
Ant. Tenreyro fol. 4.
M. Pol. l. 3. c. 21.
Yacuti p. 65.
Conto Dec. 12. p. 134.

In hujus Patriarchæ vita definit Collectio quam secuti sumus, neque ultra progreditur, adeo ut pauca admodum sparsimque reperta fragmenta habeamus ad hanc historiam prosequendam. Si quis Autor eam historiam ad nostra hæc aut vicina tempora perduxit, ejus opus ad manus nostras non pervenit, neque de eo quidquam nobis occurrit.

Quod superest, paucis explicare necesse est successionem principum sub quibus stetit Yubidarum in Ægypto imperium: nam qui eam provinciam obtinebat, inter alios ejusdem stirpis; præcipuus censebatur, & Sultani titulum honoresque eidem deferebantur.

Res Muhamedanæ.

Adelo qui obiit anno Hegiræ 615°, J. C. 1218° successit Kamelus ejus filius, qui anno regni 20° obiit Hegiræ 635° J. C. 1237°: multa illi cum fratribus & agnatis Yubidis bella: variâ etiam fortunâ adversus Christianos pugnavit, cum quibus pace initâ, Damiatam recepit. Sæpè etiam ab Emiris seditiosis appetitus est: Damascum & pleraque Orientis dominia occupavit: princeps bonus, literarum amans, doctis favens, quorum gratia scholam Kameliam à se dictam ædificavit. Cum Damasci diem suum

obiisset, ab Emiris Ægypti Sultanus salutatus est, omisso Negemeddino natu majore.

Adelus Abubekrus, avi nomine appellatus. Huic post biennium mortuo anno 637. Hegiræ successit frater Saleh Negemeddin Yub : cui post annos decem successit ejus filius Moadham Turanscha post annum Hegiræ 647um, J. C. 1249um. Is est sub quo Ludovicus IX. sanctissimus Francorum Rex in Ægyptum trajecto exercitu, victorque captâ Damiatâ, ante Negemeddini mortem, paulò pòst ad Mansuram debellatus & captus est. Obiit Negemeddinus Saleh anno Hegiræ 647°, J. C. 1249°, ex morbo : absente filio qui erat in Castro Kaifæ in Syria : dum accersitur, regnum administravit *Chajareldor* Turcica patris ejus concubina, prudenter & fœliciter : nam patris ejus mortem celavit, & duces in officio continuit, præsertim Emiros Turcas, quorum summa tunc erat autoritas. Multos ex ea gente servos emerat Saleh, quos militaribus laboribus exercitatos ad corporis custodiam adhibuerat, & ex illis cohortem prætoriam constituerat. *Mamluci* vocabantur, quasi emtitii servi : sed nimia illorum hominum insolentia domum Yubidarum evertit. Moadham enim juvenis ferox, nulliusque judicii, statim atque in Ægyptum advenit, odium adversus illos suum dissimulare nesciens, eos ad necem ipsi inferendam excitavit. Occisus est paulò pòst S. Ludovici liberationem, ut narrant quoque nostri historici : & in illo Sultano defecit stemma Yubidarum Sultanorum Ægypti, Salaheddini successorum. Regnum aliquamdiu administravit Chajareldor, adeo ut ejus nomine oratio fieret, diplomataque signarentur. Sed cum muliebris dominationis illos puduisset, eam coegerunt Emiri, ut Azeddino Ibego Mamlucorum Turcarum primario nuberet : mox Emiri cum Sultanum habere vellent ex Yubidarum familia statuerunt ut proclamaretur Melik Aschraf filius Nacer Yuceph, filius Mashud Akfis, filius Kamel : Ibeg tutor ejus esset, seu *Atabek*. Mulier audax & zelotypa cum omnia negocia ad se traheret, maritumque de novis nuptiis cogitantem, vitæ quoque suæ insidiari rescivisset, eum prævertit, & in balneo occidi fecit. Paulò pòst cum Almansor Ibegi filius, Sultanus in Patris locum renunciatus fuisset, ipse & ejus mater, excitatis adversus illam Mamlucis, illam oppresserunt, cùm illa pretiosiores gemmas suas in mortario contundi jussisset, ne ad inimicos suos pervenirent. Almansor Ibegi filius quindecim annorum juvenis, post

multa inter Mamlucos dissidia communi consilio, depositus est, eo ipso anno 655°, Hegiræ, quo proclamatus fuerat. In ejus locum factus est Kotuz 3us Mamlucorum Turcarum, qui postea à Mamlucis Circassis sublati sunt, & quorum regnum eversum est initio decimi sexti sæculi, à Selimo Turcarum Imperatore. Atque hunc in modum non toto vertente sæculo insignis ille Principatus Ægypti, Syriæ, Mesopotamiæ, Arabiæ aliarumque provinciarum, tot Salaheddini sceleribus fundatus, concidit, adeo ut præter Sultanos Damasci, reliqui omnes, tam ex ipsius quam ex fratris ejus Adeli à quo familia ejus spoliata est, aut aliorum qui plures erant prosapia reliqui, vix aliquam urbem, sub majoris alicujus domini clientela retinerent. Et eodem ipso tempore Tartari ex Oriente extremo profecti omnes spoliaverunt & plerosque occiderunt. Nam ante annos circiter quadraginta fera illa Tartarorum Orientalium gens, qui *Mogoles* appellantur, prodire cœpit.

Initia Tartarorum Mogolum. Emir. Cond. Cond - Emir Matachi. Abulfeda Ebn Chuena, &c. Leb Toüarich.

Caput & princeps Temugin Bisakowi Badur, ortus ex antiqua nobilitate quam à Buzangir-Chano apud Mogoles principe, repetebat. Fuit educatus in aulâ Ung-Chani qui omnibus illis Tartarorum, Kipjakorum, & Cataïorum Ordis sive tribubus imperabat, apud quem in honore & dignitate fuit. Ung-Chanum eum esse non dubitamus de quo scribunt Autores nostri, Joannes de Plano-Carpini, Willelmus de Rubruquis, Joannes de Mandevilla, Marcus Paulus, & alii, quem Christianum fuisse prope omnes consentiunt, alioque nomine Joannem appellatum. Hinc plerisque doctis judicatum est ab annis amplius centum, illum fuisse Presbyterum Joannem, frustra quæsitum à Lusitanis in Æthiopia: quæ conjectura licet transivisse quodammodo in rem judicatam videatur, tamen ut ostendetur à nobis in Dissertatione de Ecclesia Æthiopica, videri debet incertissima. Cùm calumniis inimicorum appetitus Temugin, in vitæ periculum devenisset, adversus Ung-Chanum bellum movit, eumque vita & imperio spoliavit. Postea anno Hegiræ 599°, J. C. 1202° in generali conventu Tartarorum *Curiltaï* dicto, Ginghiz-Chan appellatus est, & *Regem Regum* Turanicâ, sive Turcicâ veteri hoc nomen significare testantur, Persici historici. Kara-Cataïam postea biennio subegit, totamque quantacumque erat Mogolum & aliorum Tartarorum & Cataïorum regionem: quo nomine non dubitamus, magnam Sinici Imperii saltem Borealis partem significari. Nam Autor Ægyptius Historiæ Patriarchalis, fidus magis quam

Patr. LXXV. eruditus scriptor eorum quæ se vivente gesta sunt, ubi primam ejus in Iran, sive Persidem & vicinas provincias expeditionem refert, vocat eum Sinarum Imperatorem. Et sane Tartarorum in Sinas irruptionis, circa illa tempora meminerunt, qui de illis rebus scripserunt.

Hujus expeditionis in Chorasanam, Chowarezmiam & Transoxianam annum primum refert Cond-Emirus ad Hegiræ 615um J. C. 1218um: alii Autores ad 613um. alii ad 617um. Subactis illis provinciis sublatoque Chowarezmiorum imperio potentissimo, obiit Ginghiz-Chanus anno 624°, J. C. 1226°, excisis, funditùsque deletis urbibus maximis, quarum ne vestigia quidem supersunt, tanta strage edita, ut quæ narrantur ab Emir-Condo & aliis autoribus, credibilia non sint, nisi vastitas illarum provinciarum, quæ maxime populosæ olim fuerunt, fidem narrationi faceret. Erat Ginghiz-Chanus religione Tartarus, hoc est nullam propriè habebat, nisi qualis legibus aliquot continebatur, quas *Taça* vocant. Christianis non modo inimicus non erat, sed illis favebat, & in numerosa sua familia multi Christianam fidem nullo vetante profitebanrur, imo filii ejus & nepotes quidam. Sed Muhamedanis infestissimi erant Ginghizcanii: Meschitas evertebant, neque ullis ferme ex illa secta parcebant. Ex quatuor filiis quos ex Bulgin-Beghi uxore nobilissima, Ung-Chani secundùm aliquos filia, suscepit, Octaï quamvis 3us ex patris testamento supremum Imperium obtinuit. Tres alii fuerunt Touchi-Chan, Yactaï-Chan: & Tuli-Chan: ex quibus omnium fere Tartarorum nobilitas habet originem. Tertius eorum Imperator Gayuk Chan, salutatus est, quamvis minorennis, matre Turakina-Chatoun imperium administrante; ab anno 639°, obiit ille 644°. Quartus fuit Mangu-Chan, Tuli-Chani filius qui electus est à Mogolum generali concilio anno 648°, J. C. 1250°. Hic fratrem suum Cublaïum versus Orientales partes misit, ubi magnam Sinici imperii partem invasit: alter Hulacou, qui nostris notissimus, *Holaco*, *Holao* & aliter appellatur, Persidem, Mesopotamiam, Syriam, Anatoliamque vastavit: reliquias Seljukidarum qui Iconii regnabant, sustulit: Ismaelitas sive Assassinos, cum eorum principe Cond Rucneddin, artibus eorum expugnatis, ad dena millia interfecit: quod vero Muhamedanos vehementer pertulit, Bagdadum cepit, Califam Mustasimum & ejus filios occidi jussit, in culeum insutos & per urbem raptatos, vel ut alii scribunt exercitus infiniti

qualis erat Tartaricus, equitum peditumque conculcati sunt pedibus. Atque hæc sufficiunt de Tartaris quantum ad hanc nostram historiam attinet, de quorum rebus multa & plura quam Arabici scriptores ulli habet Abulfaragius, cujus historia cum Latinè & Arabicè edita sit patet omnibus. Persici tamen Autores omnino luculentius de illis rebus scripserunt, Emir-Condus præcipuè, tum ejus Epitomator Cond-Emirus : antiquiores alii duo qui extant in Bibliotheca Regia : tum ex Arabibus Marachi, Abulfeda, Ebn-Chukna, Historiæ Ægypti & plures alii. Extant etiam multa & quidem reconditæ eruditionis in nupera Bibliotheca Orientali ; etsi dolendum est, multa nomina ita à vulgari usu discrepare, ut non nisi à peritis illarum historiarum agnosci possint. Neque enim si Persæ hodierni Avenk-Chan pronunciant, mutanda fuit ratio nominis apud historicos Latinos & vernaculos conservati ; nam nemo nescit pleraque à Persis efferri secundùm idioma Turcicum, ita de multis aliis quæ in toto hoc opere occurrent diversa ab iis quæ in Bibliotheca leguntur circa successores Kameli, Mamlucorumque initia, in quibus certissimè Autor non tam falsi quam negligentiæ accusandus est, quam si doctrinæ suæ parem adhibuisset, nihil haberemus hoc in genere perfectius. Sane quæcumque referimus ea excerpta sunt fide summâ, ex optimis autoribus.

Ubi desinat historia Patriarchalis.

In Cyrilli 75[1] Patriarchæ vita definit Historia Alexandrina quam huc usque secuti sumus ; neque Chronicon Orientale ab Echellensi interpretatum ultrà illius vitam progreditur. An ut historicos veteres, alii qui proximis sæculis vixerunt continuavere, hunc postremum alii exceperint, scire non potuimus. Si qui in Ægypto extitissent, non effugissent fortasse Wanslebii diligentiam, aut eorum qui Bollandiani laboris successoribus, multa de Christianorum Coptitarum rebus, subministraverunt. Itaque catalogum eorum qui à Cyrillo 75.° huc usque sedem Alexandrinam apud Jacobitas tenuerunt, solummodò dare possumus, adjunctis paucis quibusdam quæ undecumque excerpsimus. Indicem illorum Patriarcharum primus publicavit Wanslebius ex Abulbircat : eumdem historiæ suæ inseruerunt viri doctissimi, auctum aliquibus quas à Ludolfo habuerunt observationibus.

Athanasius 76.

LXXVI. igitur Patriarcha Alexandrinus recensetur in laterculo Abulbircati Athanasius filius Kalil, electus anno Martyrum 967°, ut Wanslebius scripsit, hoc est anno J. C. 1251°. Quo

circa vacare debuit sedes, per annos octo circiter, de qua tamen vacatione nihil habemus. Sed verisimilis admodum ea est, cùm tota Cyrilli filii Laklaki in Pontificatu vita, perpetuis inter ipsum, Clerumque & plebem contentionibus agitata fuerit, neque ille ad supremam inter suos dignitatem pervenerit nisi post annos prope viginti, dissidiis mutuisque accusationibus transactos, facile fuit ut odia reviviscerent, novique Patriarchæ electionem protraherent. Sed de hac vacatione Abulbircat, & Autor Chronici verbum non fecere. Sedit Athanasius annos undecim & dies sex secundùm Chronicon, viginti sex annos habet Abulbircat, in eo ipso codice quo est usus Wanslebius. Addunt Continuatores Bollandi: *Dicitur in historia Athanasius fuisse vir bonus, justus, & humilis, & ideo fortassis inscriptus est Coptico apud Seldenum Kalendario, sed nomine corrupto*, Asasius *quod Ludolfus correxit, qui etiam putat de eo intelligendum quod habet Hagiologus ad diem* XXII. *mensis Hathuri*. Diximus alibi Kalendarii istius Seldeniani, nullam esse autoritatem, tum quod receptis apud Coptitas dissimillimum sit; tum quod ex vitioso exemplari desscriptum, satis mendosè, & pejus interpretatum. In eo, quod Alexandrina Ecclesia sequitur, non 22ª sed 20ª Athyr occurrit nomen Athanasii cum nota quæ Patriarcham fuisse designat; non eâ tamen, quâ designari solent Alexandrini: quamvis in aliquibus illa ipsa nota non observetur; alterius quoque Athanasii cum eadem designatione 3ª Toth; ubi in Kalendario Coptico legitur *Anasius*. In eodem, sed 9ª ejus mensis Athanasii nomen legitur, sed Patriarchæ Antiocheni, unius scilicet ex Severi sectatoribus. Unde manifestum est in exemplaria vitiosissima Seldenum incidisse. Quidquid tandem sit, Athanasium secundùm, sive juniorem Coptitæ annua commemoratione celebrant, eum scilicet qui tertius à Dioscoro Cathedram invasit: alterius recentioris non videntur meminisse, cum alios aut æquales aut superiores, quamvis laudabiliter vixerint, inter sanctos non retulerint. Vacasse sedem post obitum istius Athanasii annis prope septem, addit Abulbircat: obiit Athanasius, anno Martyrum 978° cùm sedisset annis undecim, mensem unum diebus 26: historici Bollandiani sex tantum dies numerant: hic annus respondet anno J. C. 1261° & 1262°.

Gabriel 77. LXXVII. Gabriel Episcopi Tamidi ex sorore nepos: de quo scribit Abulbircat hæc quæ à Wanslebio prætermissa sunt, notatu

notatu tamen dignissima, quod ejusmodi sint ut exemplum primùm schismatis & contemtæ apud Jacobitas disciplinæ contineant. *Cùm inquit ille* (Athanasius) *obiisset, nonnulli ex Laicorum primoribus designaverunt Misræ Joannem Abusahid Sokareum: alii verò Kahiræ congregati, Gabrielem filium sororis Petri Episcopi Tamidensis. Constituerunt tandem ut in ea contentione sors ad sanctuarium in simili occasione fieri solita, adhiberetur. Eâ factâ exiit nomen Gabrielis prædicti, qui statim Hegumenus ordinatus est, sed obstitit ipsi Joannes cum suis, irritamque electionem fecerunt, adeoque Joannes ordinatus est 6ª Tybi anni Martyrum 978ⁱ J. C. 1262ⁱ quo obierat Athanasius i mense uno post illius mortem. Itaque Patriarchalem sedem occupavit Joannes annis sex, mensibus novem, quibus elapsis, depositus est: & perfecta Gabrielis Ordinatio. Is Patriarchatum tenuit à 24ª mensis Paophi anni 985ⁱ Martyrum, J. C. 1269ⁱ usque ad 6ᵃᵐ Tybi anni 987ⁱ qua depositus est, Joannesque restitutus Sultanorum jussu, dignitatem ad obitum usque retinuit, quo temporis intervallo competitor illius Gabriel diem suum obiit. Cùm verò is prius & legitimè electus fuisset, numeratur primo loco inter Patriarchas: alter, quamvis intrusus, locum tamen suum inter eos retinuit.* Obiit Gabriel anno Martyrum 987°. secundùm laterculum Abulbircati: atque adeò si vera scripsit in verbis suprà relatis, eo ipso anno quo depositus est.

Joannes qui LXXVIII. numeratur obiit anno Martyrum 1009ⁱ, J. C. 1293°, & illum sedem tenuisse idem Autor scribit annis 29. diebus 7. Ita scripsit quoque Wanslebius Autorem suum secutus, qui Patriarchatus annos numerat, omnes simul ante depositionem, & ex quo sedi restitutus est pulso Gabriele, atque adeo vapulat innocenter, quasi in numeris erraverit, dum 29 annos Joanni attribuit, cum 22 dicere debuisset. At illi simul cum annis sex, & mensibus novem summam annorum viginti novem conficiunt. An Hagiologus Æthiops Joannem istum laudaverit, virum sanè non laudabilem, qui per vim & contra Canones intrusus fuit, parum refert: cùm Philotheus sceleratissimus & alii non meliores simoniaci laudentur in sordida illa farragine: de cujus sensu hariolantem seriò Ludolfum audire, operam lusisse est. Sanè quidquid obscuritatis erat in conciliandis duorum istorum Patriarcharum annis, ex iis quæ diximus perspicuè discutitur. Joannes 78.

LXXIX. Theodosius Filius Züabel *Franci*, sive *Francus*,

utroque enim modo interpretari possumus. Is ordinatus dicitur anno Martyrum 1010°, J. C. 1294. 10ª Epiphi sive Abib ut Arabes pronunciant : obiisse anno 1016°. 5ª Tybi : sedisse annos sex, menses totidem, ut refert ex Abulbircato Wanslebius : cujus ut Autoris quem sequitur hoc loco & alibi errata diligenter emendaverunt Bollandiani. De isto Patriarcha nihil quidquam aliud occurrit, neque qua ratione Francus aut Franci filius appellatus fuerit divinare possumus, nec facilè est conjectando assequi. Nam *quod forte ex Syria oriundus esset*, etsi aliunde probaretur, nihil efficeret : cum etiamsi Franci adhuc aliquam provinciarum sacro bello subactarum partem retinerent, & illa erat admodum exigua, & propterea Syri, Franci facti non fuerant. Hominem porrò Latinæ religionis ad sedem Alexandrinam evectum fuisse impossibile omnino fuit.

Joannes 70us. LXXX. Joannes ex *Moniet Koufis*, vel *Konkis* oriundus, nam alterutro modo legi debet apud Abulbircat, non ut habet Wanslebius & ex eo Bollandiani *Monied Busis :* ordinatus est anno Martyrum 1016°, J. C. 1300°. 14ª mensis Mechir : obiit anno eorumdem 1036°, J. C. 1320°. An idem sit ad quem refert Ludolfus laudes Poetæ sui, de *largis eleemosynis, adeo ut ne cilicium quidem reliquerit*, parum interest. Annus quo sedere cœpit, est Hegiræ 700us incipiens à 15ª Septembris. Extincta jam erat Yubidarum qui Salaheddino successerant Dynastia, paucis quibusdam ex eadem familia urbes aliquas beneficiario jure tenentibus. Ægypti & maximæ partis Syriæ regnum erat in Mamalukorum Turcarum potestate, qui occiso Moadhamo Turan-Schah, eo ipso tempore quo S. Ludovicus captus ab Infidelibus fuit, illud occupaverant : neque fideliores erga conservos quondam suos, quam erga legitimos dominos, plures ex Sultanis Mamalukis occiderant. Lagin eorum undecimus à suis ipsius Mamalukis seu servis emptitiis occisus fuerat. Successerat 12us. Nacer Kelaouni filius 7i illorum Sultanorum qui mille aureis emtus fuerat, & regnabat cum Joannes Patriarchatum obtineret. Sub eo Patriarcha, & ad annum primum ejus Pontificatus referri oportet duram Christianorum vexationem, quam ut sæpe alias, ipsi sibi accersiverant. Ita rem narrat Makrizius in Historia sua & in Descriptione Ægypti ad annum Hegiræ 700um, J. C. 1300um. Erant ut multis hujus historiæ locis observari potuit, Christiani tam Orthodoxi quam Jacobitæ plures, in Divanorum Ministerio ; modo vectiga-

lium redemtores, sæpius scribæ, aut ab Actis eorum qui rationes publicas administrabant, quia res erat plena nummorum. Nec contenti collectâ sæpius per turpem quæstum pecuniâ, insolenti divitiarum ostentatione & luxu perdito Musulmanos offenderunt. Cùm Ducum unus, qui ex Africa interiori Meccam religionis causâ proficiscebatur, Kahiram venisset, atque ad palatium Sultani, officii causa procederet, eo comitatu quo Emiri solebant, jamque ad plateam cui arx imminebat, pervenisset, vidit ignotum sibi hominem equo generoso vectum, fasciâ capitis candidâ, veste polymitâ indutum, stipatumque multo famulitio. Sequebantur ex Muhamedana plebe non pauci, negotia sua illi commendantes, clamantes ut eorum misereretur, beneficiaque postulantes, adeo demisse, ut quidam ejus pedes oscularentur. Ille eos superbe rejiciens, neque respondens, nutu servis imperabat, ut turbam à se depellerent. Quæsivit Emirus, quid tandem Musulmanis esset cum isto Christiano negotii. Causâ intellectâ ad Sultanum ingressus, in Emirorum consessu primarios illorum duos Bibarsum Jaschengirum qui postea regnavit, & Selarum, quorum erat summa autoritas, interrogavit, cur Christianis tantum liceret ut non modo Muhamedani illis supplicare, sed servire cogerentur: tum non sine lacrymis Musulmanorum conditionem deploravit; quæsivitque num victoriam de hostibus sperare possent (tunc enim à Tartaris multas clades acceperant Ægyptii) qui legum adversus Christianos antiquarum curam non haberent. Vocati sunt igitur ad consilium Judices & Doctores, statutumque ut Christiani constitutam erga eos, ut etiam erga Judæos legem observare tenerentur: quam Omar filius Elkittabi olim captâ Ægypto tulerat: ne cidares candidas capiti imponerent, sed cæruleas, Judæi croceas, Samaritani rubras, ne equis aut mulis sed asinis tantum veherentur, pœnâ capitis propositâ omnibus qui contra edictum facerent, adeò ut impune occidi possent, domus eorum spoliari: ipsi ex equis dejici, & ad necem usque verberari. Statutum etiam ne quis Christianus in Divanis Sultani, aut apud Emiros officia ulla exercere posset, nisi Muhamedismum profiteretur, quod nimiùm multi fecerunt. Vocatus Patriarcha Coptitarum, simulque *Daien*, sive Æchmalotarcha Judæorum, quibus hæc præcepta significata sunt. Patriarcha dixit daturum se operam ut sui eadem accuratè exequerentur, excommunicaturumque se eos qui non obtemperarent: illud idem Judæorum princeps in se recepit. Publicatum igitur edictum

est Sultani nomine, Kahiræ & mox Alexandriæ, deinde per veredarios in provincias transmissum. Ea occasione tumultuari adversus Christanos Muhamedani cœperunt : aliquasque Ecclesias in utraque urbe diruere aggressi sunt, incentore & Autore quodam Juris perito Negemeddino Ebn-Elrefaha. Tamen re ad Emiros delatâ, statutum est solas illas, quæ à subacta per Muhamedanos Ægypto ædificatæ fuerant, diruendas : reliquas conservari placuit. Verùm in eo tumultu clausæ sunt omnes reliquæ per annum integrum, donec advenit Legatus *Lascaris Regis Francorum*, qui petiit & obtinuit ut aperirentur Ecclesiæ Muhallaca Jacobitarum & S. Michaelis Melchitarum. Venerunt deinde Legati aliorum Regum, apertæque sunt Ecclesiæ Vici *Zowilet*, & sancti Nicolai. Edicti exempla missa sunt in Syriam, universamque Sultanorum ditionem à finibus Nubiæ usque ad Euphratem : & ubique ex ea lege, summo jure contra Christianos actum, præter quam in urbibus Carak & Schaubek, excusante se Emiro ob Christianorum multitudinem. Hæc Makrizius, cui adjungenda sunt ea quæ scripsit Abulbircat & ex eo Wanslebius quem Bollandiani exscripserunt istis verbis. *Sub eo Patriarcha, ut scribit Wanslebius, Christiani Ægyptii gravem persecutionem perpessi sunt à Sultano, qui jussit omnes pileo uti Saracenico,* (vulgo turban.) *vilissimi pretii : non nisi asinis vehi permittens, inverso utroque crure ad unum latus pendente, ut ita despectui haberentur omnibus aliis nationibus in Ægypto degentibus. Clausit præterea illorum templa, ab iis incipiens quæ in nova veterique Cahira reperiebantur, & reliqua deinde per Ægyptum omnia, exceptis solis illis quæ erant quatuor Monasteriorum deserti sancti Macarii, quæque erant Alexandriæ. Hoc modo sexcentis & tribus diebus occlusæ manserunt Ecclesiæ, donec intercedens apud Sultanum Legatus Lascaris Domini Constantinopolitani, obtinuit ut Jacobitis sua aperiretur, dicta S. Mariæ de Muallaca, & quæ sancti Michaelis Archangeli vocatur alteri propinqua. Paulò post advenit Legatus alius, missus à Bersciennuni, quo itidem pro Christianis deprecante, reseratæ sunt aliæ duæ Ecclesiæ, ea videlicet quæ est in Haret Zovilet* (vicus hic est ubi Patriarcha commoratur) *& Melchitica una in Binducaniin.* Hæc illi fideliter ex Gallica Wanslebii versione transtulerunt.

Hist. de l'Egl. d'Alex. p. 327. Hist. Patr. Alex. p. 547.

Observandum tamen est istum de suo, interpretatum esse autoris sui verba aliter quam Arabicè leguntur : neque enim Abul-

bircat exceptas dicit solas Ecclesias quatuor, quæ erant in deserto sancti Macarii, ubi tunc longè plures fuere, sed omnes Monasteriorum, & Alexandrinas. Rectè porrò Autores eruditi notant Constantinopoli tunc imperasse Andronicum Palæologum, nullum ex Lascarica familia: sed ab homine Ægyptio qui post sexaginta circiter annos scribebat, exigere accuratam rerum Occidentis notitiam non oportet. Imperaverant Principes ex stemmate Lascarico ante paucos annos, sufficiebat id peregrino in nostra historia ut Lascarin adhuc imperare crederet. De ea Constantinopolitana legatione nihil habet Makrizius: sed alterius meminit: scilicet *Bersciennuni*, *de quo quis ille fuerit*, *Æthiops an Nubiensis an nationis alterius*, *nec conjectando*, *nec divinando assequi hactenus licuit*, ait Autor Historiæ Chronologicæ. *Barchinoni* ut legi poteſt & debet, *Barcinonensem* significat: urbs enim Barcino quam Arabes *Barcinona* & *Barcelona* vocant, celebris apud eos fuit, ob res à Catalanis mari terraque in Oriente adversùs Græcos & Infideles fortissimè gestas, de quibus fusè historici Hispanici & accuratè scripserunt. Postquam autem Cataloniæ Comitatus per matrimonium Raimundi Berengarii cum Petronilla Ramiri Aragonum Regis filia, eidem Aragoniæ regno unitus est anno J. C. 1137°, major adhuc inter Muhamedanos fama Catalanorum fuit, qui *Barcinonenses* vulgo vocabantur, quòd Comites Barcinonis semper se appellarent, & quod ex eodem stemmate ad Aragoniæ regnum pervenissent. Itaque Makrizius qui istius de qua agimus Legationis meminit, missam eam dicit à *Rege Barcinonis* quem in Annalibus Regem Aragoniæ vocat anno Hegiræ 703° qui fuit J. C. 1303^{ut} atque adeò à Jacobo 11° undecimo Aragoniæ Rege, qui à Justitia quam præcipuè coluit nomen accepit, regnumque ab anno 1291° usque ad 1327um tenuit. Addit Makrizius, Regem illum amplissima ultra consuetudinem munera misisse, non Sultano solum, sed Emiris præcipuis distribuenda, simulque scripsisse literas quibus rogabat ut Ecclesiæ aperirentur. Itaque ex communi sententia apertam esse eam quæ Jacobitarum erat, in Vico *Zowilet* dicto, & alteram in parte dicta Bondocaniin: quamque in Annalibus ait Nicolai dictam fuisse. De reliquis Ecclesiis nihil habet. Quod si in nostris historiis de istis Legationibus nihil occurrit, mirum esse nemini debet.

p. 548.

Garibay l. 32. c. 1.

Id. l. 32. c. 11. & 11

Ex eodem quem citavimus Makrizio habemus narrationem quæ cum ab eo in historia Ægyptiaca referatur ad annum Hegiræ

703um, qui fuit J. C. 1309um ad ejusdem Patriarchæ tempora pertinere censenda est. Illius meminit quoque in descriptione Ægypti, aitque rem contigisse statim post eversionem Ecclesiarum, de qua superiùs dictum est. Inter eas quæ dirutæ sunt, erat una in urbe *Chobra*, ubi repertam fuisse, dicit arcam, in qua repositus erat digitus cujusdam Martyris: eam autem in aquam demittere Christianos solitos fuisse, cum expectabatur exundatio Nili. In historia fusius rem exponit. Hoc enim ipso anno testatur Emirum Bibartum Jaschengirum, qui primam inter alios dignitatem & autoritatem obtinebat, abolevisse festum quod Martyris dicebatur, & ut Chobræ, ita Misræ solebat celebrari. Existimabant enim Christiani de arca in qua repositus erat digitus Martyris eorum, nisi ea in Nilum demitteretur, eum ad justam mensuram non exundare. Igitur ex variis Ægypti partibus conveniebant *Chobram*, & eò confluebant: Christiani equis vehi solebant, ripæ tentoriis, fluvius naviculis tegebatur, promiscua virorum mulierumque multitudine concurrente, ibique vinum vendebatur, tanta quantitate, ut uno die centum millia drachmarum ex pretio conficerentur: & Christianum propolam memorant, ipso die duodecim mille drachmas ex illo mercimonio collegisse: tributi exactores duo mille. Inde tumultus, rixæ & cædes promiscuæ. Ea cum ad Bibarsum Jaschengirum renunciata forent, edicto vetuit, ne ad tale festum concursus fieret: quod Christianis adeo molestum fuit, ut non ipsi modo, sed ex Coptitis multi qui ad Muhamedanam religionem defecerant, querelas ad eum detulerint, adjunctis publicanis, qui damnum proprium non minus dolebant. Sed Bibarsus nihil motus, quasi puri Muhamedismi vindex, festum abolevit: & ut addit Makrizius, arcam ad se allatam & digitum coram se comburi, pulverem in ventum spargi jussit.

Joannes 81us. Hujus narrationis Autorem antiquiorem Makrizio alium non habemus, religionis suæ tenacissimum. Cùm vero de Nili exundatione multis hujus historiæ locis agatur, deque supplicationibus indictis, quando ad justam mensuram non excreverat: miracula etiam frequentissima occurrant, mentio sanctorum & reliquiarum crebra fiat; mirum Christianos Autores rei tam insignis non meminisse: quamquam temere vocaretur in dubium Makrizii fides.

LXXXI. Joannes electus anno Martyrum 1037°, J. C. 1320° & 1321° ordinatus 12 Babæ seu Paophi: mortuus anno 1043° J. C. 1326° 21 Farmuthi; de quo nihil præterea scribit Abulbircat

ut neque de aliis aliquot. Primus respondet anno Hegiræ 720° 1 secundus anno ejusdem æræ 727° incipiente à 26ª die Novembris.. Verùm Makrizius testatur anno Hegiræ 721° qui fuit J. C. 1321us atque adeo sub hoc Patriarcha, Feria 6ª nona mensis Rabieh posterioris, dirutas fuisse eâdem horâ omnes Ecclesias, in territorio Misræ seu Kahiræ: ita quippe videtur interpretandum, potius quam in tota Ægypto, ubi certum est antiquas multas superfuisse & etiamnum non paucas superesse.

LXXXII. Benjamin ex Democrad oriundus, ordinatus anno Martyrum 1043°, J. C. 1327° Hegiræ 728° sedit annos undecim mortuusque est anno 1339 de quo nihil aliud habetur. Benjamin 82us.

LXXXIII. Petrus ordinatus anno Martyrum 1056°, J. C. 1340° Hegiræ 741° mortuus 1964°, J. C. 1348° Hegiræ 749°. Petrus 83us.

LXXXIV. Marcus ex Kelioub, cujus initia non assignavit Abulbircat, nec diem ordinationis sed mortem anno Martyrum 1079°, J. C. 1363° unde quamdiu sederit obscurum prorsus est. Makrizius gravissimæ persecutionis meminit anno 753° Hegiræ, J. C. 1352°. Scribit porro præcipuam illius causam ab ipsis Christianis profectam fuisse, qui absque pudore, post tot invidiæ Muhamedanorum experimenta, non modo libertate quam apud infideles dominos non nisi precariam retinebant, abutebantur, sed vana & intoleranda opum ostentatione eos irritabant. Quamvis enim renovatis ante annos quinquaginta & postmodum, legibus vetitum fuisset, pœnâ capitis propositâ, ne ad Aulica officia admitterentur; ne equitarent; ne absque Christianismi nota prodirent in publicum, ad Divanorum ministeria rursus irrepsere, cum sub ipsis Mamalukis Sultanis, major esset Emirorum, quam Principis autoritas. Itaque Christiani illi Coptitæ, cùm magnas ex publicæ pecuniæ tractatione, scripturaque Divanorum pecunias collegissent, iterum insolescere cœperunt, nec modo quasi legibus soluti essent, eas violare, sed Muhamedanis ipsis insultare, & malum ubi poterant dare non veriti sunt, cum ipsi interea luxu diffluerent, moribusque flagitiosis infideles ipsos non offenderent modo, sed etiam corrumperent. Eos enim compotationibus deliniebant, & quod apud superstitiosam illam gentem piaculum existimatur, vinum illis præbebant: servas Muhamedanas cum quibus scortabantur, emebant, aliaque mancipia, quamvis illud mercimonium, non edictis modo Sultanorum, sed Canonibus Ec- Marcus 84us.

clesiasticis prohiberetur, constituta severissima pœnitentiæ lege adversus nefanda illa contubernia. Accessit ad hæc flagitia publicus edictorum circa cultum exteriorem contemtus, adeo ut non modo fascias capitum candidas contra interdictum gestarent, sed eas maximi pretii, quæ ipsis purpuratis convenissent. Quasi vero tot crimina compensari piis largitionibus possent, Ecclesiarum bona auxerant, ita ut latifundia amplissima circa Misram possiderent. Ea occasio tumultuandi adversus Christianos Muhamedanis fuit; unde Judicum Emirorumque sententiâ, censeri illas possessiones placuit, erant autem illæ jugerum quinquaginta millium. Accidit quoque ut quodam die Christianus ex illis Divanorum ministerialibus, transiret prope Meschitæ *Elzahar* dictæ portam, equo vectus numeroque magno servorum cinctus, qui magnifice vestiti & armati turbam depellerent. Itaque undique concursus ad Emiros factus est, instigantibus multitudinem Legisperitis, Judicibus, & quibuscumque aliis, qui zelum Muhamedanæ religionis præ se ferebant. Res in consilium missa, statutumque ut secundùm mores antiquos edictis Sultanorum confirmatos, cogerentur Christiani, non minus quam Judæi constitutas sibi leges sub Omari filii Elkittabi Califatu, accurate observare. Patriarcha & Æchmalotarcha Judæorum citati, & illis lecta est communis Emirorum, Judicumque sententia, cujus hæc præcipua capita, Makrizius refert. Ut in Muhamedanorum ditione Christianis non liceret Monasterium, Ecclesiam, aut Cellam à fundamentis ædificare: sed neque illa ædificia reparare quæ vetustate collapsa forent: ut non prohiberent Muhamedano cuilibet, in Ecclesiis aut Monasteriis per tres noctes manere, atque interea cibos illis præberent, nec quidquam fraudis adversus eos molirentur. Ne filios suos Alcoranum docerent: aut si Muhamedani fieri vellent, eos non prohiberent. Ut vestitu dissimili, ab eo Muhamedanorum uterentur: fasciasque capitum cæruleas gestarent; Judæi croceas; pariterque mulieribus interdiceretur, cultus eo quo Muhamedanæ utebantur, similis. Ne nomina, cognomina, aut agnomina Muhamedanorum assumerent: ne ephippiis uterentur, aut equis veherentur, neque mulis, sed asinis, sedentes transversim. Ne in sigillis characteres Arabicos imprimerent. Ne quis illorum balnea ingrederetur absque signo collis appenso ex ære, ferro, vel plumbo, ut sic à Muhamedanis distinguerentur. Ne Muhamedanos servos, aut ancillas habere ipsis liceret. Ne publice

publice coram Muhamedanis mortuos ad ſepulturam efferrent, aut ſepulcra altiora extruerent: ne ædificia ſua in ſublime extollerent, unde proſpectus eſſet in aliorum domos: ne campanas, vel potius crepitacula illa lignea, quæ illarum apud Orientales locum obtinent, cum majori ſtrepitu pulſarent. Ne in Eccleſiis pſallendo vocem altius efferrent. Ne ſervos & ancillas Muhamedanæ religionis emere poſſent, neque eorum quidquam in quibus Muhamedani partem haberent. Ut quotieſcumque Chriſtianus moreretur, hæreditatem adire nemini liceret, antequam cauſa apud Divani Miniſtros cognita fuiſſet: qui abſque hæredibus morerentur, eorum bona fiſco addicerentur. Ut Muhamedanis quotieſcumque occurrebant, de via decederent. Ut qui cum Muhamedana rem habuiſſet, capitale ipſi foret. Hæc atque alia nonnulla capita legis, novo edicto comprehenſa ſunt, renovatâ eâ lege quæ anno Hegiræ 700° ſub Sultano Naſſer Muhamed filio Kelaoun publicata fuerat, ſed penitus neglecta à Chriſtianis, qui eam multis modis tranſgreſſi fuerant. Edictum publice in Divano Principis lectum & Chriſtianis ſignificatum, qui ſe illud obſervaturos profeſſi ſunt, non minus quam Judæi: cum iſtorum nomine Princeps ſeu *Daien*; illorum, Patriarcha Jacobitarum præſentes ſponſionem feciſſent.

Adjecta eſt nova alia lex hominibus pecuniæ avidis, duriſſima, ne Chriſtiani in Divanorum miniſteria admitterentur, etiamſi Muhamediſmum profeſſi fuiſſent, additâ pœnâ adverſus eoſdem apoſtatas, ſi ad priſtina domicilia familiaſque ſuas reverterentur, niſi poſtquam omnes conjuncti & ejuſdem familiæ Muhamedi nomen dediſſent. Prohibiti ſunt etiam Medicinam exercere; & expoſiti Muhamedanorum furori & petulantiæ, adeo ut ſtatim atque edictum Kahiræ & Miſræ publicatum fuit, impetu facto Muhamedani domos Chriſtianorum diripuerint, veſtes quibus tegebantur paulum elegantiores laceraverint, & Eccleſias ſpoliare & diruere cœperint. Unde tot malorum metu latere Chriſtiani coacti ſunt, ita ut ne aquam quidem ex Nilo ad eos deferri hoſtes eorum ſinerent: qui menſe prope integro in illos ſævierunt, adeo ut à magiſtratibus compeſci vix potuerint. Ea occaſione multi fidem abnegaverunt, quod tamen non ſincere ſed per hypocriſin & timore majoris mali à pleriſque factum Makrizius queritur, quaſi ex matrimoniis eorum cum Muhamedanis mulieribus, contagio morum ſanctum illam gentem afflaverit.

Hhhh

Ad eumdem quoque annum MaKrizius in Annalibus suis refert narrationem de reperta arca, in qua digitus Martyris repositus erat, quam in Nilum demittere solebant Christiani urbis *Chobra*, cum Ecclesia destrueretur, ut pleræque tam in Australi, quam in Maritima regione destructæ sunt, aut in Meschitas conversæ. At idem ipse, quod etiam monet, eam igne ante plures annos consumtam, Sultani jussu testatus fuerat. An igitur alias reliquias priorum loco Coptitæ substituerint, aut Martyris festum tantummodo iterum celebrare cœperint, in obscuro est, nec magni refert. Tanta porro calamitas illius temporis fuit, tantumque potuere erga miseros illos Christianos publica quâ laborabant infamia, continuæ Muhamedanorum injuriæ, & sublata spes ditescendi per Divani Ministeria, ut quamvis nemo ad abjurandam fidem cogeretur, plurimi tamen eam negaverint, adeo ut uno die in urbe Kelioub, quadringenti Muhamedi nomen dederint : infiniti alii in provinciis superioris Ægypti, non minus quam in Thebaide, passimque dirutæ Ecclesiæ aut in Meschitas conversæ fuerint.

Tandem cùm si quid apud eumdem Autorem de Christianorum rebus occurrat, ad edicta Sultanorum contra Christianos, eversiones Ecclesiarum & similia facinora spectet, quæ hinc inde colligi possent omittemus, indiculum sequentium Patriarcharum dedisse contenti.

Joannes 85. LXXXV. Joannes, Damasco oriundus : ordinatus anno Martyrum 1079°, J. C. 1365°, & in eo desinit Abulbircat nec mortem istius Patriarchæ, aut quam diu sedem tenuerit, notavit unde quod Wanslebius observavit, sub illo vixisse Abulbircatum verisimile est. Nomina sequentium Patriarcharum margini codicis quo usus est, quique extat in Bibliotheca Regia inscripta sunt, nec una manu.

Gabriel 86. LXXXVI. Gabriel Archimandrita prius Monasterii MoharraK.

Mathæus 87. LXXXVII. Mathæus.

Gabriel 88. LXXXVIII. Gabriel. Is est procul dubio qui Ritualem librum Sacramentorum, secundùm Ecclesiæ suæ disciplinam recensuit, emendavit, & Patriarchali autoritate confirmavit. Continet autem Officiorum administrandorum regulas rituales : nam Orationes primis tantum vocibus plerùmque designantur. Sunt autem, Ordo Baptismi : Absolutionis pœnitentium : Coronationis seu Matrimonii : Ordinationis, & Olei lampadis seu Unctio-

nis infirmorum : præter ritus singulares ad celebrandam Liturgiam : preces ad dandum Schema, seu Habitum Monasticum, &c. Esse præcipuam illorum Rituum autoritatem manifestum inde est, quod Codices recentiores accurate scripti qualis unus Bibliothecæ Regiæ, testantur rubricas desumtas fuisse ex Rituali Gabrielis. In eo notatur confirmatum esse Ritualem illum librum, anno Martyrum 1127° qui fuit J. C. 1427us.

LXXXIX. Joannes. *Joannes 89.*

XC. Mathæus ex Sahid sive Thebaide oriundus : de quo Bollandi continuatores dicunt eum ultimum fuisse à qua Chrisma consecratum fuerit usque ad annum J. C. 1703um ut ad eos scripsit Bernatus, de qua re nihil nobis occurrit. *Mathæus 90.* *Hist. Patr. f. 556.*

XCI. Gabriel : antea Archimandrita Monasterii Occidentalis, an idem sit quod vocavit Wanslebius S. Antonii, nescimus. *Gabriel 91.*

XCII. Michael Semelouti. *Michael 92.*

XCIII. Joannes seu Yunes Nekaddi. *Joannes 93.*

XCIV. Joannes Misrâ seu Kahirâ vetere oriundus. *Joannes 94.*

XCV. Gabriel Minscianensis, ut edidit Wanslebius, errore opinor typographico : nam in codice Ms° dicitur *Monschari.* De eo videnda sunt quæ addiderunt doctissimi Bollandiani : eum fuisse scilicet ad quem Pii IV. jussu legationem suscepit Christophorus Rodericus Societatis Jesu, ut refert Sacchinus. At ea successu caruit, acceptisque amplissimis muneribus, delusit Nuncios vaferrimus senex, & obedientiam quam literis geminis, & viva voce Roderico professus fuerat, insuper habuit. *Gabriel 95.* *Hist. Societ. p. 2. l. 5.*

XCVI. Joannes Monsalutensis : ad quem scripsit Gregorius XIII. teste ejus successore. *Joannes 96.*

XCVII. Gabriel. Is est cujus ad Clementem VIII. literæ quibus Romanæ sedis Primatum agnoscebat & fidem Orthodoxam profitebatur, editæ sunt à Baronio. De legatione illa aiunt Autores Historiæ Chronologicæ dubitari à nonnullis ân acta vera sint, citantque Autorem Historiæ Criticæ, testem hoc in genere parum locupletem. Neque enim alio argumento utitur, quam eo quod primus produxerat Georgius Dousa in Itinere suo Constantinopolitano, ad quem cum de legatione illa Gabrielis Patriarchæ Alexandrini esset allatum, negavit superstite Meletio Piga, quo Alexandriæ familiariter usus fuerat, esse posse Gabrielem in eâdem dignitate. At ignorabat quod omnes sciunt, à Dioscoro ad hæc usque tempora, præsertim à capta per Muhame- *Gabriel 97.* *f. 560.* *Annal. t. 6.*

danos Ægypto, si primum sæculum excipimus, quo fermè toto Alexandrini Orthodoxi Antistite caruerunt, duos semper Alexandriæ fuisse Patriarchas, Græcum & Coptitam, & talis erat Gabriel. Ita de eo dubitari non potest: de literis ab eo scriptis non magis videtur dubitandum; nihil quippe frequentius à multis sæculis quam similes Orientalium Episcoporum ad Romanos Pontifices Epistolæ. An sincero animo Orthodoxam fidem Gabriel professus fuerit; Deus novit: sed quidquid habuerit in animo, decantata illa & nimium celebrata unio, fructum nullum tulit, non magis quam tot aliæ.

Marcus 98. XCVIII. Marcus ex Biad: ordinatus ut aiunt anno Martyrum 1319°, J. C. 1602° obiit anno 1610°.

Joannes 99. XCIX. Joannes Melawani.

Joannes 100. C. Joannes ex Touk: ita Wanslebius, secutus notam codici suo adjunctam: quod nomen mutari volunt recentiores historici ut Mathæi substituatur: quæ ratio mutationis sit, non satis apparet: dicunt eum scripsisse ad Urbanum VIII.

Marcus 101. CI. Marcus ex Mahjour, ordinatus anno Martyrum 1362. J. C. 1645.

Mathæus 102. CII. Mathæus ex Monasterio D. Mariæ in Eremo, nam id videtur significare vox Arabicè scripta, non *Baramus* ut Wanslebius transtulit: ordinatus anno Martyrum 1377° mense Athyr anno J. C. 1660°, qui superstes erat cum is in Ægypto esset anno 1673°.

Joannes 103. CIII. tandem ultimus adjicitur Joannes Toukhi; ex literis à Bernato scriptis, qui eodem teste anno 1703° Chrisma, magno ut aiunt apparatu, consecravit, quod ab annis ducentis factum non fuerat. De iis videnda quæ Bollandi Continuatores ad historiæ suæ finem addiderunt, ut postremorum illorum Patriarcharum annos ad veræ Chronologiæ rationes reducerent. Sed id præstare difficile prorsus est, cum non aliud subsidium quam Indiculum habuerint ex Cyrilli ut aiunt Liturgia descriptum. Nempe repertùm est in foliis aliquot vacuis alicujus Codicis quo illa continebatur: ita enim sæpe usu venit, ut in libris præsertim sacris ad calcem adscribant baptismata, Ordinationes, obitus & si quæ sunt ejusmodi, plane in locis non suis sed neque in Cyrilli nec in aliis Liturgiis omnium qui fuerunt Patriarcharum nomina solent recitari: illius tantum qui Cathedram tenet,

FINIS.



I N D E X

EORUM QUÆ IN HOC VOLUMINE continentur.

A.

Hhhh

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Arium

APPROBATIO.

DE mandato Illustrissimi Galliarum Cancellarii perlegi librum cui titulus est, *Historia Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum à D. Marco usque ad finem sæculi XIII. &c.* Quod opus uti pereruditum, nec ad cognoscendam solùm Ecclesiæ Alexandrinæ historiam, verùm etiam ad plures reconditioris doctrinæ partes perutile, ita magno reipublicæ literariæ bono, publica luce donandum censeo. Datum Lutetiæ Parisiorum, die 6. Octobris anno 1713. FRAGUIER.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre : A tous ceux qui ces presentes Lettres verront, Salut. Le Sieur EUSEBE RENAUDOT, Prieur de Froisay & de Chasteaufort, l'un des Quarante de l'Académie Françoise, Nous a fait remonstrer, qu'il a composé plusieurs Ouvrages tirez des Auteurs Orientaux, qui pourroient estre utiles au Public, pour esclaircir differents points de la Religion Catholique, & pour en faire voir la conformité avec l'Eglise d'Occident ; Que la pluspart de ces Ouvrages sont dez à present en estat d'estre imprimez, & qu'il travaille actuellement à d'autres Ouvrages sur de semblables matieres, pour l'impression desquels il Nous a fait supplier de luy accorder nos Lettres de Privilege. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit sieur Renaudot, Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons par ces Presentes, de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choisir, les Livres qu'il a composez, soit en Latin ou en François, avec des Notes ou Commentaires, & intitulez *Perpetuité de la Foy de l'Eglise Catholique touchant l'Eucharistie, tomes quatre & cinquiéme ; Dissertationes variæ de Fide, Moribus & Institutis Ecclesiarum Orientalium ; Synopsis Historiæ Patriarcharum Alexandrinorum à Divo Marco ad annum millesimum ducentesimum quinquagesimum ; Synopsis Historiæ Patriarcharum Ecclesiæ Nestorianæ ad annum millesimum trecentesimum ; Liturgia Coptitarum ex Copticis & Arabicis exemplaribus Latinè versa cum Commentariis ; Liturgia Syrorum Latinè versa cum Commentariis ; Tractatus de Ecclesia Æthiopica ; Officia varia Sacramentaria Coptitarum, Syrorum & Latinè conversa cum Notis ; Dositheï Patriarchæ Hierosolymitani Enchiridion Græco-Latinum ; Alia Græcorum Opuscula Latinè versa ; Histoire de Saladin Sultan d'Egypte & de Syrie, tirée d'Auteurs Orientaux ; Voyage ancien fait à la Chine par deux Mahometans, traduit sur un Manuscrit Arabe avec des Notes* ; & tels autres Ouvrages qu'il a composez ou qu'il composera ou traduira dans la suite, avec des Notes & Commentaires, soit en Latin, en François, ou autre langue ; & ce conjointement ou séparément en telle forme, marge, caracteres, & autant de fois que bon luy semblera, & de les faire vendre & debiter par tout nostre Royaume pendant le temps de quinze années consecutives, à compter du jour & date de nos presentes Lettres Patentes seulement. Faisons défenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles puissent estre, d'en introduire d'impression estrangere dans aucun lieu de nostre obéissance, & à tous Imprimeurs, d'imprimer, faire imprimer, mesme sur des copies imprimées ou manuscrites, vendre, faire vendre ou debiter, ny contrefaire en aucune maniere, en tout ny en partie, sans la permission expresse & par escrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits & de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, applicable un tiers à Nous, un tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, & de tous despens, dommages & interests ; à la charge que ces Presentes seront enregistrées tout au long dans trois mois de leur date sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris ; que l'impression dudit Livre sera faite dans nostre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'il en sera mis deux exemplaires dans nostre Bibliotheque publique, un dans celle de nostre Chasteau du Louvre, & un dans celle de nostre amé & feal Chevalier Chancelier de France le Sieur PHELYPEAUX Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos Ordres, le tout à peine de nullité des Presentes ; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir l'Exposant & ses ayants cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ny empeschement. Voulons que la copie des Presentes qui sera imprimée au commencement ou à la fin desdits Ouvrages, soit tenuë pour deuëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers Secretaires, foy soit adjoustée comme à l'Original. Commandons au premier nostre

Huissier ou Sergent de faire pour l'execution des Presentes tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel est nostre plaisir. DONNE' à Versailles le dernier jour de May l'an de grace mil sept cent onze, & de nostre Regne le soixante-neuviéme. Par le Roy en son Conseil, CHAPPUZEAU, avec paraphe, & scellé du grand Sceau de cire jaune.

Registré sur le Registre N°. 3. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, page 178. N° 187. *conformément aux Reglements, & notamment à l'Arrest du* 13. *Aoust* 1703. *A Paris le* 7. *Juin* 1711. Signé, P. DE LAUNAY Syndic.

Ledit Sieur Abbé Renaudot a cedé à François Fournier Libraire à Paris, le Privilege pour l'impression du Livre intitulé, *Historia Patriarcharum Alexandrinorum, &c.* suivant l'accord fait entr'eux.



